




Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-147402-p0001-5
DFG


DV 3
Q 12
Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-147402-p0002-1
DFG

Sol. 804
391



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-147402-p0003-6
DFG

APPARATVS MEDICAMINVM

TAM SIMPLICIVM

QVAM

PRAEPARATORVM ET COMPOSITORVM

IN

PRAXEOS ADIVMENTVM

CONSIDERATVS.

VOLVMEN SECVNDVM.

AVCTORE

IO. ANDREA MVRRAY D.

MEDICINAE ET BOTANICES IN ACADEMIA R. GOTTING. PROFESSORE PVBL. ORD. HORTI R. BOTAN. PRAEFECTO, ACADD. SCIENT. GOTTING. STOCKHOLM. GOTHENBVRG. VTI ET SOCIETATT. OECONOM. BERNENS. CELLENS. ET MEDIC. HAFN. MEMBRO.



GOTTINGAE

Apud JOANN. CHRIST. DIETERICH

1779.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

urn:nbn:de:hbz:061:2-147402-p0005-8

VOLVMEN SECVNDVM.

STIRPES.

Rotaceae.
Sepiariae.
Bicornes.
Asperifoliae.
Verticillatae.
Personatae.
Rhoeades.
Putamineae.
Siliquosae.
Papilionaceae.
Lomentaceae.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-147402-p0007-0

ORDO XV.

ROTACEAE.

ANAGALLIS.

LINN. *Syst. veg. p. 165. Gen. plant. pag. 83.*

202.

Pharm. ANAGALLIDIS *Herba.*

Anagallis aruensis; foliis indiuisis, caule procumbente LINN. *Spec. pl. p. 211.* Anagallis phoeniceo flore C. B. Αναγαλλις DIOSC. Conf. CAR. LVDOV. BRVCH *Diss. de Anagallide, Argentor. 1768.* Icon: *Fl. Dan. Tab. 88.* CVRTIS *Fl. Lond. Fasc. I.* REGNAVLT *Botan.* Le Mouron mâle et femelle. Planta annua temperatioris Europae, in aruis et hortis crebra.

Ignari pharmacopolae huic Alsinen mediam L. substituunt, vt et noui singulari mihi obuio exemplo. Vsu plerumque modo Anagallidis Varietas flore miniato venit, omissis reliquis duabus, flore vel coeruleo

vel albo inſtructis. *Codex Pariſienſis* tamen et rubram et coeruleam admittit. Male vero in officinis herbam vna cum floribus quin capſulis ſeruatam cernimus, quippe quum herbae in vniuerſum ante floris exortum efficaciores exiſtant.

HERBA recens ſuccoſa inodora eſt. Guſtata oleraceum initio ſaporem prae ſe fert, poſtea amarum cum acrimoniae ſenſu. Succus poſt expreſſionem condenſatus ſimili modo *linguam afficit* (LEWIS *Hiſtory of the Mat. med. p. 50.*), vti et infuſum aquoſum ſiccae plantae, ſiue liquidum ſit, ſiue in extracti formam ſpiſſatum, quod modo amarius acriusque; nec differt hiſce momentis, niſi gradu mitiori, tinctura vel extractum ſpiritu vini factum (BRVCH *Diſſ. cit. p. 13. ſqq.* Cfr. et SCHRADERI *Diſſ. de Anagallide, Hal. 1760.*) Alia ſcrutinia chemica alibi (*Diſſ. citt.*) quaeras.

Dicta tamen non ſinunt herbam omni vi medica orbam pronunciare, ſed reſoluendi et aperiendi poteſtate aliqua imbutam ſignificant. Plurimae quoque illi adſcriptae virtutes ad hanc ſpectant, dum contra viſcerum obſtructiones, ad menſes reuocandos, in hydrope rel. laudatur. — Nec alio modo auxilium praeſtitiſſe in melancholia potiſſimum et, quae ex hac haud raro oritur, mania arbitror, quod multorum plauſum tulit, QVERCETANI (apud ETTMÜLLERVM *Ed.* MANG. *Oper. Tom. I. p. 586. Tom. 3. p. 387. p. 862,* ipſo illo ſubſcribente) HARTMANNI (*Prax. chim-*

chimiatr. in Oper. omn. Ed. IOHREN. *p. 16.*) WILLISII (*de anim. brutor. cap. 12. p. 294. Ed. Genev.*) FR. HOFFMANNI patris (*Clav. pharm. Schröd. L. 4. S. I. §. 38.* item EIVSD. *meth. med. p. 290. 291.*) BIERLINGII (*Thes. theor. pract. p. 38. et 1041.*), MAROLDI (*Pract. med. p. 93.*), ROLFINCII (*Med. consultatoria p. 151.*), MICHAËLIS (*Oper. p. 740.*) aliorumque aetate hisce vicinorum, ex quorum potissimum scriptis sine dubio in recentiores de materie medica libros laudes in mania transmanarunt. Vbiuis autem breuiter, nec tam ample vt rei pondus requirit, haec vis memoratur. Quoad exhibendi formam arridet merito ob simplicitatem maxime QVERCETANI consilium, qui, praemisso vomitorio, decocto solo aqua facto vsus fuit; alii essentiam praecipue adhibuerunt vel simplicem vel ex succo herbae inspissato et tinctura Hyperici soluto paratam; aliis stirps, insigni aliorum farragine commixta, placuit. Aquae Anagallidis, quam crebro pro vehiculo adbibuit ROLFINCIVS, quis credulus fidat? Nec genio seculi nostri congruit, ex pannis linteis sanguine asinino imbutis et aquae Anagall. (HOFFM. *meth. med. p. 291.* cui aquae quidam, qui in sanguinem hunc curationis praecipuum meritum deferunt, alia liquida substituunt. Vid. ETTMÜLL. *l. c. T. 3. p. 387.*) immissis, donec aqua tingatur, dein epotanda, salutem maniacis promittere; etsi serius Cl. BOENNECKEN (*Biga casuum, Werth. 1744.*)

loco aquae pannos dictos decocto herbae immiserit, sicque eo ingesto binos aegros sanatos describat. Nimis liberaliter a variis auctoribus specifici contra maniam titulum tulit, quin imo virtus ad deliria in febribus extensa (GABELCHOVER *Cent. 6 curat. 13. p. 46.*), quum de constantia adeo virtutis in vnica illa mentalium morborum specie merito dubitetur, quae ab humore atrabilario oritur. GARIDELVS (*Hist. des plantes d'Aix p. 32.*) itaque in nosocomio maniacis destinato strustra sese numerosis experimentis eam praecepisse dolet. Nihilque pariter leuaminis ex decocto copiosius poto femina maniaca obtinuit (GVMPERZ not. ad LÖSECKII *Arzneym. Ed. 3. p. 329.*).

Sed iam dicendum de vi eius eneruandi virus rabiosorum animalium, quae et in hominibus et brutis explorata narratur. De hac quidem silet DIOSCORIDES (*Mat. med. Lib. 2. c. 209.*) sed morsis a viperis prodesse indicat, vt inde in alterum morsus genus transferendi vsum videatur ansa esse capta. Meminerunt eius BOCK (*Kreutterbuch Strasb. 1572. fol. 120.*), TABERNAEMONTANVS (*Kräuterb. Basil. 1731. p. 1093.*) IOACH. CAMERARIVS iun. (*Hort. med. et phil. p. 14.*), MAROLDVS, vetustiorum auctorum plures, sed maiori iterum breuitate, quam pro rabiei caninae atrocia par est. Alius mox succum vel aquam herbae morsos epotare, et hisce eluere vulnus iubet;

alius

alius herbam ouo butyro frixo inditam commendat, alius puluerem rel. Inter coaeuos noſtros reſuſcitauit hanc laudem iterum ex propriis, vt refert, et aliena quorundam ſibi amicorum medicorum experientia Cl. RAVENSTEIN (*in Samml. ſeltener Begebenheiten in d. Natur 1755. p. 419. ſq.*) et dein iterum interprete Cl. BRVCH (*Diſſ. cit. App. n. 2.*), qui et ipſe collectas varias aliunde hiſtorias nouas exponit. In vico Pirmaſens ditionis Hanouienſis ante 50 vel plures annos vir exſtitit, qui per longum tempus ipſe demorſis puluerem herbae optimo ſucceſſu exhibuiſſe, celansque qualis eſſet *vendendo illum* vndique in vicinia *lucrum inſigne feciſſe*, fertur, donec venator quidam comperta re arcanum vndique promulgaret (*l. c. p. 26.*). Singulari experimento villici cuiusdam prope Bipontum degentis capra vna a lupo rabido morſa hoc puluere ſeruata eſt, altera vero pariter morſa, cui autem ſtudio herbam non dederat, hydrophoba periit (*l. c. p. 27.*). Huc et pertinet teſtimonium magiſtratus Monaſterienſis in Alſatia ſuperiori de variis hominibus a lupo rabido fauciatis, ſed hoc vno remedio ſeruatis, quum alii negligentes illud miſere interierint. Vt ne vero deſiderentur medicorum nuperiorum narrationes vberiores, citandus Cl. KAEMPFIVS eſt, qui in grandaeua virgine, iam aquam horrente, manifeſtum furoris decrementum inde contigiſſe recenſet, et aliis in caſibus numeroſis

omnes, ante hydrophobiam Anagallide vſos, contra dirum periculum tutos manſiſſe (*l. c. App. n. 1.*). Nominandus quoque iterum Cl. RAVENSTEIN, qui ſeorſim mentionem fecit viginti circiter hominum a cane vere rabido vel commorſorum vel ſpumante ſaliua conſpurcatorum, quibus vero, inde a ſecundo die poſt, exhibito puluere ſuccurrerit (*l. c. App. n. 2.*). Et hi quidem hominibus vulneratis vel alio modo infectis pulueris *herbae drachmam dimidiam ad ſcrupulos* quatuor vel in aqua Anagallidis deſtillata vel eiusdem decocto, vel in infuſo Theae vel aqua ſimplici bis per diem exhibuerunt. *Vnde in pluribus aluus ſoluta, in aliis ſudor praeter conſuetudinem foetidus erupit.* Pecoribus pro ratione magnitudinis maius pondus herbae in lacte, iuſculo, cum ouis vel quolibet alio vehiculo datum. *Miror, quod in vniuerſum* vulnerum nulla alia cura ſit habita, quam quod, ſollerter antea aqua elota, quotidie ſemel puluere eodem conſperſa fuerint, et ſueto dein modo conſolidata (*Diſſ. cit. p. 27. 28.*): quum apertum diu ſeruare vulnus et effluuium eius alere inter primaria alias auxilia merito referatur, quin vnicum hodie (V. infra *Cantharides*) cenſeatur, vt eadem via, qua ingreſſum virus eſt, quam commodiſſime eliminetur. Detergendi eius ſiue purgandi vulnera et vlcera potentia iam quidem antiquitus notata, ſed hic non cum ſimplici vulnere, ſed venenato res agitur. Veneni tamen portionem

nem lotione auferri, aliam ſtirpe ſicca inſperſa imbibi, et hac ipſa affluxum humorum proritari, reliquam vero per excretoria varia loca eiici, Cl. BRVCHIVS ſibi perſuadet. Nec vnice, ante rabiem, oblatam, iuuiſſe indicant, ſed ea iam ſeſe manifeſtante, modo defuerit maior eius gradus, qui hydrophobia ſeſe declarat (*l. c. p. 41. ſq.*). — Verum conqueſti alii de Anagallidis in hoc morbo inertia. Ita iam IO. BAVHINVS (*Hiſtorie von etlichen Wölfen um Mümpelgard u. Belfort, in* HALL. *Bibl. pract. T. 2. p. 297.*). Viuiſci a Cl. ROVLET ſubminiſtrata mortis faucibus eripere non valuit feminam (HALL. *Hiſt. ſtirp. helv. n. 625.*). Maſſiliis *duo eiusdem inertiae exempla exſtiterunt, quamuis alia* contra atrox hocce malum laudata remedia iungerentur (RAYMOND in *med. Obſerv. and Inqu. Vol. 5. App. p. 2. ſqq.*). Nec vlla conſignatarum obſeruationum ſatisfacit Cl. TISSOT (*Avis au peuple p. 713.*), cui contra haec illi adiudicata efficacia valde dubia videtur. Vtinam nec mihi dubitandi vllus locus ſupereſſet. — Quicquid ſit, contigit tamen huic ſtirpi, quod aliis famoſis remediis antilyſſis, vt principum quorundam mandato praeſto eam habere pro caſu neceſſitatis praeciperetur, ſubiuncta ſimul medelae norma; idque factum eſt in ducatu Moguntino, iam a. 1747 (*Maynz. wöchentliche Anzeigen* eiusdem anni), principatu Bambergenſi (HASENEST *med. Richter P. 3. p. 2. ſqq.* BRVCH *Diſſ. cit. App. n. 4.*)

a. 1746, Bipontino (BRVCH *l. c. p. 36.*) et in ducatu quoque Gothano, Bauarienſi, Megapolitano (*Schleſ. ökon. Nachr. 1773. p. 239.*).

Non attinet, reliquas virtutes, quas inter veteres, praecipue DIOSCORIDES (*l. c.*), et PLINIVS (*Hiſt. mundi Lib. 25. cap. 13.*) fere omnino ex illo, commemorant, multis enumerare, quibus complures alias ſeriores medici ingenii potius ludibrio quam experientia, vt videtur, *ducti addiderunt*; quorſum laus in arthritide et calculo, in epilepſia, in ipſa adeo peſte, in odontalgia, ſi ſuccus naribus infunditur, haemorrhagiis, in phthiſi rel. pertinet. Multo minus *fas eſt*, ſuperſtitioſa et *fabuloſa varia*, quae in ignominiam ſtirpis cedunt, tangere. Horum omnium praeconiorum inſtar promi condi eſt ZORNIVS (*Botan. med. p. 63.*); nec *ſane pauca pro ſcopo* collegerunt Cl. BRVCH et breuiori commentatione Cl. SCHRADER (*locc. citt.*).

Ad DIOSCORIDIS de *efficacia ſucci Anagallidis* cum melle in vlcuſculis et hebetudine oculorum effatum, item narrationem de felici aquae eius in ſuffuſione ſucceſſu, (qui vix credibilis), quem multis procuraſſe Lutetiae femina memoratur (IO. BAVH. *Hiſt. pl. Tom. 3. P. 2. p. 370.*), attentos nos iterum reddit Perſarum hodiernus, contra incipientem cataractam equorum, vſus, quorum oculo goſſypium ſucco eiusdem madefactum extrinſecus applicant.

(SAM.

(SAM. GE. GMELIN'S *Reiſe durch Rußland, Tom. 3. p. 349.*).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

AQVA DESTILLATA *Ph. W. p. 6.* Iners.

OLEVM COCTVM *loc. cit. p. 122.* Ex herba recente conquaſſata et oleo oliuarum. In colica flatulenta infantum illitum abdomini vel clyſmate applicatum laudarunt, ſed non alio iure, quam quod oleum ſolum ſibi vindicat.

ESSENTIA *Ph. Brand. p. 85.* Eſt illa ſimplex ſpiritu vini facta, poſt BIERLINGIVM et HOFFMANNVM (*Clav. pharm. Schröder. l. c.*) a BÜCHNERO in *Pharmacopoea* dicta, impenſius laudata.

LYSIMACHIA.

LINN. *Syſt. veg. p. 164. Gen. pl. p. 83.*

203.

Pharm. NVMMVLARIAE *Herba.*

Lyſimachia Nummularia; foliis ſubcordatis, floribus ſolitariis, caule repente LINN. *Spec. pl. p. 211.* Nummularia maior lutea C. B. Icon: *Fl. Dan. p. 493.* REGNAVLT *Botan.* La Nummulaire. Pl. perennis in pratis et nemoribus vdis vulgaris.

HERBA ſaporis ſubacris et nonnihil adſtringentis cum acidi aliqua nota. In deſuetudinem, nec immerito, abiit, ita vt ex multis ſeriorum medicami-

mum indicibus exulet. Ad purganda conſolidandaque vulnera et vlcera inſigni valere vi olim creditum, quin ea, vt NIC. AGERIVS (in RYFFII *reform. Deutſch. Apoth. p. 187.*) illi extus, vel interne in potu, adhibitae reliqua omnia vulneraria poſtponeret. Pari fiducia in haemorrhagiis internis eam complexi ſunt, in haemoptyſi, haemorrhagia vteri, aliis, (v. GABELCHOV. *Cent. 1. Curat. et Obſ. med. 50.*) et alui profluuiis (BOERH. *Hiſt. pl. Hort. L. B. Rom. p. 285.*) Ita haemorrhagia vehemens et crebrius reuertens pilulis legitur coërcita, quarum baſis fuit extractum de Nummularia (SCHVLZIVS *Mat. med. p. 403.*). Phthiſi adeo par exiſtimatus ſuccus eius in iuſculo cum melle vel ſolus vel in connubio ſucci Bellidis (WALDSCHMIDT *Caſ. 20. in Oper. p. 155.*). Miror praeterea inſignem BOERHAAVII de imbecilli hac planta laudem, inter tot alios morbos, in ſcorbuto, in quo Cochleariae cum acetoſa mixtae ſupparem pronunciauit, niſi querela de male eius mente ab editore intellecta hic iterum redeat.

GEN-

GENTIANA.

LINN. *Syst. veg. p. 221. Gen. pl. p. 126.*

204.

Pharm. GENTIANAE RVBRAE *Radix.*

Gentiana lutea; corollis quinquefidis rotatis verticillatis, calycibus spathaceis LINN. *Sp. pl. p. 329.* Gentiana maior lutea C. B. Icon: MILLER'S *Figures Tab. 139. fig. 2.* Pl. perennis, in montanis et subalpinis Helueticis, Apenninis, Pyrenaicis, Austriacis crescens, vbi *latos tractus* occupat. In *hortis aegre cicuratur,* subinde tamen *mihi in* horto botanico Gottingensi floruit.

In Noruegia (vbi G. luteam non inuenit ill. OEDER, in Wallers et Tellemarken autem crescere copiose auctor est LINNEVS in *Fl. Suec. p. 227.*) substituitur ruri et in vrbibus radix *Gentianae purpureae;* corollis quinquefidis campaniformibus verticillatis, calycibus subspathaceis. LINN. *Sp. pl. p. 329,* depictae in *Fl. Dan. Tab. 50.* luteaeque in locum surrogari quoque in Germania fas est credere (HALL. *hist. stirp. helv. p. 539.*). Nam et haec amaritie insigni instruitur, quae, praeter dicendas species, multas alias, *G. asclepiadeam* (CLVS. *rarior. pl. hist. p. 313.*), *campestrem* (LINN. *Fl. suec. n. 230.*), *Pneumonanthem* (HALL. *st. helv.*

helv. n. 641.) *cruciatam* (*l. c. n. 643.*), *Amarellam* (LINN. *Mat. med. p. 76.*) nobilitauit.

RADIX noſtrae aliquod pedes longa, cylindrica, annulata, rugoſa, cortice obſcure bruno veſtita, interne flaua, compagis, dum ſicca eſt, ſpongioſae. Siccatam virulenti aliquid ſpargere, aemulum odoris Delphinii Aconiti folio (Delph. elatum L.) affirmat ill. AB HALLER (Praefatio eius in *Pharm. Helv. p. 9.*) hinc ſibi ſuſpectam eſſe, nec abſonum plane videri, illi effectum noxium tribuere, de quo in Anglia conqueſti ſunt, quamque tribuerunt Thorae admiſtae. Etenim ante aliquot annos apud Anglos radix quaedam pro iſta Gentianae habita in hominibus aphoniam, conuulſiones, paralyſes, coecitatem, quin mortem, creauit, in canibus autem ſpumam in ore, vomitiones vehementes, conuulſiones, artuum debilitatem, excitauit. Integra tamen, verae Gentianae radicibus interſperſa, diſtingui potuit colore ſuo extus griſeo bruno, vel et albido, ſapore acri pungente (BROCKLESBY *in Phil. Tranſ. n. 486. p. 240. ſqq.*), item rugis ſubtilioribus et propioribus, imo mucilaginoſa deſcribitur (LEWIS *Mat. med. p. 292.*). Vnde vix probabile verae Gentianae radicem fuiſſe. Armenta decerpere recuſant folia (HALLER), an ob amaritiem? prout alia amara, vt Trifolium fibrinum certe ad LINNEI experimentum, Abſynthium, Eupatorium cannabinum, Galen boues declinant (LINN.

LINN. *Pan Suec. in Amoen. ac. Vol. 2. n. 25.*). Nec nisi corporibus imbecillis vomitu infusum eius vinosum molestum fuit (LÖSECKE *Arzneym. p. 181. not. 21.*).

Praestantissima inter amara, vt vix aliud, quam Quassia, cum ea comparari possit, minusque reliquis plerisque, quin ipso Centaurio minori, nauseosa, vel calida (WHYTT *on nerv. Dis. 335.*). Tam aqua quam vini spiritus elicit amaras partes, copiosius tamen hic, quam illa (LEWIS *l. c.*), vt quonam menstruo radix efficacior sit, inde cognoscatur. Infusum huius, vt aliorum amarorum e vegetabilium censu, fermentationem carnis cum pane et aqua in vitris retardauit, *sicque antisepticam vim suam declarauit* (PRINGLE *Dis. of the army App. p. 66.*). Ita et extractum aqua solutum a putredine carnem bouillam per binos menses muniuit (*Essai sur la putrefaction p. 313. sq. p. 324. sq.*).

Non vltra sesquiseculum circiter ante Christum natum Gentianae notitia a quibusdam extenditur, quam primum GENTIO, regi Illyriae, vnde et nomen, tribuunt.

Omnium consensu radix ventriculi et intestinorum debilitati subuenit; quae consuetum post deuictas febres solet malum esse, et in morbis neruosis itidem tantum non semper obuium. Pituitam tenacem, ventriculum obducentem soluit, bilis *inertiae* subuenit, acidum primarum viarum frangit, fibris earundem to-

tonum reſtituit, vnde et alacrior fit ciborum digeſtio, nec flatuum mora conceditur. Fuit vir per quindecim annos doloroſo ventriculi ſenſu affectus, huius radicis autem ad drachmas duas per diem vſu ſanatus, inde enim aluus aperta, appetitus auctus, et dolor paucis diebus ſiluit, recrudeſcens mitiori gradu mox nouo praebio ſublatus (WHYTT's *Works p. 654.*). Tanto melius fertur et efficacior ſub miſcela aromatis grati et *menſtruo vinoſo* vel ſpirituoſo ſoluta; Elixirii ſtomachici ill. A ROSENSTEIN (V. infra praeparata) vel Tincturae ill. WHYTTII exemplo.

Eodem iure, quo alia amara, in arthritide proficit, *ſiue haec ex labe viſcerum chylificationis* primam originem trahat, ſiue labes iſta *poſtliminio*, enata iam arthritide, accedat. Primariam contra podagram vocauit BOERHAAVIVS (*Hort. L. B. p. 288.*). Intrat ideo *Puluerem antiarthriticum Ducis Portlandiae*, de quo ſupra (*Appar. med. Vol. I. p. 353 ſq.*) expoſui. Tinctura quoque WHYTTII arthriticis quadraginta vel quinquaginta annis minoribus plus ſolaminis praeſtitit, quam alia (WHYTT *l. c. p. 653.*). — Ob cognationem arthritidis cum calculo non miraberis, et huic cum fructu Gentianam fuiſſe oppoſitam (LINN. *Amoen. ac. Vol. 2. p. 159. 161.*).

Inter febrifuga quoque, inſtar aliorum amarorum, nituit, magis vero ante detectum corticem Peruuianum, quam poſt. Succo eius bis vel ter tertianas

nas ilico tutoque ſanauit C. GESNERVS (*Epiſt. Lib. 2. p. 63.*). Ruſticis alpinis et montanis in Aluernia ſaepiſſime radix contra febres ſucceſſit (CHOMEL *Pl. uſuelles T. 2. p. 137.*). Quin fuit, qui Chinchinae aequiparare, imo conſtantiorem virtute pronunciare Gentianam, vel per ſe datam vel in connubio nucis vomicae, haud dubitauit (LVDOVICI in *Pharm. modern. Ed.* WED. *p. 201. ſq.*). Commiſta et fuit feliciſſime cortice Fraxini ſale Abſynthii et Caryophyllis (LENTILII *Eteodrom. p. 326.*). Nocuiſſe tamen aliquando calida ſua natura compertum (SENAC *de recond. febr. nat. p. 185.*). Alibi defuit effectus conſtantia (TRALLES *Carlsbad p. 110.*). *Aſt non diffitendum, cortici* Peruuiano nuptam ſaepe iis conducere eximie, quorum ventriculus debilis ſolum corticem ferre nequit, et viſcera obſtructionibus laborant.

Quid in hiſce referandis generatim valeat, non eſt, vt multis demonſtrem, quum conſentiens experientia hanc amarorum vim iam dudum extra dubium poſuerit. Scilicet obſtructionum cauſa maxime vulgaris in vaſorum laxitate latet, quam roborandi ſua potentia tollit. Scrophulae huius etiam loci ſunt, a quibus grana decem extracti quotidie data puellam liberarunt (PLENCK *Mat. chir. p. 276.*). — Vermibus vero vix alio auxilio, quam tonum neceſſarium inteſtinis impertiendo, aduerſam arbitror.

Spon-

Spongiosa natura eam fonticulis at fistulis dilatandis idoneam facit; absorpto enim liquido intumescit, irritat et suppurationem auget. Vlcera insuper sordida purgat et gangraenae limites ponit, putredinem subigendo.

Ob amaritiem nec in puluere nec sola in infuso vel decocto commode ab aegris capitur, sed variae praeparationi subiecta.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

EXTRACTVM. *Pharmacopoea Wurt. p. 90.* et *Anglicanae* aqua illud parant; *Danica p. 173.* autem et *Suecica p. 110.* infusum spirituosum vna cum aquoso inspissando, qua encheiresi omnino efficacius. Forma pilulari vel et solutum vino siue aqua aromatica creberrime praecipitur, ad scrupulum vnum vel sesquialterum.

ESSENTIA. *Ph. W. p. 81.* Spiritu vini fit. A guttis quinquaginta ad octoginta capitur.

Anglorum officinae in varias suas formulas radicem recipiunt, v. c.

INFVSVM AMARVM SIMPLEX *Ph. Lond. p. 61.*

INFVSVM AMARVM *Ph. Edinb. p. 56.* quo nitidius comparet INFVSVM AMARVM *Ph. Edinb. nouiss. p. 57.*

IN-

INFVSVM AMARVM PVRGANS *Ph. Lond. p. 62.*, cum quo fere compositione et vi conuenit INFVSVM AMARVM CVM SENNA *Ph. Ed. p. 57.*

VINVM AMARVM *Ph. Lond. p. 65.* item *Ph. Edinb. nouiss. p. 65.*

TINCTVRA AMARA *Ph. L. p. 68.*

ELIXIR STOMACHICVM *Ph. Ed. p. 48.* a quo recentior formula in *Ph. Ed. nouiss. p. 71.* eo vnice differt, quod Serpentariae virginianae Canella alba surrogata fuit.

ELIXIR STOMACHICVM ROSENSTEINII (*Hus - och Reseapothek p. 97.*) ℞. Cort. aurant. rec. ʒvj, contus. *in mortario marmor. in massam pultiformem add.* Extr. Gent. rubr. ʒß M. Digere cum vini Portugall. ℔j. Colat. D. cochleare vnum in vino vel aqua Cinamomi. Vere eximium in ventriculo roborando absentibus sordibus.

TINCTVRA STOMACHICA WHYTTII (*Of nerv. Dis.* in Ei. *Works p. 635. sqq.*). ℞. Cort. Peruv. pulv. ʒiv Rad. Gent. Cort. Aurant. ana ʒjß, Mist. *infund.* Spiritus vini Gall. ℔iv in balneo arenae per dies sex et cola. Subinde cuilibet tincturae librae vna pel plures vnciae Spiritus Lauendulae compositi admiscentur, tam palati causa, quam vt melius feratur. Dictae tincturae cochleare vnum cum aquae cochlearibus quatuor vel sex mane et vesperi perexiimium leuamen praebet, quibus sub debilitate ner-

uosa ventriculus languet et flatibus distenditur. Sed vsu per duos vel tres menses protracto opus est, et post interualla iterum ad illum redeundum. Non nimium esse praeconium ill. auctoris, ipse expertus sum. — Virtutem eius in arthritide supra iam attigi, cuius insultu praesente augeatur pondus Gentianae et corticum Aurantiorum, et, si ventriculus torpet et flatibus infestatur, Nux moschata vel Zingiber admisceatur. Conuenit et tum duo cochlearia tincturae bis de die ingerere (WHYTT *l. c. p. 653.*).

205.

Pharm. CENTAVRII MINORIS *Herba* vel *Summitates.*

Gentiana Centaurium; corollis quinquefidis infundibuliformibus, caule dichotomo, pistillo simplici LINN. *Syst. veg. p. 222.* Centaurium minus C. B. Icon: *Fl. Dan. Tab. 617.* REGNAVLT *Botan.* la petite Centaurée. Pl. annua in locis montosis apricis Europae crescens. Frustra in horto botanico ferere illam aliquoties tentaui. Recipitur in officinas Varietas procerior rubro flore instructa.

Praestat me iudice, vti HERBA, quam summitatibus, sicuti vulgo fit, quoniam corollae hisce insidentes omnino fere insipidae (LEWIS *M. m. p. 198*) sunt. Ista vero valde amara cum ingrato sapore, odoris autem expers. Spiritus vini vnice partes amaras

ras eruit, aqua autem simul mucilaginosas; vnde prioris generis extractum magis amarum, sed quantitate parcius.

Proxime natura accedit ad Gentianam priorem, praeferenda tamen illi eatenus, quod indigena plerarumque regionum stirps est. Non cedit illi virtute antiseptica (PRINGLE *Dis. Append. p. 66.*). — Purgare aluum antiquitus (DIOSCORIDES *Lib. 3. cap. 9.* GALENVS *de simpl. facult. Lib. 7. n. 12.*) notatum; adstipulante seriori quorundam experientia. Strenue id agere ad drachmas duas in aquae vnciis octo ad medietatem cocto traditur (PRAEVOTIVS *Op. posth. p. 482.*). *Quod tamen non in omnibus ex decocto contigit, licet in quibusdam aluum mouerit leniter, in aliis emesin excitauerit* (WEDEL *Diss. de Cent. min. p. 30.*). Aperit et aluum essentia cum spiritu vini rectificatissimo, vel, quod praestat, spiritu cochleariae parata, ad guttas sexaginta vel vltra propinata, etiam extractum etsi paullo languidius (FR. HOFFM. *Diss. purgantia minus cognita,* in *Opusc. med. p. 414.*). In recenti herba vel extracto ex tali manifesta fuit haec efficacia (SCHVLZ *Mat. med. p. 140.*). Alius ad maiorem herbae quantitatem vnice eam restringit (cf. HOFFM. *med. officin. p. 194.*), sub qua lege quaelibet fortiora amara illam praestare deprehensum (ALSTON's *Lectures on the M. m. Vol. 2. p. 104.*) Ast DODONAEVS (*Pempt. p. 336.*) iterum, crebram

ſuam experientiam citans, eandem de ſtirpe noſtra negat.

De robore autem, quod ſtomacho impertit, quotidianis periculis conſtat, dum Gentianae rubrae in modum propinatur. Nec minus olim in febribus intermittentibus inclyta, vnde Herba febrifuga apud Germanos dicta, et a quibusdam, qui virium in diſpeſcendis medicamentis rationem habent, cum aliis amaris febrifugorum capite comprehenſa (e. g. WEDEL *Syll. M. m. p. 37.* CHOMEL *Uſuelles Tom. 2. p. 137.*). Ipſi quartanae caſu ſingulari non veritus eſt opponere SLEVOGTIVS (*Progr. de Cent. min. p 5.*) illam, ſummo cum leuamine, nec ſine ſpe integrae curationis, niſi aliam medicationem addere aegri impatientia iuſſiſſet. Verum nec hic empirice procedendum, animaduerſum enim ſummum ſaepe inde excitari aeſtum, ipſique febri igniculos addi, graui auctore (SENAC *de febr. p. 184.*); vt adeo nonniſi conditiones ſupra (*pag. 15.*) dictae eam admittant. Etiam hic copula cum cortice Peruuiano (CHOMEL *l. c.* SENAC *l. c.*) confert.

Multos pariter tenuit omni tempore eius in arthritide efficacia, de qua velim conferantur *Vol. 1. p. 354. ſq.* et nuperrime *p. 14.* a me prolata. — Tantum vero aperiendo et obſtructiones viſcerum reſerando valet, vt et hydropem natum diſpulerit (*Eph. N. C. Cent. 10. Obſ. 24. App.* SLEVOGT. *Progr. cit. p. 3.*)

Con-

Contra furfures et cruſtoſam ſcabiem capitis impenſe extollitur brodium ex piſis cum hac herba coctum pro lotione, qua ſimul pediculi necantur (SIM. PAVLLI *quadrip. bot. Cl. 3. p. 271.*). Chirurgi vero in vlceribus ſordidis non ſpernunt. Vlcus ſinuoſum et fiſtuloſum pro incurabili relictum herba inſtar cataplaſmatis externe applicata emolliuit, abſterſit et conſolidauit (WEDEL *Diſſ. de Cent. min. p. 29.*).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

AQVA DESTILLATA *Ph. W. p. 6.* Iners vulgo exiſtimatur. Sed *et ſapidam et olidam*, quin linguam *ſtimulantem inuenit cel.* SPIELMANN (*M. m. p. 206.*), hinc non indignam vſu habet.

EXTRACTVM *Pharm. omn.* Ingratius iſto ex Gentiana rubra. Vulgare eſt aquoſum. *Ph. Dan. p. 172.* vtitur menſtruo ſemiſpirituoſo. Hoc praeparationis genus prae reliquis arridet.

ESSENTIA *Ph. W. p. 79.* Spiritu vini fit.

SAL. Incineratione herbae producitur. Adhaerere huic quaedam veſtigia acidi, GMELINVS (*Comm. Petrop. T. V. p. 287.*) innuit. Sal Abſinthii aemulatur.

SYRVPVS *Ph. W. p. 206.* a QVERCETANO inuentore magni habitus.

PRIMVLA.

LINN. *Syst. veg. p. 162. Gen. pl. p. 80.*

206.

Pharm. α, PRIMVLAE VERIS
β, PARALYSEOS *Flores*; *Radix*; *Herba.*

Primula veris; foliis dentatis rugosis LINN. *Sp. pl. p. 204.* Var. α, *officinalis.* Verbasculum pratense odoratum C. B. Icon: *Fl. Dan. Tab. 433.* REGNAVLT *Botan.* la Primeverre. Pl. perennis, in pratis vbiuis obuia, verno tempore florens, sed non inter primas. Probe distingui debet a Varietate β, *elatiori* LINN. depicta in *Fl. Dan. Tab. 434*, quam pro singulari specie HALLERVS, SCOPOLI aliique agnoscunt. In *Var* α, quae vnice in officinis recipi debet, partes omnes paullo minores, sed calyx amplior et tubum corollae magis tegens, limbus corollae concauus, croceus laciniis saturatiori linea notatis, radix Anisum spirans. In *Var.* β autem statura omnium partium maior, calyx angustior et breuior, limbus corollae planus, pallide luteus, radix inodora. Mixtim saepe vtraque crescit. Non in omnibus tamen officinis Paralysis et Primula veris synonyma reputantur, sed in *Ph. Lond.* distinguitur inter vtramque, ita vt varietatem β elatiorem, Primulam, vocet; α, siue officinalem autem, Paralysin.

Raro

Raro hodie, imo Prim. officinalis, a medicis praecipitur, certe in Anglia et Germania, vnde et omittunt eam *nouiſſima Ph. Edinburgenſis* et indices multi ſuppellectilis medicae. *Ph. Suecica* (*p. 38.*) *nouiſſ.* autem adhuc eandem cenſet, et ſcio conſeruam florum in Suecia adhuc a quibusdam in pretio haberi. Non inficior tamen, nulla certa efficaciae exempla mihi obueniſſe.

FLORVM nomine corollae vnice cum affixis ſtaminibus intelliguntur. Odor illis ineſt fragrans gratusque, et ſapor amaricans. Aquam et ſpirituoſa menſtrua tingunt colore grate *flauo* et odore ſaporeque ſuo *imbuunt*. *Hinc et fermentatione cum ſaccharo et malis citreis* ſapidum vinum inde paratur (BRAVNER *om ſkötſeln af Boſkap - jämte Svenſka Viner p.* 7. et WARGS *Hielpreda p.* 497.). Reficere, dolores lenire, ſomnum gignere exiſtimantur (BOERH. *pl. hort. L. B. p.* 281. LINN. *Mat. med. p.* 57.); ob fragrantiam ſine dubio, quae in fortiter olentibus in vniuerſum ſenſorium commune mox refocillat, mox maiori halituum copia obnubilat. Aqua, deſtillata ex tota planta, fronti illita, dolores capitis tollere fertur (MATTHIOL. *in* DIOSC. *p.* 802.). Idem affirmatur de ſucco ex foliis et floribus expreſſo cum lacte hauſto in cephalalgia inueterata (RAII *Hiſt. pl. T.* 2. *p.* 1082.). Sic et ſtirpem ſpaſmos hyſtericos hemicraniam et vertiginem in feminis tarditate menſtruorum

laborantibus tollere (CHOMEL *Uſuell. T. 2. p. 21.*). — Dubito, an verior ſit adſcripta, quae nomen dedit, contra paralyſin facultas, idque non ſolum partialem linguae vel balbutiem (CHOMEL. *l. c.*), ſed etiam latioris ambitum, hemiplegiam, quae in homine herba Primulae veris, ſpiritu vini cocta, diſſipata dicitur. BARTHOL. in *Eph. N. C. Dec. 1. Ann. 2. Obſ. 2. p. 4.*).

In infuſo aquoſo commode flores dantur.

Nec HERBA *omni fragrantia* deſtituitur. Hinc mixtim aliquot caſibus cum floribus propinata offenditur. Ob oleraceam tamen naturam apud Anglos ad acetaria placentasque ſumta (RAY *l. c.*). et apud *Belgas* pariter ad haſce (BOERH. *l. c.*).

RADIX odore Aniſi et ſapore adſtringente prodit aliquid virium. Puluis eiusdem naribus attractus ſternutationem excitat (FLOYER *pharmacobaſanos p. 169.*). Acetum vero radice impraegnatum naribusque exceptum odontalgiam ſedare *mirifice* lego (BOERH. *l. c.*).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

AQVA DESTILL. *Ph. W. p. 7.*

CONSERVA *l. c. p. 39.*

SYRVPVS *l. c. p. 216.* Coloris grate lutei.

CY-

CYCLAMEN.

LINN. *Syst. veg. p. 163. Gen. pl. p. 82.*

207.

Pharm. CYCLAMINIS s. ARTHANITAE *Radix.*

Cyclamen europaeum; corolla retroflexa LINN. *Sp. pl. p. 207.* Cyclamen c. B. comprehendens multas Varietates, pro diuersitate figurae foliorum et radicis, tum et eius magnitudinis, inter se discrepantes. Κυκλαμινος DIOSC. Arthanita Arab. Icon: MILLER'S *Figures T. 115.* REGNALVT *Botan.* le Cyclamen. *Hort. Rom. T. 2. Tab. 63.* Folia cordata, denticulata, radicalia, bina. Pl. perennis in locis vmbrosis et siccis Austriae, Carniolae, Heluetiae alibique in Europa australi crescens.

RADIX rotunda et aliquantum compressa est, deorsum fibras demittens. Sub epidermide obscure bruna continet succosa cutem, quae lineam crassa est, intra quam caro alba. Gustata recens initio insipida, dein subacris sentitur, et linguam quasi obtundit (ALSTON'S *M. m. T. 1. p. 426.*). Quidam tamen recentem valde acrem describunt (HERMANNI *Cynos. M. m. T. 1. p. 112.* GEOFFROY *Mat. med. Traité T. 6. p. 186.*), sicca vero nihil acrimoniae prodit (*Aa. citt.*); vt tamen, si vera, quae de vehe-

mentia effectus narrantur, latens virus continere illam oporteat.

Obsoleta hodie, omni aeuo suspecta fuit. Abortum ciëre DIOSCORIDES (*M. m. L. 2. c. 193.*) monet. Violentia, qua aluum mouet, haud sine inflammatione faucium et primarum viarum (c. HOFFM. *Offic. p. 31.*), a plerisque reprehenditur. Lente tamen operari animaduersum. Succus abdomini illitus pariter aluum sollicitat, vt vel sic adhibitus abortum fecerit (DIOSC.). Praeterea a veteribus praecipue resoluens virtus radicis notatur, in strumis aliisque duris tumoribus et induratione lienis externo vsu conspicua; et interne contra icterum et asthma (GALEN. *de simpl. facult. L. 7. p. 852. ed.* RICC.). Addunt detergentem sub variis cutis affectionibus (DIOSC. GALEN.).

Dosin non attinet multis definire, quum radix iam neglecta iaceat. Olim magis recenti indultum, mellitis plerumque mitigatae. Drachma vna siccae in puluere et vncia dimidia in decocto assignatur (HERM. *l. c.*). Tutius censetur extractum spiritu vini vel aceto paratum a scrupulo vno ad grana triginta.

Mirum circa Astracanum comedi (SCHOBERVS in MÜLLER'S *Sammlungen Russischer Gesch. T. 7. pag. 88.*).

PRAE-

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

VNGVENTVM DE ARTHANITA *Ph. W. p. 240.* Succum *quidem* radicis Cyclaminis vel, hac deficiente, Bryoniae continet, sed tot alia drastica simul, Cucumerem asininum, Colocynthidem, Scammonium, Aloën, Euphorbium rel., vt effectus non vnice ad Cyclamen referri possit. Abdomini illitum infarcta viscera reserat, expellit faeces, vermes, collectam in hydrope aquam, item menstrua prouocat. Quoniam vero cutem rubefacit, parcius inungatur.— Concinnior formula ad subducendam aluum est FALLOPII (*Purg. c. 66.*), Cyclamen viride (*recens*) cum cerato rosaceo *misceri iubens.*

EMPLASTRVM DIABOTANVM BLONDELLI *Ph. W. p. 12.* centena alia recipit.

MENYANTHES.

LINN. *Syst. veg. p. 164. Gen. pl. p. 82.*

208.

Pharm. TRIFOLII FIBRINI vulgo, PALVDOSI Ph. Lond. *Herba.*

Menyanthes trifoliata; foliis ternatis LINN. *Sp. pl. p. 208.* Trifolium paluſtre C. B. Icon: *Fl. Dan. Tab. 541.* REGNAVLT *Botanique*, la Meniante ou le Trefle d'eau. Pl. perennis locorum paludosorum et lacustrium.

HER-

HERBA insigniter amara, nonnihil foetens. A pecoribus (SCHREB. *Samml. T. 3. p. 57.*) tamen non repudiata, quin ouium tabidarum remedium (ROBINSON in RAII *Hist. pl. T. 2. p. 1099.*). In Lapponia et Westrobothnia sub penuria foeni radicibus pecora saginantur (LINN. *Fl. Lapp. p. 50.*). Annonae autem charitas ipsos homines ibidem ex iis parua farinae copia commixtis panem etsi ingratum conficere coëgit. *Rusticis in Westrogothia folia* Humuli loco sunt ad acorem cereuisiae arcendum (*l. c.*). Amaritiem herba communicat tam cum aqua quam cum spirituosis. Ob hanc ipsam vbiuis in pretio est, multasque *cum aliis similis naturae remediis* communes vires exserit, quarum quasdam experientia *singulari* nixas enumerabo, vitando tamen nimietatem laudum, in quam IO. FRANCVS (*Trifol. fibr. historia, Franc. 1701. 8.*) et WILLIVS (*Act. Hafn. Vol. 3. n. 75.*) inciderunt, quum in variis eorum *casibus manifestum* sit, non vnice hancce *stirpem* curationis meritum tulisse.

In quibusdam puluis dosi scrupulorum duorum vel trium aluum laxat, haud sine torminibus, sunt qui inde vomitum experiuntur (WILLIVS *l. c. p. 103.*). Roborando ventriculum tam eius varia vitia topica tollit, quam remotiora ex huius labe pullulantia. — Nec reliquis amaris nuper memoratis in attenuanda tenacitate humorum et infarctibus referandis cedit.

In

In ſcorbuto efficax herba etiam tum, quum in vlcera erupit, quo fine cocta cum cereuiſia et largiſſime hauſta, vlcera vero decocto aquoſo lota foliisque eius vel recentibus vel aqua maceratis obtecta (WILL. *l. c. p. 124.*). Variis caſibus ſuffecit infuſum ſimplex vel eſſentia. Cochleariaeque praeferenda ob robur, quod ventriculo impertit, ſicque hydropicam diatheſin ſimul iunctam diſpulit (SIM. PAVLLI *Quadrip. bot. p. 173. ſq.* TILLING *Miſc. N. curioſ. Dec. 2. Ann. 2. Obſ. 74. p. 175.*). In Anglia ſuccus eius expreſſus domeſticum eſt apud ruſticos in exanthematibus foedis ſcorbuticis, quibus verno tempore corripiuntur (BVCHAN *Dom. Med. Verſ. Germ. p. 600.*). Haemorrhagias vteri eiusdem cauſae extractum compeſcuit (GVLDBRAND *Diſſ. de ſanguifluxu vterino Ed. 2. p. 92.*).

Arthritidis quoque in cereuiſia cocta remedium depraedicatur, foliaque aqua decocta calideque loco affecto applicata aegris ſolatio fuerunt (SIM. SCHVLZ in *Miſc. N. Curioſ. Ann. 4. 5. Obſ. 123. p. 133.*). Cum ſero lactis in ſe ipſo herbam expertum eſſe BOERHAAVIVM lego (HALL. *ſt. Helv. n. 633.*), nec, vt colligere eſt ex propriis eius encomiis, infeliciter.

Silentio praetereo vim febrifugam. — Verminantibus autem pueris profuiſſe certiori fide pronunciatur (WILLIVS *l. c. p. 130.*) pulueris ſcrupulus dimi-

midius vel integer quotidie ieiuno ventriculo cum decocto herbae vel cereuisiae tenui datus, sic pergendo ad dies duodecim vel quindecim, vnde primis diebus tormina quidem excitata eaque dira sine vermium excretione, qui autem subsequis diebus copiose sine torminibus secesserunt.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

EXTRACTVM, aquosum *vulgo*; semispirituosvm *Ph. Dan. p. 172.* Efficax et frequentis commodique vsus.

ESSENTIA. *Ph. W. p. 87.* Fit spiritus abstracti noua infusione. Rarius hodie praecipitur.

ORDO.

ORDO. XVI.

SEPIARIAE.

IASMINVM.

LINN. *Syst. veg. p. 54. Gen. pl. p. 9.*

209.

Pharm. IASMINI *Flores.*

Iasminum officinale; foliis oppositis pinnatis foliolis distinctis *Syst. l. c.* Iasminum vulgatius flore albo C. B. Icon: BESLER. *Hort. Eyst. Aest. 2. Ord. 11. fol. 2.* Frutex Indiae orientalis; in hybernaculis apud nos cultus.

Commendat illum tam elegans candor FLORVM, quam potissimum eorundem odor, qui toti generi inest, praecipue autem Iasmino grandiflоro L. suauissimus, specificus, a quo et aliae stirpes nomen mutuantur. Sapor illorum nonnihil amarus. Odorifera pars volatilis valde est, nec facile figi sese patitur. Ita destillatione neque aqua neque spiritus fragrans eruitur. Spiritus tamen vini oleo Iasmini mixtus agitando vitrum olidam partem absorbet, sed facile iterum dimittit, vitro licet obserato (DU HAMEL *Arbres T. 1. p. 310. 311.*).

Iam

Iam dudum vſus eorum medicus euiluit, vt et in multis de medicaminibus libris plane omittantur. Adſcripta tamen illis emolliendi, reſoluendi, item partum ſecundinas et foetum mortuum pellendi vis (v. ZORN. *Botanol. p. 363. et* BOERH. *Hort. L. B. p. 294.*). Vnice fere hodie pro

Oleo infuſo colliguntur, quod in Italia copioſe paratur. Operoſior hodieque neglecta via eſt, qua flores *recentes ſtratis alternis cum amygdalis* dulcibus excorticatis et nonnihil ſiccatis in commodum vas collocantur, ſuperimpoſito pondere, poſtero die flores ab amygdalis ſegregantur, hisque alii recentes ſubſtituuntur, *quod, quo frequentius iteratur*, eo melius, tandem oleum fragrans ex *amygdalis* expreſſione elicitur (ZWELF. *Animadv. in Ph. aug. p. 452.*). *Commodius et vſitatum* vnice hodie artificium eſt alterum (quod et iam ZWELFERVS *l. c.* memorauit), quo goſſypium oleo nucleorum Been *madidum* floresque Iasmini cribro ex *ſetis equinis facto* per alterna *ſtrata immittuntur*, donec cribrum repletum fuerit, poſtea probe tegendum, dein poſt quodlibet nychthemerum ſepoſitis prioribus noua florum *quantitas* per vices additur; goſſypio ſic fragrantia odoris probe imbuto, exprimitur oleum, in vitro bene clauſo ſeruandum (DU HAMEL *l. c.*). Hocce oleum extus membris paralyticis vel contractis vel ſpaſmo correptis, illitum, quibusdam placuit. Vix vero iamiam

alii

alii fini, quam pro odoramentis, inseruit, vnde et capillis infundi solet. — Ex *Philadelphi coronarii* LINN. floribus simile oleum obtineri, ill. A LINNE' (*Mat. med. p. 37. not.*) auctor est. Sed simplex infusio cum insolatione mihi non successit, etenim loco fragrantis olei, quod speraui, foetidum ex oleo oliuarum emersit.

OLEA.

LINN. *Syst. veg. p. 55. Gen. pl. p. 10.*

210.

Pharm. OLIVARVM *Fructus.*

Olea europaea; foliis lanceolatis LINN. *Sp. pl, p. 11.* Olea satiua C. B. Zait Hebraeorum. Ελαια Graecorum. Conf. DV HAMEL *Traité des arbres T. 2. p. 57. Tab. 14.* Icon: REGNAVLT *Botan.* l'Olivier. Arbor in Palaestina, Africa, in Europa australi, Galliae Prouincia et Languedocia, Hispania, Italia, sponte crescens. In nostris hybernaculis per hiemem seruata, aestate quidem, vt in horto botanico Gottingensi, flores, non vero fructus, fert.

Omni aetate ob pulchritudinem et perpetuum virorem frondis, fructusque insignem vtilitatem, hono-

rata. Plurimus eius vſus in ſcenopegiis Iſraëlitarum fuit, et inter primaria beneficia in Palaeſtina habita (v. ill. IO. GESNERI *Diſſ. Phytogr. ſacr. gener. P. 5. p. 23.*). Huius quoque praeſtantia capti ethnici Mineruae dicarunt.

FRVCTVS ſ. OLIVA, quae praecipua arboris pars, drupa eſt vel magis vel minus oblonga, vtrinque rotundata, conſtans ex carne fungoſa, dum recens eſt, amaro auſtera, intra quam nux anguſtior aſpera craſſa valdeque dura nucleo albo dulci. Forma, magnitudine, colore multis modis differt, vnde Varietatum copia inſignis notatur: fructu maximo (Oliuae *Hiſpanicae* C. B. *Olive d'Eſpagne*); fructu oblongo minori (Oliuae minores *Genuenſes et ex Prouincia* C. B.); fructu oblongo atrouirente; fructu albo; *fructu minori et rotundiori* (Aglandau); fructu maiori carne craſſa (Oliuae regiae CAESALP. Olivier royal); fructu maximo ſubrotundo (Ampoulan); *fructu minori* rotundo, rubro *nigricante*, *fructu minori* odorato (Olive de Luques) rel. De hiſce omnibus legatur C. BAVHINI *Pin. p. 472.*; CVPANI *Hort. catholicus Neapol. 1696:* MAGNOLII *Botan. Monſpel. p. 189*; TOVRNEF. *Inſtit. rei herb. p. 599. ſqq*; item *Giornali d'Italia T. 10. p. 366.* vbi ſpecies ſic dictae 32 ex MICHELIO ſignificantur. Noſſe eas intereſt, quoniam quaedam pro condiendo fructu, aliae olei cauſa, aliae iterum ob fructuum abundantiorem meſſem praeroga-

gatiuam ſibi vindicant. In omnibus autem, vt fructuum tanto vberior prouentus fiat, vel vt tanto meliores euadant, cultura accedat neceſſe eſt. Optimos fructus fert arbor plantata ſolo lapidoſo ſicco arido, quod et radices contra putredinem ex aqua ſtagnante et iniurias ex hiemali frigore vel aeſtiuo ardore tuetur (FOVRNIER in RICHARD DE HAVTESIERCK *Recueil d' Obſervations de Med. T. 1. p. 9.*). Nimia autem ſtercoratione vel ſolo humido oleum tenacius euadit, facileque corrumpitur (*l. cit.* et DU HAMEL *Traité des arbres T. 2. p. 60.*). Maxime vulgare propagandi eam genus eſt, per ſurculos ex radice vetuſtiorum arborum emergentes, quibus, poſtquam in quincuncem diſpoſiti fuerint, ramuſculi cultarum arborum inſeruntur; hiſce factis nonniſi poſt octo vel decem annos fructus ferunt. Altero quouis anno meſſis liberalior. Plura de cultura legere eſt in *Trattato di* PIERO VETTORI (qui antiquus etſi, non ſpernendus tamen auctor) *delle Lodi e della Coltivazione degli Ulivi in Firenze 1762*; DU HAMEL *l. c.*; *Giornali d' Italia T. 10. p. 365. ſqq. p. 385. ſqq.* Tempore ſicco copia ſaepe oliuarum ante maturitatem cadit, plane inutilis; nocet quoque valde nebula verſus maturitatem incidens. Plurimum mali inſuper affert inſectum bialare, cuius eruca arrodit oliuas ſeque intra illas abdit, aperturam claudens ſuis excrementis, ſicque ſe contra inimicarum ſibi formicarum in-

fidias muniens (V. *Observations et Experiences sur les moyens de garantir les olives de la Piquure des Insectes*, par M. SIEUVE, *à Paris 1769*. Mihi modo libellum hunc contractum legere licuit in *Giornali d' Italia cit. v. 23. 24. 25. 26.* Vid. et *Tab.* ad *p. 205.*)

Fructus conditi. Pro conditura eliguntur oliuae carnosae magis et volumine maiores, quae tamen parciorem olei quantitatem quam aliae exiliores minusque sapidae submministrant (FOVRNIER *l. c. p. 8.*). Decerpuntur in prius dictum finem virides nondumque maturae, quae ipsae ingratam amaritiem habent. Hac vt exuantur et sapore salino aromatico impraegnentur, varia artificia excogitata sunt; quae omnia hic enumerare non attinet. *Vix vnquam oliuae* cruciatim ad nucem vsque discissae (quo aroma salque tanto *melius* penetret), et aromaticis stirpibus, e. gr. Foeniculo, Anetho, semine Coriandri etc. saleque per strata varia dispositis, et aquae *prius calidae*, dein frigidae, tum aromaticae et salsae infusione praeparatae, transmittuntur. Nec malleo ligneo antea aliquantisper contusae ad exteros perueniunt; sed integrae, quae amaritiem suam vel maceratione protracta, in aqua, repetitis vicibus affusa et decantata, vel maceratione in lixiuio ex calce viua et cineribus perdidere, et dein, si lixiuium hocce adhibitum fuerit, probe aqua pluries per aliquot dies mutata lotae, tandem in vtroque casu sale aromatibus-

que

que cum ipsis *oliuis* per strata collocatis et aqua infusis conditae *fuere*. Hispanos embemmati aliquid aceti addere *probabile*. Variae aliae artes in patria arboris *hac* in re exercentur, vbi et oliuis matures*centibus* vel vere maturis aromate varie conditis ves*cuntur* (DU HAMEL). In vniuersum autem illae acetarii genus constituunt ventriculo roborando proficuum, nec palato ingratum. Hinc et embemmatibus admiscentur.

OLEI vero causa praecipue oliueta instruuntur. Bonitas eius tam a solo, quam specie fructuum eorumque iusta maturitate, *tum et expressionis* ratione ipsa, *dependet*. *Optimum oleum* suppeditat *Olea* supra *Aglandau dicta*. Maturitatis gradus colore cognoscitur, qui non in omni specie idem, niger, vel saturate ruber (Colorem *rosso vinato* requirit cl. SIEUVE in versione Ital.), etiam compage molliori, nec non tempore definito. Amarum emergit oleum ex fructibus immaturis, acre autem mucidum et vnguinosum ex nimis maturis, expressum. In Gallo-Prouincia vitium exspectando iusto diutius plerumque committitur (SIEUVE.). Decerpuntur tempore oliuitatis manibus, vel, quod v[illegible]peius, concutiendo arborem delapsae oliuae colligu[illegible]tur. Quo citius post collectionem exprimitur oleum, tanto praestantius euadit. Mora longiori relictae et coaceruatae fermentationem facile subeunt, quae lucri cupidini qui-

dem fauet, largiorem olei copiam ſuppeditando, ſed vilius oleum reddit (FOVRNIER *l. c. p. 9.*). Hinc et nouiſſime cl. BOWLES (*Introduccion a la Hiſtoria natural y a la Geografia fiſica de Eſpaña p. 432. ſq.*) ex putridis fructibus in Hiſpania exprimi conqueſtus eſt. Vulgaris oleariorum methodus eliciendi oleum illa eſt, quod oliuae vna cum nucibus incluſis ope molae in pulpam conquaſſatae fiſcinis ſiue ſaccis ex iunco paratis indantur, horumque plures ſupra ſe inuicem poſiti torculari ſubiiciantur. Machinarum fabricam depingendam curauit ill. DU HAMEL (*l. c. Tab. ad p. 72*) et magnam earundem varietatem cl. ROZIER (*V. in Obſervations ſur la phyſique etc. Tom. 8. p. 417. ſqq. Vues economiques ſur les Moulins et Preſſoirs a l'huile d'Olives connus en France ou en Italie. Tab. 1 - 7.*), qui nouiſſime ſtudio deditaque opera in optimam earundem pro temporis et impenſarum parſimonia, et olei bonitate conſtructionem inquiſiuit. Primum, quod in labrum defluit, puriſſimum eſt, *Oleum virgineum* vocant, et acetariis vſuique medico conuenientiſſimum eſt, diuque ſeruari ſeſe patitur; quod ſubſequente cochleae contorſione elicitur, donec nihil amplius exundet, paullo vilioris pretii eſt. Quae intra fiſcinas reſtat maſſa (marc des Olives) manu in alium ſitum redigitur et aqua feruente humectatur; ſacculis ſic apte diſpoſitis noua preſſione aqua multo oleo ſcatens defluit, quod, poſtquam ſuperficiem

ciem aquae in *vase* suppositio petierit, trulla separatur. Quidam ne *tum quidem* acquiescunt, sed nouae pressioni massam superstitem vel statim vel post praegressam fermentationem submittunt, et ope aquae feruidae nouam quantitatem olei eliciunt, quod vero nonnisi pro lampadibus vel saponibus commodum est (DU HAMEL). Furni vsui aptioris fabricam excogitauit cl. VENEL (*sur l'usage de la Honille p. 346. sq. Tab. 6.*), quo aqua coquitur ad expressionem olei huius secundarii necessaria, carbone fossili calefacienda. Quodlibet horum oleorum amurcam siue sedimentum deponit statione, vnde *post aliquot dierum* moram in alia *vasa pars limpida transferri debet, repetitis adeo*, si opus, vicibus (DU HAMEL). Iam antiquitus constitit, optimum oleum ex carne oliuarum erui. CATO (*Scriptores rei rusticae cap. 66. Ed.* GESN. *p. 70.*) *nucleis*, scite inquit, *ad oleum ne vtatur, nam si vtetur, male sapiet*, et COLVMELLA (*cap. 50. Ed. cit. p. 816.*) *ne nucleus, qui saporem olei vitiat, confringatur.* Ita et discrimen obtinet inter oleum, quod testa nucis, et illud quod nucleus ipse suppeditat. Scilicet primum ex carne *subtile* et dulce est, grate odorum, coloris cedrini; alterum ex testa non limpidum, acre, ingrate dens; tertium ex nucleo tenax, obscuri coloris, fortisque odoris. Plurimi igitur interest, expressionem ita dirigere, vt quodlibet olei genus seorsim colligatur. Qua arte id fiat, edocuit cl. SIEUVE (*Giornale*

d'talia T. 10. n. 26 et icon ad *p. 205.*) describendo et depingendo peculiarem machinam in hunc finem fabrefactam. Eo vero fabrica eius redit, vt fructuum carnem a nucibus separet et ex hac primum oleum exprimat. Hocce prelum praeterea id commodi affert, quod olei quantitas sexta parte augeatur, et purius blandius minusque rancori obnoxium oleum acquiratur. Sub tanto consensu mirum est cl. VENEL (*sur la Houille p. 368.*) non negare solum praestantiam olei ex carne fructuum expresso, sed praeferre adeo alterum ex nucleis, ob liquidiorem, quam illi tribuit, naturam. Vt in sua integritate conseruetur oleum, *oportet vti ampullis vitreis* arcto collo instructis bene obturatis et loco *frigido repositis.* Dolendum, cl. SIEUVE instar arcani abdidisse praeparationem spongiae, quam pro longiori conseruatione in vasis fundum collocat. Transmissio vero largioris copiae olei in doliis quernis fit. *Non videtur* vbiuis recepta encheiresis esse ad separandas aquosas et mucilaginosas partes et ad rancorem arcendum, tantillum salis communis addere, quod vna cum partibus istis recensitis fundum petit, (quam tamen describit cl. LEWIS in *M. m. p. 415.*).

Mala arte oleo Raparum vel Lini dulcedinem et albedinem olei oliuarum conciliare quidam, huiusque nomine illa olea vendere, conati sunt, eadem in vasis plumbeis planis per aliquod tempus digerendo,

ex

ex commendatione adeo DEGNERI (*Breslauer Sammlungen Verſ. 31. p. 208. ſqq.*). Solutam hac ratione plumbi partem extra dubium eſt; hinc iſta ab vſu interno abeſſe omnino debent, nec pro lampadibus in arctis conclauibus ſatis tuta, licet in oeconomia alias vario fine, et in medicina pro vnguentis emplaſtrisque variis, quae ſaturnina alias recipiunt, ferri poſſint. (Conf. REAUMUR in *Mem. de l'ac. d. ſc. de Paris* 1746. *p.* 495. NEVMANN in *Miſcell. Berol. T.* 4. *p.* 321. *ſqq.*

Oleum igitur oliuarum genuinum, vendi ſolitum, ſubflauum eſt, pellucidum, non nimis vnguinoſum, ſaporis blandi, *odoris vix vllius.* Aetate rancescit *eoque citius loco calido repoſitum, et pro ratione rancoris* acre fit. Frigore coit, opacum fit et albeſcit inde a gr. 38 therm. Fahrenh. (MVSCHENBROECK *Phil. nat. T.* 2. *p.* 616.). Quod nonniſi circa punctum congelationis aquae cogitur, rancidum eſt. Aëre libero nihil ponderis ſui diſſipat, nec in balneo arenae quidem per quindecim dies infra punctum ebullitionis aquae retentum (BERGII *Mat. med. T.* 1. *p.* 12. 13.). Operae non pretium eſt hic omnes notas, quas cum oleis vnguinoſis communes habet, recenſere.

In oeconomia multiplicis eſt vtilitatis. Pabulum conſuetum lampadibus apud ditiores praebet flammaque lucida ardet, tantillum modo fuliginis ſpargente, nec nidoroſa, niſi dum ſtupa exſtinguitur.

Aptiſſimum igitur litteratorum lucernis nec oculis pulmonibusque adeo infeſtum, vt alia olea expreſſa vſitata. Ad iſtas vero lampades non conducit, quae hieme libero aëre ſuſpenduntur, quoniam frigore cogitur. Ex hoc et Soda optimae notae ſapo paratur, de quo infra ſub capite Salicorniae. Oleum hocce carnes illi, intra fictilia ampla luto probe clauſa, immerſas diu contra putredinem tuetur (V. ROZIER in *Obſervations ſur la phyſique etc. a. 1771. Sept. p. 75.*). Butyri loco vti illo multis religionis opinio iniungit, vnde et monachi tam crebro herniis infeſtantur. Sed et inter meridionales gentes vulgare eſt, illud butyro ſubſtituere. Septentrionalibus pro Lactuca ſimilibusque acetariis vulgare additamentum exiſtit. Taceo vſum eiusdem illiti ad machinarum motus facilitandos et reliquos vſus oeconomicos.

Ob pinguedinoſam naturam in corpore noſtro acres ſtimulos inuoluit, fibras vaſaque lubricat, emollit, ſtricta nimis relaxat, ſtagnatione ſanguinis tumida maturat. Quum oleo amygdalorum gratia proxime accedat, ideo et poſt hoc omnium frequentiſſime per os ingeritur. Depraedicanda omnino egregia eius facultas eſt, venenum acre eneruandi, eroſa inteſtina obducendi, tuſſim a ſtimulo acri vel ſpaſmo mitigandi, ſtranguriam doloresque nephriticos pacandi, ſpaſmos, a quibus dolores vteri poſt partum colicique ſaepe oriuntur, item illos, qui poſt operationes grauiores chi-

chirurgicas tot *mala* creant, reſoluendi, inteſtina in hernia vel ileo *conſtricta* relaxandi, aluum nimis ſtrictam reſerandi. *Largiori* copia, vt alia pinguia, facile emeſin creat. *Raro*, niſi veneno cauſtico deglutito, ſolum ingeritur, *ſed* vitello ouorum ſiue gummi arabico ſubactum vel *ſalino* in ſaponem mixtum, vel ſaccharo in electuarii ſpeciem redactum. Extrinſecus admotum ſimiles generaliter dictis virtutes praeſtat, quare et crebro partibus inungitur variaque forma applicatur, et vulgare clyſmatum additamentum eſſe ſolet, prout ad dolores a calculo veſicae lotii mitigandos iniectio eius multum confert. *Claudendo poros* ſaepe nocet, in *morbis praecipue, qui miaſma pro cauſa habent.*

Sed inſiſtendum quibusdam ſeorſim diutius. — Non probo Italorum frequentem olei in febribus variis inflammatoriis quin putridis et bilioſis (PANZANI *Raggionamento ſull' uſo interno degli ogli nelle febre grave* 1775.) vſum, qui non poteſt non debilitare ventriculum, nauſeam vel vomitum gignere et rancore, quem calore facile concipit, augere febrem bilemque corrumpere. Nihilominus commendatur impenſe a Gallo (FOVRNIER in RICHARD DE H. *Obſerv. l. c. p. 69.*) iis in febribus (putridas et malignas vocat), in quibus lingua aegri cum interno ore ſicca, craſſa, aſpera et nigricans eſt, vnde aquoſis liquidis obſtaculum ponitur, quo minus penetrent, quod vero emol-

liente

liente et relaxante vi olei tolli credit, vt et peccanti materiae liberiorem exitum primae viae concedant, et liquidum pro diluendo sanguine necessarium recipi queant; in hisce quoque ideo illi placet, quoniam alvum blande laxet.

Tanquam anthelminticum considerare iubet nos communis oleosorum in insectis vermibusque necandis potentia, quam REDI aliorumque experimenta confirmant, quae non immerito inde deriuatur, quod oleum, quo submersa fuerunt vel oblinita haec animalia, eorum spiracula obturet. Contra vermes intestinorum pariter valere olea varia ore sumta constitit, quae inter licet tenaciora, quae aëre siccantur nec frigore coguntur, vt oleum Nucum (V. *Appar. med. T. 1. p. 60.*) vel Lini efficaciora appareant, tamen nec oliuarum oleum spe excidere medentes sinit. Conducit vero non solum ideo, quod vermes necet, sed quod tenesmos doloresque intestinorum et spasticas constrictiones compescat. Instar arcani olim in Gallia fuit succus Granatorum oleo oliuarum commixtus, quod vero reuelauit FORESTVS (*Oper. Lib. 21. Obs. 27. p. 350.*) illius cochlear vnum, huius cochlear dimidium adolescenti cuidam exhibendo. Oleum commune, (quo nomine Ol. oliv. intelligo) cum vino a mulieribus Gallis verminantibus exhiberi, RIVERIVS (*Prax. med. Lib. 10. p. 504.*) narrat. Successit et cl^mo WALL (*Phil. Transf. Vol. 50. P. 2. p. 839.*) oleum cum spi-

ſpiritu volatili aromatico, vt tanto melius ſeſe cum humoribus primarum viarum commiſceret, ſubactum, et bis de die captum. Requiritur autem olei larga copia pro qualibet doſi (HOFFM. *Suppl. ad Med. ſyſt. de infant. morb. c. 10. de vermibus p. 83.*); variisque aliis, vt aromaticis amaris, oleis eſſentialibus, vtiliter iungitur, nec commoda purgantia per interualla ſubminiſtranda negligi debent (WALL *l. c. p. 841.*).

Non nouum inuentum eſt, in hydrope illud inungere, ſed nuperioribus annis priſtinam modo famam recuperauit ſollertiaque maiori in vſum tractum; qua in re tam ad frictionem quam ad olei ipſius efficaciam reſpiciatur. *In hydrope anaſarca frictionem primum cum oleo moderatam et mollem, in progreſſu autem ſiccam et intentiorem, dein per lintea aſperiora ſuaſit* AËTIVS (*Serm. 10. c. 28. p. 244.*). Salem addi iuſſit GALENVS (*de compoſ. med. p. loc. Lib. 9. cap. 3. p. 943. Ed.* RICC.). Velleri inductam amurcam hydropicis imponi voluit DIOSCORIDES (*M. m. L. 1. c. 134.*). Frictionem ter quaterque quotidie cum oleo et quibusdam calefacientibus adminiſtrandam commendat CELSVS (*de medic. L. 3. c. 21. p. 164. Ed.* KRAVS.), ſed quod memorabile, a ventre abſtineri praecipit. Recentior contra aetas inunctionem olei aſciti nominatim deſtinauit, ſupra abdomen exercendam illam curans. Ita ſanata legitur femina, cuius abdomini oleum coctum ranarum inunctum

(FO-

(FOREST. *Opp. Lib. 19. Obſ. 35. Schol. p. 253.*). Poſtquam vero cl. OLIVER M. D. tria aſcitis feliciter hac encheireſi curati exempla recenſuiſſet (*Phil. Tranſ. Vol. 49. P. 1. p. 46.*): multi alii medici auide eandem imitati ſunt. Aſciticis plurimum conduxiſſe expertus L. B. de STÖRCK (*Ann. med. 1. p. 90.*). Duo caſus memorabiles ample deſcribit cl. MEDICVS (*Beobacht. a. d. Arzneyw. p. 569. ſqq.*). Nec in Gallia rara vel infelix fuit eiusdem applicatio (V. GARDANE *Gazette de Santé 1773. et 74. p. 29. 254. 267. 279.*). Profuit vero ſub enormi ex collecta lympha intumeſcentia totius corporis (OLIVER *l. c. p. 47.* MEDICVS *l. c.*), etiam in aetate *prouectis* (*Feminae ſeptuagenariae* meminit OLIVER), in inueterato adeo aſcite, *prout eo, qui* cachexiam quindecim annorum ſub ſymptomatibus variis *icteri et hydropis* ingruentem excepit (OLIVER), quando paracenteſis aliaque auxilia multa fruſtra antea tentata. Caſu ſingulari miſcela huius *olei* cum ſpiritu ſalis ammoniaci *profecit, quum oleum* ſolum fruſtra per octiduum adhiberetur (DESGERAVD in *Journal de Medecine T. 43. p. 128.*). Encheireſis ea eſt, quod abdomen aegri mane et veſperi, vel *ter* de die per quadrantem vel dimidium horae, vel eandem integram manu oleo oliuarum madida perfricetur, quod *ipſum* per aliquod hebdomades, vel menſem iteretur. Sic poſt aliquot dies feceſſus lotii copioſus inſequitur, et aluus pro voto ſoluitur corpus-

pusque sub redeunte virium integritate detumescit. Rediit quoque oleo applicato in feminis quibusdam menstruorum fluxus antea suppressus (OLIVER, GARDANE.). Superstes diutius pedum tumor simili eorundem tractatione disparuit (MEDICVS). Frictionis in vniuersum in hydrope insignis efficacia, qua nimirum tenax liquidum atteritur, stagnans mouetur, et resorptioni aptius redditur, tumoresque hydropici dispelluntur. Blanda vero mollisque olei natura prohibet, ne hac ipsa cutis laedatur, vel adeo inflammetur aut gangraenescat, sinitque illam diutius continuare frequentiusque repetere. Anne et cum ill. TISSOTO (*Epist. med pract. p. 415. sq.*) in censum trahere iuuat impeditam per oleum pororum cutis vim humidum aëris resorbendi? Vix crederem tantum valere inunctionem ad abdomen vnice restrictam, arceri vero humiditatem aëris posse, si in toto corpore perficeretur. — Ast non vbiuis neque certum neque tutum auxilium. Tribus casibus exspectationem cel. TISSOTI (*l. c. p. 420.*) frustratum est. Nec profuit integumentis nimium tensis et tenuibus, respirationeque valde difficili (STÖRCK *l. c.*). Casu quodam auxit tumorem valdopere, aliisque binis motus febriles quodlibet tentamen excitauit (MEDICVS *l. c. p. 577.*).

Multos tenuit depraedicata huius olei in enerυando morsu viperarum efficacia, quam experimentis

tis alii firmare, alii rursus refellere se posse arbitrati sunt. Non ad recentiora quidem inuenta haecce ipsa referri potest, etenim in libro sub finem superioris seculi iam edito (*Medicina curiosa*, primum a. 1688. dein iterum a. 1705. impressa) iam memoratur. Sed signum quasi experimentorum capiendorum serius dedit vir quidam singularis in captandis viperis peritiae WILHELMVS OLIVER, qui primum a. 1734 Windsorae praesentibus DERHAMO multisque aliis non obtusi nasi viris, a binis viperis in pollice et brachio morderi sese passus, nulla alia medela contra effectus exortos quam oleo oliuarum inuncto conualuit. (BVRTON in *Phil. Transf. Vol. 39. p. 312.*). Idem postea praesentibus variis Societatis scientiarum Londinensis membris aliisque a serpente venenato (common Adder) circa articulum pollicis dextrae manus morsum sustinuit, eo effectu, vt tam in loco sauciato, quam remotis corporis partibus solitae sequelae, vt intumescentia partis, dolor, languor, respiratio difficilis, tumor ventris, vomitiones aluique deiectiones crebrae rel. sese exsererent, nec alio remedio post moram vnius et quadrantis horae vti voluit, quam oleo hocce, calide super carbonibus ignitabuli candentibus a coniuge brachio, vndique inuncto, idque igni tam prope ac fieri posset, quasi vstulare vellet membrum. Cordiales quidem haustus a praesentibus medicis illi ob debilitatas nimis vires dati, sed maius longe so-

la-

latium attulit vitrum vnum vel alterum olei oliuarum epotum; et continuata per plures dies inunctione, quae et in aliis dolentibus membris adhibita, omnino in ſanitatem rediit. Binarum columbarum eadem ſimul vipera commorſarum, quibus nihil applicatum, vna intra horam, altera intra ſeſquihoram periit, carne in gangraenam abeunte et ſanguine coagulato nigroque. Cani contra ea et alii columbae nihil mali poſt inflictum ab alia vipera vulnus, vtpote bene perunctis, acceſſit. Taceo experimenta, quae vir iſte inſtituiſſe in vaccis, equis, canibus, decem adeo horis poſt morſum, ipſe profeſſus eſt (MORTIMER *l. c. p. 313.*). *Oxonii pariter et ille vulnera duo, et coniux eius tria ſibi inferri coram teſtibus idoneis non recuſarunt, vtrobiuis ſucceſſu eodem, ſeduloque ibidem cautum, ne fraus committeretur.* Pulli vero gallique iuniores, item catulus, fruſtra oleo inuncto, poſt vnam vel plures horas perierunt (ATWELL *l. c. p. 394.*). Dein Plymuthi in alio coetu doctorum virorum idem experimentum vir ille oleⁱ inuncti ope impune tulit, dum columba ſibimet relicta interiret; catulis felibus et columbis pariter ſeruandis iterato a medicis tentamine ſuffecit (WILLIAMS *Phil. Tranſ. Vol. 40. p. 26.*). Duo hucusque modo recenſita ſunt hominum, quibus ſucceſſit tentamen, eorundemque Anglorum, exempla. Dresdae aliud incidit hominis in digito a vipera commorſi, inde-

indeque insigni brachii tumore doloreque cum virium prostratione insigni affecti, sed calidi olei inunctione et liquore anodyno minerali, irritis aliis, periculo erepti (ABR. VATERI *Diss. de antidoto nouo aduersus viperarum morsum praestantissimo, Wittemb. 1736. Programma* eius, quod in titulo alium casum felicem allegat, legere mihi non contigit.). Felici etiam euentu inunctio olei Hasniae narratur tentata a Practico olim experientissimo, b. FABRICIO, in rustico in dorso pedis morso, sed in subsidium tracta mixtura acetum et Theriacam continens (FLENSBVRG *Diss. de olcor. express. vsu med. Hasn. 1773. p. 45.*). Ita et Flensburgo retulit cl. BÖSSEL, se oleo hoc tam ingesto quam inuncto sanasse hominem a vipera manu et lingua sauciatum et in collo symptomata grauissima sentientem (*l. c. sq.*). In Gallia patrocinium tulit viri non creduli (CLAUDE POUTEAU, *Melanges de Chirurgie, 1760. p. 155. sqq.*), qui quatuor vipera commorsis eo vnice auxilio fuit, quod manum sauciatam ollae oleo hocce repletae immergendam oleoque fouendam, variis mali ominis effectibus iamiam se exserentibus curaret. Ex duabus columbis vna a vipera mare necata, oleum etsi applicaret, altera, vipera femina commorsa, huius ope conualuit. — Par quoque euentus disparitas contigit in experimentis istis numerosis, quae inuitante academia scientiarum Parisiensi (*Mémoires de l'ac. R. d. sc. 1737. p. 183. sqq.*) cll. GEOFFROY et HUNAULD

NAULD in pullis gallinaceis, canibus, felibus, anſere, meleagride ceperunt. Quibusdam horum animalium poſt morſum varia temporum a vulnere inflicto diſtantia, oleum illitum, aliis vero non; plurima eorum pars, quae ſeruata ſunt, non peruncta, alia multa peruncta nihilominus interierunt. De ſimili inconſtantia effectus olei in hominibus, ill. A LINNE' querela eſt, qui aliquoties adhibuiſſe ſeſe oleum affirmat, ſed exitu exſpectationi aduerſo (*Amoen. acad. Vol. 2. p. 407.*), et mulierem nominatim Colubri Cherſeae morſu, oleum etſi tam copioſe potaſſet quam inunxiſſet, miſere necatam dolet (*Amoen. cit. Vol. 6. p. 213.*). — Conciliare diuerſa iſta de effectu olei teſtimonia arduum eſt. Id primum, caſum vnum A LINNEO allatum ſi excipias, reprehendo, quod ſpecies ſerpentum non fuerit ſignificata. Vere venenatos fuiſſe plures, dubitare non ſinunt peritia virorum, qui experimentis adſtiterunt, et effectus mali, qui morſum exceperunt; quis vero veneno infeſtos fuiſſe omnes, qui ſanationem admiſerunt, nos conuincet, et quis eiusdem malignitatis omnes et ſingulos venenatos eſſe ſerio affirmabit? vt igitur oleum, quod vnius ſpeciei virus eneruat, contra alius venenum nihil valere probabile ſit. Iteratis itaque tentaminibus res videtur digniſſima. Variat praeterea in vna eademque ſpecie morſus effectus pro profunditate vulneris diuerſa, pro parte vel magis vel minus

neruoſa, pro irae, qua ſerpens ſuccenditur, gradu, pro copia ſaliuae venenatae et per aduncos dentes effuſae, quae poſt morſum vnum vel alterum inflictum parcior et debilior eſt, pro numero vulnerum illatorum, pro maiori vel minori ſanguinis ex plaga effluxu, pro diuerſitate inſuper temperiei animalium vel caloris aërei. In tanto experimentorum numero horum momentorum aliquid facile potuit neglectum eſſe. Saltim inſignes fuiſſe olei virtutes in hominibus vitae periculo ereptis negari nequit. Quod vero hae non vnice oleo oliuarum competant, inde palam fit, quod axungia viperina multis, a ſerpentibus commorſis, auxilium attulit (MEAD *Opp. Tom. 2. p. 47. Ed. Gott.*), et oleum ſcorpionum huius inſecti puncturam innocuam ſimili applicatione reddidit. Haec omnia inuoluendi acre virus et ſpaſmos relaxandi poteſtatem habent. Oleum oliuarum ideo praeferri meretur, quod vbiuis proſtat, et adiuuante carbonum calore tanto magis penetrat. Partem virtutis etiam a vi ignis deriuarem, quum vlcera aliaque quaedam vitia externa admoto carbone feliciter curari recentius compertum, quin adeo vlcus ex morſu hominis irati (FAVRE *Mem. de l'ac. de Chir. T. 5. p. 821.*), et ſocietas ſcientiarum Anglica OLIVERVM vſtulaſſe quaſi brachium ſuum referat, niſi cl. POUTEAU iam a manu ollae oleo repletae immiſſa effectum eximium percepiſſet, et alii ſimplici inunctione

ac-

acquieuiſſent. — Haec inunctio etiam in puncturis apum, veſparum, aliorumque inſectorum non mediocris praeſtantiae eſt (FABRICIVS et BÖSSEL *ll. citt.*).

Vix rabiei caninae duplici caſu a cl. BOENNIKEN (*Fränk. Samml. I. B. p. 490. ſq.*) curatae meritum oleo oliuarum tribues, ſi, praeter interna varia, ſcarificatum emplaſtroque veſicatorio obtectum vulnus fuiſſe memineris.

AMVRCA ſ. maſſa poſt expreſſionem olei in ſaccis reſidua in glebas pro foco redigitur. Sed et vtiliter applicatur *in paralyſi et doloribus* ex cauſa frigida (*rheumatismos chronicos intelligo*), vnde transpiratio cutanea vel ſudor abunde pellitur, ita vt, ſi vniuerſalis eius applicatio fiat, in ſyncopen aegrum cadere pronum ſit (FOURNIER *l. c.*). Podagricis et arthriticis recentem calente fotu opitulari, iam notauit DIOSCORIDES (*M. m. L. 1. cap. 134.*).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

LINIMENTA, VNGVENTA, EMPLASTRA, OLEA INFVSA et COCTA pleraque oleum hocce recipiunt.

OLEVM PHILOSOPHORVM *Ph. W. p. 131.* Paratur oleum oliuarum cum lateribus in puluerem redactis deſtillando. Acre ſic per ignem blandum

oleum euadit et tenuius et penetrantius. Contra paralyfin, rheumatiſmum, conuulſiones, et vlcera ſordida externa adhibetur. Interne quoque quidam etſi rariſſime ad paucas guttas exhibent.

ORDO XVII.

BICORNES.

ARBVTVS.

LINN. *Syſt. veg. p. 339. Gen. pl. p. 220.*

211.

Pharm. VVAE VRSI *Folia.*

Arbutus Vua vrſi; caulibus procumbentibus, foliis integerrimis LINN. *Spec. pl. p. 566.* Vua vrſi CLVS. *rarior. pl. hiſt. p. 62.* Deſcriptam prolixius cernis in *Comment.* mea *de Arbuto Vua vrſi, Gotting. 1764.* Icon: iunioris plantae, in LINN. *Fl. Lapp. Tab. 6. fig. 3;* ſenioris, in GIRARDI *de Vua vrſina nouae animaduerſion., Patauii 1764.* recuſ. in cel. SANDIFORT *Theſ. Diſſ. T. 2. Tab. 8;* ramuſculorum abſciſſorum in *Fl. Dan. Tab. 33.* Frutex ſemperuirens, hu-

humilis, etsi aetate largo spatio diffusus, locis sterilibus apricis sabulosis obuius, idque in syluis et montibus tam calidioris quam frigidioris Europae, in Hispania, Gallo-prouincia, Italia, Corsica (VALLE in *Nov. Act. Nat. Cur. Tom. 4. App. p. 212.*), Heluetia, Suecia, Lapponia, Noruegia, Islandia (KÖNIG in *Nov. Act. N. C. Tom. 4. p. 207.*) per totam pariter Sibiriam, etsi non copiose, prope Wolgam autem copiosissime. In Germania quidem parcior, lectus tamen prope Vindobonam, in Carniola, Styria, in Silesia superiori, Gryphiae, in Rugia, ad Hassiae inferioris montem Weissner, in Alsatiae monte Breitenau et Sundgouia; et, vt de ditione Hannouerana seorsim dicam, in ducatu Cellensi versus Schelplau; item in ducatu Bremensi in itinere inter Nienburgum et Hamburgum, perill. o. A MÜNCHHAVSEN (*Litt.* ad me datae) eum inuenit. In America ad fretum Hudsonis crescit (CHARLEVOIX in *Hist. de la nouv. France T. 2. addit. p. 5.*). et in Canada 22 circiter milliaribus trans Quebecum copiose conspectus (a KALMIO in *Resa til Norra America P. 3. p. 426.*). Vt reliquarum bicornium, ita et huius, propagatio per semina valde difficilis, nec minus translatio ob arescentem mox post euulsionem corticem radicis tenellum, et conseruatio in hortis molesta.

Impoſuit incautis ſimilitudo eiusdem cum *Vaccinio Vitis idaea* LINN. cuius erroris ne C. BAVHINVS (*Pinax p. 470.*) quidem videtur immunis fuiſſe. Sed Vua vrſi *folia* gerit ad baſin anguſtiora, craſſiora, ſubtus integra, Vitis idaea autem baſi latiora, tenuiora, ſubtus *punctata*; iſta caules procumbentes, haec oblique aſſurgentes; iſta corollam ouatam, germini ſubiectam ſtaminibus decem, haec campanulatam, profundius inciſam, germine ſuperiorem, ſtaminibus octo; iſta baccam farinaceam ſiccam, inſipidam, loculis ſeminibusque plerumque quinque, haec baccam turgentem ſucco acido loculis quatuor ſeminibusque numeroſis.

An Vua vrſi ſit ἄρκου σταφυλη GALENI (*de comp. med. ſec. loc. L. 7. c. 4. p. 548. Ed.* CHART.), quae ab iſto in haemoptyſi laudata, vel ἰδαιας ριζη DIOSCORIDIS (*Mat. med. L. 4. c. 42. Ed.* VERGIL. *p. 487.*), ob adſtringendi vim in alui laxitate, muliebri fluxione et haemorrhagiis ſiſtendis, depraedicata, poſt inquiſitionem etſi ſollicitam (V. *Comment. mea cit, p. 11.*) definire non auſus ſum, dum alii memet minus in determinandis veterum ſtirpibus timidi haud verentur. Non eſſe ſaltim proxime dictam plantam probabile eſt.

Praeferri merentur eae plantae, quae locis apricis naſcuntur, reliquis, quae locis opacis reperiuntur (GIRARDI *l. c. p. 457.*).

Fama,

Fama, quae ante viginti, et quod excedit annos, de eius *in* calculo et vitiis aliis viarum lotii efficacia Vindobonae increbuerat, et me olim ad obseruationes experimentaque impulit, quorum summam in *Commentatione* citata exposui. Praecesserat opusculo cl. GERHARD (*Die Bärentraube chymisch-medicinisch betrachtet, Berlin 1763. 8.*), item cl. QVER alio (*Dissertacion sobre la passion nephritica, y su verdadero specifico la Uua-vrsi ò Gayubas, Madrid 1763. 4.*), quod vero non nisi aliquot annos post in versione (*Dissertation sur la maladie nephritique, et sur son veritable specifique le Raisin d'ours, à Strasbourg 1768. 8.*) legere mihi datum est. *Eodem anno*, quo ego, stirpi dicauit studium suum cl. GIRARDI (*de Vua vrsina eiusque et aquae calcis vi lithontriptica nouae animaduersiones, experimenta, obseruationes, Patauii 1764.*), neutro nostrum alterius operae gnaro. Dictis a me antea de stirpis huius virtutibus interserere multa, recentiori luce cognita, iam vacat.

FOLIA gustata mox stipticum saporem produnt, postea vero grate amarum, saliuamque copiose alliciunt. Caules, et horum quidem cortex, adstringunt longe magis, quam folia, amaritie autem hisce inferiores sunt, lignosa parte fere omnino insipida. Odor foliorum siccorum is est, qui Glycyrrhizae radici, vel eius extracto (Cf. *Comment. mea p. 21.*).

Quid chemia inde eruat, expoſuerunt ill. GERHARD (*l. c.*), MODEL (*Zweyt. Schreiben wegen der Beſtucheffſchen Nerventinctur, welchem eine phyſ. chym. Unterſ. und Vergleichung der Fieberrinde mit der Uva vrſi beygefügt iſt, 1763. p. 17. ſq.*), Egomet (*l. c.*), item cl. GIRARDI (*l. c.*). Adſtringentem naturam praeter ſaporem mihi declarauit ater infuſi vel decocti cum vitriolo martis miſto color, et nigredo ſpathulae ferreae, qua extractum agitaui. Plus foliis ineſſe gummoſarum partium, in quibus amarities latet, quam reſinae deprehendi, quae viridis et inſipida eſt, licet vtriusque arctum conſortium ſit. Vnde patet, pro vſu medico aquoſum menſtruum ſpirituoſo eſſe praeferendum. Decoctio partes efficaces valentius euoluit, quam infuſio. Maximum pondus earum conſtituit terra, quae tamen ſtipitibus adhuc maiori quantitate ineſt. Pauxillum ſalis alcalini fixi inſuper ſtirpem ingreditur (*Comm. m. p. 34.*). Cl. MODELII (*Zweyt. Schreib. p. 17. 19. 22. 23.*) ſcrutinium praecipue circa foliorum recentium ſuccum ope pauxilli aquae expreſſum haeſit, quem tam infuſo quam decocto antiſtare efficacia, ex chemicis experimentis colligit. Deſtillatione foliorum ſiccorum ex vaſe retorto luto obducto ſuper forti igne aſcendit aqua acidula, liquor acidus ſubruber empyreuma olens, tum oleum nigrum tenax (GIRARDI *l. c. p. 458.* Conf. MODEL *l. c.*).

Tem-

Tempus *locus*que, quo primum haec ſtirps in calculoſis *affectionibus* adhibita fuerit, expiſcari vix datur. *Cl.* QVER (*Verſ. cit. p. 84.*), qui gloriam *inuentionis* patriae ſuae Hiſpaniae adiudicatam cupit, a. 1734. Neapoli ſe iam praecepiſſe illam aliosque ibidem triginta annos antea refert. A. 1743. conſtitit (LINN. *Progr. ad orat. de telluris habitab. incremento* in *Amoen. acad. Vol. 2. p. 407.*), plures ante annos Monspelienſibus medicis in pretio fuiſſe. Maximam vero in ſe inde ab a. 1756. attentionem mouit, ex quo ill. DE HAEN (*Rat. med. T. 2. p. 160.* et ſequentibus *Tomis* variis) experimenta *ſua in calculoſis capta* publici iuris faceret.

Quid contra calculum valeat, experimentis etiam extra corpus humanum tentare operae pretium eſt viſum. Equidem ſimpliciſſima forma vſus, decocto tam frigido, quam calido, eius caloris gradus, qui corpori animali ineſt, calculos vrinarios cruſtoſos pariter ac murales dictos (h. e. ex variis moleculis glutini iunctis conflatos) per ſufficiens tempus immerſi, ſed etiamſi quidam horum friabiliores inde euaſerint, hanc mutationem iuſtius aquae quam ipſi ſtirpi adſcribendam putaui, fultus peculiaribus ſuper hac re a me inſtitutis experimentis (*Comment. m. p. 54. ſqq.*). Cl. GIRARDI rurſus liquori acido ſupra dicto calculos varii generis vrinarios immittens, emollitionem, aëris exploſionem, ponderis diſpendium, tanquam indicia ſoluendi po-

poteſtatis indubia conſiderauit. Nec haec vis liquoris, lotii ſaliuae vel bilis miſcela, debilitata (*l. c. p. 461.*), ita nec connubio vini vel ſuccis vegetabilium, certe haud paucis. Spiritus vero vini eandem inertem reddidit, et adiecta oua, piſces, ſaccharum vel mel (*l. c. p. 464. ſq.*), manifeſte eam minuerunt. Iniectum in lotii veſicam liquorem aqua dilutum varia animalia ſatis probe tulerunt, per os vero infuſus vomitum creauit, ventriculum contraxit et inflammauit (*l. c. p. 462. ſq.*). Miror, quod cl. GIRARDI ex hiſce experimentis Vuae vrſi vim lithoritripticam veram euinci exiſtimet, quum potius nouo teſtimonio ſint, hac virtute valere acida, certe multis in caſibus, ad quorum cenſum liquor eius exploratus pertinet. Miror quoque, quod non iſto liquido vſus fuerit in aegris ſuis, quum tantum illi tribuat, ſed foliis modo in puluerem redactis vel decoctis.

Pleraque felicis in calculo ſucceſſus documenta ad illum in renibus haerentem pertinent; quo ſpectant teſtimonium ab editore formularum cl. BARBEIRAC (*p. 163. Lugd. 1751.*), plures ill. DE HAEN (*Rat. med. T. 2. p. 170. T. 3. p. 177.*) caſus, duo a me recenſitae hiſtoriae (*Comm. m. p. 41. 45.*) b. WERLHOFII, cll^orum TAVBE et PALLAS narrationes, quarum etiam (*l. c.*) iam memini, tria a cl. QVER (*l. c. p. 84. ſqq.*) notata exempla, tertium a cl. SCOVOLO (apud GIRARDI *l. c. p. 473.*) et aliquot a cl. GIRARDI (*Obſ.*

(*Obſ.* 2. 4. 6.) item tria a cl. BUCHOZ (*Traité des plantes de la Lorraine T. 6. p. 389. ſq.*) iterumque a cl. GESNERO (*Samml. v. Beob. Vol. 3. p. 243.*), memoriae prodita. Profuit vero Vua vrſi et iſtorum multis, in quibus de praeſentia calculi in veſica vrinaria vel ſignis ſuis (GIRARDI *l. c. Obſ. 4.*) vel catheteris exploratione (HAEN *Rat. med. T. 3. p. 143. 147. 150. et Tom. 5. p. 145.*) conſtitit. Imo retentio vrinae, quae in diem decimum octauum iam durauerat et ex calculo vrethrae impacto originem traxerat, irritis reliquis omnibus, Vua vrſi ſublata fuit ab ill. BERGIO (*Litt. m. Nouembr. a. 1778. exaratae*). Euentus idem in calculo, ſiue *infanti bienni* (HAEN *l. c. T. 6. p. 177.*), ſiue *ſenibus decrepitis* (*T. 4. p. 253.* BUCHOZ *l. c. p. 391.*), exhiberetur. Nec vetuſtas mali inanem eam reddidit, quin in octogenario (HAEN *l. c.*) per quadraginta annos durauerat, tamenque leuatum. Quibusdam promtum auxilium conciliauit, aliis vero opus fuit per multos menſes in vſu pergere (*l. c. Tom. 2. p. 164.*), ſunt quos perfecte omnino ſanitati reſtituit (*l. c. T. 2. p. 171. T. 3. p. 176. T. 4. p. 253. 265.*). Nempe dolores inde miteſcere coeperunt; vel conticuerunt omnino, dyſuria vel ſtranguria moleſta vel iſchuria ceſſauit, cruor vel parcius vel rarius cum lotio receſſit, item puriformis materia, donec omnino ſupprimeretur, ſtupor cruris vel pondus latentis calculi diſparuit, multum ſabuli cum lotio prodiit, vel etiam lapilli veri eie-

eiecti. Hique subinde haud exigui, e. g. calculus Phaseoli magnitudinis (GIRARDI *Obs. 2.*) et alius tam magnus, vt per vrethram sine chirurgi auxilio protrudi non posset (BUCHOZ *l. c. p. 390.*). Qui contra calculum renum vsi sunt ista, glabriores postea lapillos excreuerunt (ROSENSTEIN in *Hus- och Reseapot. p. 62.*). Aliis leuamen modo malorum attulit (HAEN *l. c. T. 4. p. 256. T. 5. p. 145.*). In connubio acidularum contra recrudescentes eorum insultus praeseruauit (cl. ALIX *Observ. chir. Fasc. 4. p. 31.*). In nonnullis, symptomatibus licet omnibus sublatis, calculus tamen cathetere adhuc tangi potuit (*T. 3. p. 151.*). Mucus ille in calculosorum lotio vulgaris post rite adhibitam stirpem manare in quibusdam desiit (quorsum exempla perfecte sanatorum et aliud *T. 3. p. 146.*), in aliis parcius fluxit, in aliis rursus, deuictis licet reliquis incommodis, prout ante perstitit (vt in aegris meis). Facilis quoque eorum, qui sanati videbantur, omissa medela, vel malo vitae genere, in pristinum malum relapsus fuit (*l. c. T. 2. p. 164. 166. T. 3. p. 144. T. 4. p. 254.* Casus duo a me in *Comment.* narrati. GIRARDI *l. c. Obs. 3. 6.*).

Absit autem vt omnibus adiumento esset (DE HAEN *l. c. T. 10. p. 277.*). Quidam per nouem adeo menses frustra illam ingesserunt (*l. c. T. 6. p. 197.* Conf. *T. 4. p. 254.*). Tum nominatim nihil virium praestat,

ſtat, quando vel a calculo, vel a pure vel ab vrina ſaepe diutiusque retenta inſignis lotii viarum degeneratio (*l. c. T. 9. p. 257.*) ſuborta. Pluries tamen et tum opem fert, quando a calculo in vrinariis et vicinis, vt ſcroto, pene, perinaeo, exulcerationes productae fuerunt, vel et pus ex ſuperioribus cum lotio feceſſit (*l. c. T. 2. p. 163. 166.* GIRARDI *Obſ. 5.*). Nec venereum inquinamentum impedimento eſt, modo mercurius prudenter interpoletur (DE HAEN *l. c. T. 3. p. 178.* Cfr. GIRARDI *l. c. Obſ. 3. 6.*).

Efficax igitur omnino in calculo Vua vrſi cenſenda remedium. Veretamen ſoluere illum, non perſuadeor. Huic opinioni nec, quantum capio, extra corpus humanum inſtituta experimenta fauent, nec phaenomena in aegris, quibus offertur, obuia. Nimis promte ſaepe effectus inſequitur, quam vt emolliri, deliqueſcere vel dilabi calculus inde poſſet; nimisque cito ſaepe redeunt mala priſtina neglecto vſu, quam vt in nouum coaleſcere poſſet; vere ſubinde ſuperfuiſſe, ſymptomatibus etſi ſilentibus, catheter declarauit. Nec, me iudice, a calculo quidam liberatus omnino dicendus eſt, in cuius lotio mucoſum iſtud, albumini oui haud abſimile, haeret, quod, in charta bibula ſiccatum, mihi fabulum ſubtiliſſimum album, ſplendeſcens, quaſi ex meris cryſtallis conſtaret, erogauit, vt prima calculi ſtamina conſtituere probabile mihi videatur. Hic vero mucus ſaepe poſt alia

mala

mala deuicta ſuperſuit. Magni tamen Vua vrſi facienda, quoniam cruciatus reliquaque incommoda tollendo vitam tolerabilem negotiisque aptam reddit, lotium praeterea ſabulum et lapillos in maiorem calculum concreturos pellit, tum et roborando renes diatheſin ad calculum ſufflaminat. Adſtringentium efficacia in calculo pellendo (Cfr. HEUCHERI *Diſſ. de calculo per adſtringentia pellendo Witteb. 1711.*) iam dudum conſtitit: ſed in noſtra ſtirpe amaritiei quoque reſpectum eſſe habendum autumo, quae aliis exemplis in malo affini, arthritide, tot aegris ſolatio fuit, et peculiarem inſuper opem vi ſua balſamica exulceratione iam nata pollicetur. An vis eius vnice a ſenſilitate et irritabilitate lotii partium per tempus imminuta dependet? Ita ſenſit cl. GERHARD (*v. d. Bärentraube*). Hinc et cl. BISSET (*med. Eſſays p. 157.*) exiſtimat conuenire in dyſuria ſymptomatica ex irritatione a calculo orta, ad inflammationem diſſipandam et irritabilem vim veſicae minuendam. Multa quidem contraria ſunt huic explicationi, licet non abſonum credere arbitrer, quod, prout non quiuis ſtimulus a quouis neruo ſentitur, ita nec ſingulorum neruorum ſenſus ab eadem obtundente vi infringatur.

Verum et in variis lotii viarum vitiis, in quibus nulla manifeſta calculi ſuſpicio, efficaciam ſuam declarauit. Huius generis ſunt exulcerationes harum par-

partium (DE HAEN *l. c. T. 4. p. 253.*); item dysuria et stranguria ex praegresso maligno morbo (*l. c. T. 4. p. 261.*), dysuria in sene (b. VOGEL in *Comment. m.*) et in aliis ex haemorrhoidibus enata (GIRARDI *Obs. 1. 3.*); mictus cruentus ex vitio collum vesicae occupante cum mictu valde doloroso et purulento (SCOVOLO *Cas. 1.*); mingendi stimulus molestissimus cum lotio mucoso (*l. c. Cas. 2.*); catarrhus vesicae, in quem casu singulari mucosa in pectore collectio transiit, decocto autem stirpis et Glycyrrhizae sub nitri miscela sublatus (ROUX *Journ. de Med. T. 43. p. 126*); paralysis denique vesicae apud senem, quae supra tres menses ad *lotium euocandum catheteris applicationem requisiuit*, intra paucas hebdomades planta nostra sanata (PLENCK *Mat. chir. p. 276.*). — In fluore albo grauiori casu singulari (*Comment. mea p. 59.*) profecit; quod in memoriam iterum reuocat similis ab alio (cl. BICKER *Mat. med. p. 98.*) significatus successus. — Tentamen vero in phthisi purulenta, ad quod inuitare facile poterat vsus in vlceribus renum, successu caruit (HASENÖHRL *Hist. febr. petech. Obs. 10. p. 69.*).

Vtinam vero reliquae hucusque dictae laudes vbiuis personarent, nec aliorum vel de inertia vel de sinistro effectu querelis turbarentur. Minus tutam Vuam vrsi pronunciauit SAUVAGES (*Nosol. meth. T. 3. P. 2. p. 200.*). Nihil virium declarasse vel ante vel post

sectionem in calculosis dolet ill. ACREL (*chir. Handalagens förkårt. p. 53.*) exemplis peculiaribus quoque allatis (EIVSD. *chir. Händelser. Ed. 2. p. 370. 372.*). Vnico modo verbo indicant medici Londinenses sodalitio iuncti, complures eorum frustra istam praecepisse (*Praef.* ad *med. Observations and Inquir. Vol. 3. p. 5.*). In mictu cruento chronico cum tenesmo et dysuria graui, qui vesicae vlcus causam habuit, summum WERLHOFIVM casu singulari destituit (*Comm. m. p. 39.*). Nullum pariter lenimen conciliauit homini incontinentia vrinae cum vlcere vesicae absque calculi vel sabuli indiciis laboranti, sed molestias potius exasperauit (FOTHERGILL in *med. Observ. T. cit. p. 144.*). Ita affirmat cl. LEWIS (*Mat. med. p. 622.*) omnibus casibus, qui sibi in Anglia in notitiam venere, multa incommoda creasse sine vllo apparente leuamine. Quod mirum sane, quum ill. DE HAEN nec non cl. QVER (*l. c. p. 77.*) expresse moneant, ex protracto medelae vsu nullum malum effectum contigisse. Si manifesta inflammatio in hisce malis sese adsociat, vt non raro accidit, et ego arcendos ab vsu aegros censeo: vtrum autem vere adfuerit in casibus allatis, non dixerim. Illustrem AB HALLER stranguria et dysuria per plures annos laborantem non nisi breui tempore solabatur (*Comm. nov. Soc. sc. Gott. T. 7. p. 6.*). Exiguam modo vim diureticam infuso aquoso inesse, notat cl. ALEXANDER (*Exp. Essays*

p.

p. 151.). Alius vero in connubio tantummodo aliorum emolumenti aliquid inde redundare arbitratur (HEUERM. *Bemerk. T. 2. p. 80.*).

In puluere folia Vuae vrſi exhibere conſuetiſſimum eſt, a granis quindecim (SAUVAGES) ad ſcrupulum vnum vel duo (DE HAEN), ad drachmam vnam vsque (QUER), quod rarius, ſemel, bis vel ter vel quater de die. QUERIO, (*l. c. p. 80.*) placuit amplior doſis, nam minoribus aluum ſolutam ſicque aegrum defatigatum obſeruauit. Quibusdam diſplicet nimium amarities, vinci vero poteſt capto mox hauſtu aquae frigidae, vnde in ſaporem grate dulcem mutatur, vel mitigari addito tantillo ſaccharo (QUER). Minus faſtidii excitat infuſum, ſcilicet ex foliorum drachma vna et aquae cyathis duobus vel tribus (SAUVAGES), vel ex drachmis duabus foliorum et libra vna aquae feruentis. Decoctum tamen, quo et vſi HAENIVS et QVERIVS fuerunt, efficacius eſſe, ex ſuperioribus de analyſi chemica dictis, apparet. Iubet vero SAUVAGESIUS (*l. c.*) iacturam abraſi muci refarcire iuſculo emolliente poſt quodlibet praebium. Lenimen licet ſaepe ſubito et intra paucos dies contingat, pergere tamen in vſu per plures hebdomades vel menſes conuenit. Doloris vehementia ſubinde ſub vſu huius remedii paregorica vel et iniectionem olei Lini per vrethram requiſiuit. Congrua et fuit miſcela Vuae vrſi cum Virga aurea (cl. TAVBE *Comm. p. 40.*).

Pauca modo exempla lego, quod praeter folia aliae plantae partes in forum medicum tranſierint. Non folia vero tantum, ſed et *Baccas* et *Radices* ſtirpis ob vim adſtringentem HERMANNVS (*Cynoſ. Mat. med. contin. 2. p. 224.*) commendat. Contra calculum baccae maturae in puluerem redactae, a ſcrupulo dimidio ad drachmam dimidiam datae; et radix a quodam CHRISTIANO in decocto fine eodem ſucceſſit (QVER *l. c. p. 79.*).

Addere pauca iuuat de Vuae vrſi in oeconomia praeſtantia. Baccae etſi fatui ſaporis, non ab auibus ſolis, ſed etiam a Ruſſis et Iacutis, auide comeduntur (GMELIN *Fl. Sibir. T. 4. p. 118.*). Coctione cum aqua largiuntur ſyrupum, qui vulgari ſyrupo ſubſtitui poteſt (*Vet. Acad. Handl. 1774. p. 257.*). — Folia cum ramulis iam dudum Suecis ad ſubigenda et denſanda coria, quae efficacia ſtirpibus bicornibus communis eſt, inſeruierunt (LINN. *Fl. Lapp. p. 124.* et *Fl. Suec. p. 138.*), ita et Ruſſis, qui prope vrbem Toropez ſtirpem ad induranda coria tenuiora, vt vitulina, adhibent; corio enim bouino non ſufficit (GMELIN ex relatione cl. GÜLDENSTAEDT). Prope vrbem Caſan ex pellibus praeparandis ſaccos conſuunt, in quos immittunt ſcopo coriario fruticulum comminutum (GEORGI *Reiſe T. 2. p. 816.* Conf. PALLAS *Reiſe T. 1. p. 11.*). — In arte tinctoria non ſpernenda ob griſeum colorem, quem alumine cocta laneis mercibus

cibus ſuppeditat, et nigrum vitrioli ope (LINN. *Oländſka Reſa p. 10. Wäſtgöta Reſa p. 110. K. Vet. Acad. Handl. 1753. p. 123. ſqq.*). — Nicotianae fumo hauriendo admiſta folia odorem ſaporemque gratiorem ſuppeditant ad praeuium Americanorum ſeptentrionalium tentamen (LINN. in *Vet. Acad. Handl. 1743. p. 392. ſqq.*). — Coccus adhuc memorandus eſt, purpureo ſuo colore eximius, caulibus radici proximis inſidens, in Suecia Cocco Polonico duplo maior (LINN. in *Vet. Ac. Handl. 1759. p. 29.*), prope Cellam autem exiguus et numero parcus (TAVBE in *Naturk. von Zelle 1 B. p. 75.*).

VACCINIVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 300. Gen. pl. p. 191.*

212.

Pharm. VITIS IDAEAE *Baccae; Folia.*

Vaccinium Vitis idaea; racemis terminalibus nutantibus, foliis obouatis reuolutis integerrimis ſubtus punctatis LINN. *Sp. pl. p. 500.* Vitis idaea foliis ſubrotundis non crenatis, baccis rubris C. B. Icon: *Fl. Dan. T. 40.* Fruticulus ſemperuirens, creſcens in ſyluis ſterilioribus Sueciae, Heluetiae, Hercyniae, Auſtriae, aliarumque Europae regionum. Intelligitur Varietas vulgatior baccis rubris.

Characteres, quibus haec ſtirps ab Vua vrſi dignoſcitur, mox indicaui (*v. 56.*). Nondum quidem recepta in officinas eſt, meretur vero prae multis aliis.

BACCAE eius ſubgloboſae ſunt, glabrae vmbilico quadrifido. Succo grate acido vt aliae congeneres ſpecies ſcatent, intra parenchyma molle, quod epidermide nonnihil auſtero obuoluitur. Eximie refrigerant, ſitim ſedant, putredinem refraenant et refocillant. Mirum tam ab Heluetis (HALL. *Hiſt. ſtirp. helv. n. 1022.*) quam in Auſtria (CRANZ. *Mat. med. Ed. 2. T. 1. p. 59.*) negligi ſalutarem aeque ac gratum huncce fructum, quo tamen boreales gentes valdopere delectantur. Raro in Suecia crudae baccae eduntur, ſed condiuntur plerumque variis modis (WARG'S *Hielpreda i Hushållningen Ed. 4. p. 335.*), quorum optimus eſt, easdem ſyrupo ſacchari feruido in connubio corticum Citri conciſorum et fruſtulorum aliquot Cinamomi immerſas coquere, donec baccae pellucidae fiant (*l. c. p. 483.*). Sic inſtar acetarii pro carnibus vel piſcibus aſſatis, vel inter bellaria, menſis imponuntur. Longe magis hae palato placent, quam quae ex Hercynia vicina, ſine ſacchari vel alius rei additamento per ſe coctae, nobis afferuntur, tam auſterae, vt vix ſaccharo inſperſo mitigentur. Rob iucundum et in febribus quoque proficuum ſolito more ex iis paratur. Potulentorum variorum materiem praeterea commodam erogant, Laudatur praepri-

primis in vſum *aegrorum* aqua infuſione baccarum per tres menſes *intra* cadum parata, pro lubitu dein ſaccharo *commiſcenda*, quam vbiuis praeſto in pharmacopoliis *haberi* pro ſiti ſallenda febrientium et viribus *refocillandis* iuſſit ill. A ROSENSTEIN (*Barnſjukd. p. 122.*). Saccharo absque aromatibus conditae, vel Rob ex baccis paratum, potionibus vulgaribus in acutis febribus non inepte admiſcentur. Sani delectantur magis potione ex baccis, aqua cum ſaccharo cocta perfuſis, et Cinamomo Cardamomisque intra ſacculum in vaſe ſuſpenſum, impraegnatis; poſt moram aliquot hebdomadum in ampullas liquidum hocce gratum *transmittitur* (WARG's *Hielpreda p. 500.*). *Similem potum et* cum melle Sueci parant (*l. c. p. 499.*). In Sibiria fermentatione baccarum contuſarum cum decocto Secalis comminuti potulentum gratum acidum, leuiter inebrians, producitur (GEORGI *Reiſen T. 1. p. 208.*).

FOLIA. Adſtringit herba potenter, vt et inter coriarias locum habeat. In calculo pellendo aemulari Vuam vrſi, caſu Halae cognitum, dum ex confuſione ſpecierum illius loco vſurparentur. Quin exiſtit, qui haec folia illi praeſtare virtute aſſeuerauit (*Ex Gazette ſalutaire* HAENIVS in *Rat. med. T. 10. p. 275.*).

213.

Pharm. OXYCOCCOS *Baccae.*

Vaccinium Oxycoccos; foliis integerrimis reuolutis ouatis, caulibus repentibus filiformibus nudis. LINN. *Spec. pl. p. 500.* Vitis idaea paluſtris C. B. Icon: *Fl. Dan. T. 80.* Pl. perennis locis turfaceis inter Sphagnum paluſtre creſcens.

BACCAE rubrae magnitudine fere Oxyacanthae; globoſae, laeues, vmbilico prominente quadrifido, pulpa molli ſuccum rubrum inſigniter acidum includente. *Frigore molleſcunt.*

Borealibus gentibus non ſpretus fructus, licet exteris nec medico ſcopo nec oeconomico inſeruiat. Vtut acidus eſt, copioſe tamen illum ingerere non verentur Ruſſi. Congelatae baccae ab iſtis Petropoli venduntur. Quando regelarunt, aquam iſtis ſuperaffundunt et ita per hiemem ſeruant. Haec ipſa aqua colore vini Burgundici imbuta in potum illis cedit (GORTER *Fl. Ingr. p. 59.*). Conditae ſaccharo in Suecia infunduntur aqua ebulliente, vel Rob earum aqua ſoluitur in vſum febrientium pro potu (ROSENSTEIN *Bſkd. p. 258.*). Saporis tum et coloris gratia cum vi temperante iungitur. Hinc

PRAE-

PRAEPARATVM

MEL OXYCOCCI *Ph. Suec. p. 126.* ex ſucco baccarum et melle pari pondere leni calore miſtis, iucundum et efficax nuper medicamen conſtituit.

214.

Pharm. MYRTILLORVM *Baccae.*

Vaccinium Myrtillus; pedunculis vniſloris, foliis ſerratis ouatis deciduis, caule angulato LINN. *Spec. pl. p. 498.* Vitis idaea foliis oblongis crenatis fructu nigricante C. B. Icon: BLACKWELL *Tab. 463.* CRAMER *Forſtweſ. Tab. 49. 1. 2.* Fruticulus copioſe creſcens in ericetis et ſyluis. De Varietate vulgari igitur ſermo vnice eſt; non de rara iſta, bacca alba (GMELIN *Fl. Sibir. Tom. 3. p. 137.*).

BACCAE profunde coeruleae, globoſae, piſi maioris magnitudine, vmbilico duplici concentrico notatae, ſuccum purpureum acido-dulcem ſimulque auſterum intra carnem mollem vehentes. Crudae aeſtate copioſe ingeruntur. Ex nimio eſu tamen tormina, ventris inflationes aliaque mala (Conf. *Eph. N. C. Dec. 2. Ann. 1. Obſ. 137.* SCOPOLI *Fl. carn. Ed. 1. p. 274.*) propullulant. Coctae quoque et ſaccharo mitigatae cum pane triticeo toſto calide eduntur, vel, poſtquam refrixerint, inſtar acetarii hinc inde. Contra ſcorbutum valere acor ſperare ſinit, alit-

que ſpem exemplum, quod legitur, ſcorbuti oris in femina continuato harum baccarum per plures dies eſu, profligati (BSCHERER in *Eph. N. C. Dec. 3. Ann. 2. Obſ. 222, p. 346.*). — Cauponum haud rara fraus eſt, vina alba hiſce baccis purpureo colore tingendi ſuccoque eorum quantitatem augendi. De vſu tinctorio vnum hic verbum ſufficit.

Adſtringere haſce baccas praeter ſaporem experimentum cum ſucco declarat, qui ſub miſcela vitrioli martis nigreſcit. *Siccatae* vero plus hac ipſa in re valent, vt et ad ſiſtenda alui profluuia commendatas in puluere vel decocto cernas. Alui obſtructionem lethalem adeo queruntur (*Breslauer Verſ. 1722. Oct.*). Gargariſmis etiam adduntur, vt alia ſimilia adſtringentia.

PRAEPARATVM.

SYRVPVS MYRTILLORVM *Ph. W. p. 215.* Ex ſucco et ſaccharo. Refrigerat paulliſper, et leniter adſtringendo alui profluuia haemorrhagiasque, efficacioribus additus, coërcere iuuat.

LE-

LEDVM.

LINN. *Syst. veg. p. 337. Gen. pl. p. 218.*

215.

Pharm. RORISMARINI SYLVESTRIS *Herba.*

Ledum palustre; LINN. *Spec. pl. p. 561.* Cistus Ledon, foliis rorismarini ferrugineis C. B. Rosmarinum sylvestre CAMER. *Epit. p. 546.* Conf. LINNEI et WESTRING *Diss. de Ledo palustri, Upsal. 1775.* Fruticulus plurimam partem borealis paludum cespitosarum et syluaticarum. In Suecia vulgaris, excepta Scania australi, item in Sibiria vsque ad Kamschadaliam, in Dania quoque et Noruegia, nec non hinc inde in Germania, crescit.

Vix extra Sueciam in praxin medicam translata haec planta est. Germani pharmacopolae eius loco subinde folia Andromedae Polifoliae L. (*Fl. Dan. Tab. 54.*) seruant, seducti forsitan nomine huius: Ledum palustre nostras, arbuti flore RAII *Synops. III. 472.* et soli communione. Sed folia Rorismarini sylv. latiora ad apicem vsque, subtus vestita lana ferruginea, graueolentia; Polifoliae autem angustiora, acuminata, subtus glauca, inodora, vt de florum reliquarumque partium discrepantia nihil dicam.

HERBA verno tempore odoris non ingrati, fere suauis, adolescens spirat odorem grauem nidorosum

ſum ſubaromaticum, vndique ex loco natali ſeſe diſpergentem, et olfacientibus cephalalgia facile moleſtum. Sapor ſubamarus et ſubadſtringens. Deſtillatione prodit aqua odoris fere aquae Roſarum. Extractum aquoſum primum dulcem, mox amarum, denique ſtipticum ſaporem imprimit. Eſſentia pariter ac extractum reſinoſum valde amara et ſtiptica ſunt. Teterrimi vero odoris et conſiſtentiae piceae eſt oleum empyreumaticum. Spiritus per deſcenſum cum ſpiritu tartari ſapore conuenit, odorem autem olei empyreumatici aemulatur (WESTRING *l. c. p. 8.*). — Reſpuunt plantam bruta, praeterquam caprae.

Antequam Humulo ad condiendam cereuiſiam in Suecia vterentur, huius herba illius in locum apud pauperiores ſurrogata eſt, qui mos et ſerius apud Dalecarlos obtinuit, vti olim in Saxonia e. c. circa Wittebergam et Schmidebergam (TABERNAEMONT. *Kräuterb. Ed.* ZWING. *p. 1480.* RVPP. *Fl. Ien. Ed.* HALL. *p. 127.*). Verum temulentia effraena et dira cephalalgia abſtinere ab eo quemlibet iubet. (LINN. *Fl. Lapp. p. 121.* et RVPP *l. c.*). Decocti lotione pediculis boues et ſues liberantur (LINN. *l. c.* et EIVSD. *Fl. Suec. p. 136.*) vel proxime dicta animalia herba recente in haras proiecta (EIVSD. *Oeländſka reſa p. 60.*). Veſtes contra tineas appoſita tuetur (TABERNAEMONTANVS). Necat cimices lectularios inter lintea et culcitras in lectos repoſita, vel dum infuſo eius fortiori

tiori lecti lauantur; quo eodem fine vt ſpiritus Ledi per deſcenſum paratus parietibus lectisque inſpergatur, nouiter commendatum. (WESTRING *l. c. p. 12.*). Allicit apes in aluearia eadem perfricta, et hiſce vbertatem materiei, ex qua mel ceramque colligunt, praebet (HAGSTRÖM in *Diſſ. cit.*). Oleo huius et corticis Betulae albae olim creditum corium Ruſſicum (Juchte) odorem ſuum ſpecificum debere, ſed teſtis autoptes grauis nuper declarauit, Ledum omitti (PALLAS *Reiſen T. 1. p. 46. T. 2. p. 189.*).

Non minoris vero cenſenda eſt vtilitas eius medica. In tuſſi conuulſiua haud pauci eandem in Suecia comprobarunt. *Weſtrogothos hoc malum ſubigere infuſo, narrauit iam dudum ill.* A LINNÉ (*Fl. Suec. p. 136.*). Non contemnendam virtutem, ſed aliis tamen vſitatis inferiorem praeſtitit cl^mo HAARTMAN (in BERGII *Förſök til gångbara Sjukdomars utrönande för år 1755. p. 25.*). Aliis quibusdam medicis patriis tamen ſuffecit infuſum in connubio emeticorum (Calmariae cl° WAHLBOM in *Provincial-med. berättelſer ſåſom en Fortſättning*; in Dalia cl° BLOM in *Medicinalverkets tilſtånd p. 12.*; Louiſae cl° COLLJANDER *l. c. p. 436.*). Quin proficua fuit in varioloſa epidemia vna cum tuſſi conuulſiua ſeſe efferente (Joncopiae cl° WAHLIN in *Prov. med. berättelſ. Fortſ. p. 157.*). Attamen non niſi pauperioribus exhibita, idque in infuſo vel ſaturato vel magis diluto, vel ſolo vel cum lacte ſiue ſero lactis

ctis misto. Ad ipsum miasma, a quo dependet prima huius tussis origo, destruendum facere videtur, quod, si stimulo suo varia iam insignia pulmonum vitia creauerit, non mirum Ledum viribus cassum esse; vt igitur ad initia tussis potissimum herbam restrictam cupiam.

Anginae quoque exstat medela, in Hungaria, vt videtur, primum explorata. Testis virtutis indicatur medicus quidam Hungarus (ROSENST. *Bskd. p. 242.*) et iterum cel. SCOPOLI. Cel. IACQUIN autem euporiston esse apud incolas montium Carpathicorum in angina inflammatoria significasse traditur WESTRING *Diss. cit. p. 15.*). Differt ab illa natura sua ista angina, quam ill. A LINNE' strangulatoriam vocat, epidemica et contagiosa, multisque funesta, in qua glandulae iugulares repente intumuere cum febre lenta et dolore colli intenso. In hocce promtum auxilium gargarismata et cataplasmata ex infuso Ledi praestitere (*l. c.*).

Honorifica itidem herbae in curatione tineae capitis et scabiei, dum lotionis instar adhibetur, mentio fit (*l. c.*). Casu singulari infusum saturatum epotum et externe pro lotione applicatum exanthemata leprosa plurimam partem dissipauit et sanauit: verum inter optimam spem aegrota hectice periit (ODHELIVS in *K. Vet. Acad. Handl. 1774. p. 266.*).

PY-

PYROLA.

LINN. *Syst. veg. p. 340. Gen. pl. p. 221.*

216.

Pharm. PYROLAE *Herba.*

Pyrola rotundifolia; staminibus adscendentibus, pistillo declinato LINN. *Spec. pl. p. 567.* Pyrola rotundifolia maior C. B. Icon: *Fl. Dan. Tab. 110.* Pl. perennis, in dumetis Europae septentrionalioris et vtraque America crescens.

Elegantis huius plantae HERBA hodie in re medica obsoleta. *Adstringere cognatio, sapor, qui simul leniter amarus est, et niger ex vitriolo martis color docent.* Non vero valde hac vi eminet. Odore omni caret. Sistere alui deiectiones et haemorrhagias internas infusum vel decoctum ingestum, et mederi fistulis et vlceribus sub externo vario vsu, auctores de materia medica vno ore indicant. Plures virtutes enumerat ZORNIVS (*Botanol. p. 550.*), quas me piget repetere. Vix attinet scire, farraginem, nomine *Vulneraires de Suisse* notam, plerumque illam ingredi.

? STY-

? STYRAX.

LINN. *Syst. veg. p. 340. Gen. pl. p. 237.*

217.

Pharm. STORAX s. STYRAX.

Styrax officinale; LINN. *Spec. pl. p. 635.* Styrax folio mali cotonei C. B. Icon: MILLER'S *Figures Tab. 260.* REGNAULT *Botanique, le Storax.* Arbor in Italia, Gallo-prouincia, Luisiana Americes, Aethiopia, Palaestina et quibusdam insulis Archipelagi crescens.

Nobilitauit hanc arborem GVMMI-RESINA, sub praefixo nomine pharmaceutico cognita, quae liquida forma post incisionem corticis trunci siue ramorum vel vulnerationem corticis a verme (DU HAMEL *Traité des arbres Tom. 2. p. 288.*) exundat. Copia eius effluit ex arboribus procerioribus in Gallo-Prouinciae syluis (de la Chartreuse de Montrieu DU HAM. *l. c.*), item incisione promanat in planitie quadam agri Tiburtini montium catena septentrionem versus cincta (MAZEAS, *Journal des Sçavans 1769. p. 105. Ed. in 4.*). Sed quae in officinis seruatur, orientalis originis est, transferturque ad nos ex Turcia per Massiliam. Distinguenda a Storace liquida, de qua iam antea (*Appar. med. T. 1. p. 67.*) egi, etsi sunt, qui speciem quandam liquidam huic quoque arbori tribuunt.

buunt. Styrax *vero*, de quo hic ſermo eſt, creditur eſſe Styrax HIPPOCRATIS et reliquorum veterum. Diſcrimina ſpecierum ab iis ſignificatarum enucleare *equidem* non audens, quos antiquaria haec eruditio delectat, ad alium fontem relego (KIRSTENII *Diſſ. de Styrace*, *Altdorfii 1736.*). Tres vero eius ſpecies merito hodie diſtinguuntur, quarum

1*ma*, *Styrax in granis*, quae eſt lacryma gummi-reſinoſa, puriſſima, pellucida, piſi minoris magnitudine, albicans vel pallida, odoris ſuauiſſimi et fragrantiſſimi, vix compreſſionem digitorum admittens, quin ſtatim deliqueſcat. Haec *vix extra* muſea conſpicienda datur (KIRSTEN *l. c. p. 18.*), *prout in muſeo cl.* SEBAE *fuit*. Hanc praeciſe ſpeciem eſſe, quam ager Tiburtinus ſuppeditat, MAZEAS (*l. c.*) refert.

2*da*, *Styrax praeſtantior vulgari*, ad veterum calamiten vel gabaliten (a Gabala vrbe) proxime accedens, tenax, facile liqueſcens, nullis ſordibus inquinata, ſed ex albis ruſis luteis iisque pinguibus puriſſimis particulis conſtans ad ſpeciem Benzoës ſ. Ammoniaci, variae magnitudinis et figurae, odoris iucundiſſimi Opobalſamo ſimilis, ſaporis balſamici et aromatici grati. Veſicis incluſa transfertur, ſed vix vnquam ob pretium in officinis obuia (KIRSTEN *l. c. p. 19.*). Exiſtimo eſſe illam ſpeciem, quae a myropolis vulgo Styrax in granis vocatur.

3*ia*, *Styrax vulgaris.* Est massa badio rufa, turfae speciem habens, leuis, quae inter digitos facile conteritur, compressione autem in pastam compingi se patitur, constans ex gummi-resinosis partibus, scrobe lignea sabulo aliisque quisquiliis, odoris fragrantis grati, instar Balsami peruuiani, saporis aliquantisper amari. Glebis multarum librarum pondere ad nos transuehitur, quae ipsae pressionis praegressae notas in se ferunt. Igne ardet, combusta gratum eundem odorem spargit, qui Styraci integro inest. Fatendum et huius historiam adhuc esse mancam, nec nisi noua peregrinatorum indagine perficiendam. *Aliena ista an lucri vnice* causa addita, an necessitate massam inde solidam formandi? *non dixerim.* Haec species solet in officinis Styrax calamita vocari, *licet a calamita* veterum, siue nomen veniat ab arundine vel calamo, cui gummi-resinam indiderunt, siue ab vrbe, differat. Sed haec fere vnica est species in officinis obuia. *Artem* variam, qua Styrax corrumpi solet, DIOSCORIDES iam PLINIVSque conquesti sunt.

Styrax vulgaris aquae infusione impertit odoris sui tantillum, saporem leniter balsamicum et colorem aureo-luteum. Destillatione haec odore valde fragrante imbuitur. Vini spiritus resinam facile soluit, sordibus et gummosa parte relictis. Resina pura maxime fragrans est. Haec si sola destillatur, vna cum

oleo

oleo empyreumatico, sal, Benzoës floribus non absimile, dimittit (LEWIS *M. m. p. 566.*). Hi flores etiam in conspectum veniunt, si oleum butyraceum ascendens aqua lauatur et haec loco frigido collocatur (NEVMANN'S *Chymie Vol. 2. P. 3. p. 68.*). Extractum spirituosum triplo maius pondus aquoso constituit. (NEVM. *l. c. p. 67.*).

Veteribus (DIOSCOR. *M. m Lib. 1. c. 79* GALEN. *de simpl. Lib 8*) Styrax eorum familiare remedium in variis morbis fuit, quae resoluentia desiderant, praecipue in raucedine, grauedine, tussi, asthmate; item in menstruorum obstructione. Sunt qui ad ipsam phthisin vlcerosam extenderunt, aliorum balsamicorum exemplo, sed successu eodem ambiguo. Nostro tempore interne rarissime vsurpatur, nisi in pilulis sui nominis. Sed suffimigiis destinatur ad dissipandos tumores frigidos, ad aërem corrigendum vel solum vel mixtum cum aliis grate odoris, et varie compactum; porro ob balsamicam suam naturam vnguentis emplastrisque, quae consolidandis vulneribus inseruiant.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

STYRAX COLATVS *Ph. Lond. p. 23.* Styrax vulgaris aqua, donec molleſcat, coctus prelo inter laminas ferreas tepefactas exprimitur, quo artificio inquinamenta remanent, Styrax autem depuratus ab aqua separatur. Sub hac encheiresi non potest non

dispendium fieri tam odorarum partium, quas calor dispergit, quam gummosorum, quas aqua soluit. Praestat

STYRAX DEPVRATVS *Ph. Suec. p. 181.* Styrax, praegressa solutione in spiritu vini rectificato spiritusque post colationem abstractione, leniissimo calore ad iustam soliditatem redigitur.

MASSA S. BACILLI PRO FORNACE *Ph. W. p. 113.* Post Benzoën Styrax maximam ponderis partem suffimenti huius efficit.

PILVLAE DE STYRACE *Ph. W. p. 141.* Ex variis resinosis, inter quae et Styrax, Opio, Croco et succo Liquiritiae constant. *Ab Arabum tempore* ad nos peruenerunt. Aemulantur vim pilularum de Cynoglosso in tussi et affectionibus catarrhalibus et spasticis. Sedecim earum grana Opii duo continent; vt igitur grana quatuor, sex, octo, plura pro dosi sumantur.

PILVLAE E STYRACE *Ph. Lond. p. 96.* magis ob breuitatem placent praecedentibus; nam Styracem modo, Crocum, Opium continent.

VNGVENTVM DE STYRACE *Ph. W. p. 251.* Inter alia resinosa ceramque oleo nucum Styrax excipitur. Laudatum in vulneribus ligamentorum et membranarum.

EM-

EMPLASTRVM ANGLICANVM NIGRVM (*The Lady's black ſticking Plaiſter*). De hac pluribus infra ſub Ichthyocolla.

PVLVIS FVMALIS *Ph. W. p. 153.*

ESSENTIA BENZOES COMPOSITA *Ph. W. p. 78.*

? LAWSONIA.

LINN. *Syſt. veg. p. 300. Gen. pl. p. 191.*

218.

ALKANNAE VERAE ſ. ORIENTALIS *Radix.*

Lawſonia inermis; ramis inermibus LINN. *Spec. pl. p. 498.* Liguſtrum aegyptium Elhanne ſeu Tamarhendi vel Alcanna Auicennae ALPIN. *pl. Aegypt. p. 44.* c. icone. Poutaletſje RHEED. *Hort. mal. T. 4. p. 117. Tab. 57.* Arbor Indiae orientalis, Malabariae, Zeylonae, Aegypti.

Cum Lawſonia ſpinoſa L. tam arcte cognata, vt cultura modo differre videatur. Certe natura tinctoria vtrique communis (Conf. RVMPH. *Herb. Amb. T. 4. p. 44. Tab. 17.* HASSELQVIST'S *Reſa p. 464.*), ob quam in patria ſtirpis *Folia* praecipue magno in pretio ſunt. Hiſce orientales gentes vngues, manus, capillos, barbam aliasque corporis partes, item equo-

rum iubam, caudam rel. colore pro miſcela varia flauo, rubro, fuluo tingunt, quae conſuetudo vtut antiqua, (v. DIOSCOR. de Cypro *Mat. med. L. I. Cap. 124.* RAVWOLFF *Reyſſ. p. 58.* ALPIN. *pl. Aeg. l. c.*) etiamnunc (FORSKÅL *Flor. Aegyptiaco-arab. p. LV*) ſeruatur, vt et mercatoribus haec folia inſigne lucrum afferant. Paſta ex puluere aqua macerata in hunc finem plerumque alligatur. *Adſtringere* notatur iſtum puluerem, et ideo ad ſudores pedum foetidos tollendos et vlcera oris gingiuarum ſiccanda adhiberi (ALPIN.). Multas alias virtutes recenſet RVMPHIVS de Lawſoniae ſpinoſae foliis, hic reticendas.

RADIX. *Veram* ſ. *orientalem* ex autopſia deſcribere mihi non datur, ſed ex *capite craſſo copioſas* laminas ſibi inuicem incumbentes emittere, profundiori, quam Alkannae ſpuriae radices, rubedine tinctas, comperio (SPIELM. *M. m. p 375.*). Rariſſime intrat officinas, et ſine damno abeſſe poteſt, ſed huic vulgo ſubſtituitur radix Anchuſae tinctoriae (v. infra inter Aſperifolias.). *Adſtringendi* vim illi adſcribunt. Coloris vero praecipue ratio habetur, ad tincturas decocta vel vnguenta grata rubedine imbuenda.

? SAN-

? SANTALVM.

LINN. *Syst. veg. p. 137. Gen. pl. p. 191.*

219.

Pharm. 1. SANTALI ALBI } *Lignum.*
2. - - - CITRINI }

Santalum album; LINN. *Spec. pl. p. 497.* 1. Santalum album C. B. 2. Santalum pallidum C. B. Conf. Sandalum RVMPH. *Herb. Amb. Tom. 2. p. 42. Tab. 11;* item BREYNII *Icon. et descript. p. 19. Tab. 5. fig. 1.* Arbor Indiae orientalis, insulae praecipue Timor.

Lignum ALBVM pallidum citreo-album, odoris saporisque expers est. CITRINVM coloris est flauicantis vel pallide rufescentis, odoris fragrantis ad rosaceum vergentis, saporis amaricantis. Vtrumque magnis crassisque frustis iisque ponderosis et solidis ad nos transfertur. Duplex istud lignorum genus mox ex eadem mox diuersis arboribus obtinetur (RVMPH. *l. c.*). Si vtrumque adest, citrinum locum internum occupat et albo obuoluitur, vel maiori vel minori crassitie (GARCIAS *de arom. Vers.* CLVS. *p. 69.* HERMANN. *Cynos. T. 1. p. 219.* RVMPH. *l. c.*). Aliquando vero lignum ad intima vsque album est, idque frequentissime accidit, ita vt vix quinquagesimus truncus citrinus sit (GARCIAS.). Nec vlla extus discri-

minis vtriusque nota apparet. Ad radicem et nodos magna citrini ligni pars offenditur. Recens lignum odorem nullum ſpargit, ſed modo ſiccum. Ne vero ex citrino pereat, oportet aliquam albi ligni portionem circa illud relinquere. Color vero citrinus nonniſi in adultioribus arboribus ſeſe manifeſtat (RVMPH.). Statio aprica pariter ad eius productionem haud parum confert (GARCIAS). In India citrinum cariori pretio venditum fuit, quam in ipſa Europa, vnde dubium enatum, an verum ad nos peruenerit. (IDEM).

Santalum citrinum aqua deſtillatum oleum eſſentiale dimittit, fragrans, ambroſiacum, quod frigore coit in *balſami ſpiſſitudinem.* Extractum aquoſum amaricans et leuiter pungens eſt. *Plus extrahit ſpiritus vini*, qui erogat extractum debilis odoris, ſed ſaporis ſubacris balſamici (LEWIS *M. m. p. 517.*). Reſinoſa pars, iterum ſoluta acohole et inſpiſſata, non vlterius in ſolidam reſinam conuerti ſe patitur, ſed refert ſpiſſitudine et colore balſamum Peruuianum (FR. HOFFM. *Obſ. phyſ. chym. p. 69.*).

Recens raſae arbores viroſum aliquid e cortice maxime et cerebro inimicum ſpirant, vnde febris delirioſa; idque ex BONTII (*Med. Ind. c. 15. fol. 31. b.*) teſtimonio, qui tamen et aërem nebuloſum aliasque cauſas ſimul in culpa habet.

Indis odoris cauſa mirifice Santalum placet, dum vel pultem ex ligno aqua factam corpori inungunt, vel

vel ligna accendunt, vel veſtibus et vtenſilibus adponunt (GARCIAS, RVMPH.). Chinenſibus vulgare ſuffimentum in honorem deorum eſt (OSBECK's *Reſa p. 156.*).

Graeci veteres eius non meminerunt, ſed Arabes, qui refrigerare illud perperam affirmant, modo ſatis conſtiterit, de eodem ligno ſermonem eſſe. Calidae potius naturae eſſe demonſtrat reſina elicita. Analepticum pronunciauit AVICENNA (*Opp. de med. cord. Tract. 2. p. 565.*); qua in dignitate et eſſentiam habuit FR. HOFFMANNVS (*l. c. p. 70.*), ita vt ad vim Ambrae illam extollat.

Noſtra aetas in cenſendis remediis rigoroſior ad ſuperflua haud immerito Santalum citrinum refert, album autem ad inertia.

Santalum rubrum alius omnino originis eſt.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

SPECIES DIATRION SANDALON *Ph. W. p. 180.* Inconcinna ex varia farragine compoſitio, qua vitia hepatis et mala inde dependentia debellare voluit veneranda alias antiquitas.

VNGVENTVM SANDALINVM *l. c. p. 249.* Redit hic iterum Lignorum triga non apto ſatis ſatellitio ſtipata. Certe fruſtra refrigerare illud et corroborare olim exiſtimatum.

EMPLASTRVM SANDALINVM pertinet ad Santalum rubrum.

TAMARIX.

LINN. *Syst. veg. p. 244. Gen. pl. p. 148.*

220.

Pharm. TAMARISCI *Cortex; Lignum; Folia.*

Tamarix gallica; floribus pentandris LINN. *Spec. pl. p. 387.* Tamarix altera, folio tenuiore, s. gallica C. B. *Μυρικη* Graecorum. Icon: MILLER'S *Figures Tab. 262. fig. 1.* Arbor in Hispania, Gallia et Italia crescens, in nostris hybernaculis haud rara.

Ab ill. HALLERO (*Hist. st. helv. n. 948.*) virtutes medicae ad *Tamaricem Germanicam*; floribus decandris LINN. *Sp. pl. l. c.* depictam in MILLER'S *Figures l. c. fig. 2.*, *Fl. Dan. Tab. 234*, et REGNAVLT *Botanique*, le Tamaris, ad vtrasque vero a CHOMELIO (*Usuelles T. 1. p. 321.*) transferuntur.

CORTEX prae reliquis partibus claruit, sed nec hic hodie valde vsitatus. Est tenuis conuolutus vestitus epidermide fusca, stigmatibus griseis distincta, intrinsecus subrufus, saporis amaricantis et subausteri. Solutio vitrioli martis ex eius miscela nigrescit. Aperiendi et corroborandi vi non omni destitutum esse,

esse, vel hisce apparet. Veteres in obstructionibus lienis soluendis praerogatiuam variis stirpis partibus assignant, quae si de foliorum, siue radicis, siue ramulorum decocto (DIOSC. *M. m. c. 116. Lib. 1. c. 116.* GALEN. *de simpl. facult. Lib.* 7.) vel succo (PLIN. *l. 24. c. 9.*) admittenda: eandem et competere poculis ex eiusdem ligno fabrefactis (DIOSC. PLIN.), quibus potulentum ingeratur, vix vllus credet, etsi vtriusque rei assentientes seriores quosdam medicos offendimus. Validissime lienem comminuere obstructum decoctum ligni asserit FERNELIVS (*meth. med. L. 5. c. 6.*); eodemque fine cortex SENNERTI (*Pract. cap. de lienis morbis.*) formulas numerosas cum aliis intrat. Rachiticis infantibus hic etiam subinde exhibitus (IOS. MILLERI *Bot. offic. p. 432.*). In ictero praeterea, haemoptysi, alui profluuiis vitiisque variis cutis, opem praestitam varii memorant, sed non ita, vt absque iterata experientia fidem mereatur.

Tamaricis Germanicae aperiendi efficaciam cl. SCOPOLI (*Fl. Carn. Ed. 1. p. 320.*) approbauit.

Cineres Tamarisci combusti sal mirabile Glauberi verum erogant (*Montet* in *Mem. de l'Ac. d. sc. de Paris 1757. p. 555. sqq.*).

ORDO

ORDO XVIII.

ASPERIFOLIAE.

SYMPHYTVM.

LINN. *Syst. veg. p. 158. Gen. pl. p. 76.*

221.

Pharm. SYMPHYTI s. CONSOLIDAE MAIORIS *Radix; Herba; Flores.*

Symphytum officinale; foliis ouato-lanceolatis decurrentibus LINN. *Spec. plant. p. 195.* Symphytum Consolida maior C. B. Συμφυτον DIOSC. Varietas flore albo solet eligi. Icon: *Fl. Dan. Tab. 664.* Rubra depicta in REGNAVLT *Botan.* la grande Consoude. Pl. perennis; in pratis humidis, ad fossas, riuos Europae australioris copiosissima.

Radix ramosa, magna, extus nigra, interne alba, inodora, masticata mucilaginem copiosam emittit. Atque haec causa est, cur adoptata iam a veterum tempore in medicina sit. Tanta vero eius vbertas, vt radix aqua decocta tres circiter partes mucilaginis insipidae ex quatuor ponderis sui partibus eroget:

ma-

maiorem igitur mucilaginis quantitatem, quam Althaea, eamque tenaciorem (LEWIS *M.m.p.29*). Non tamen hodie tam frequenter vſurpatur, ac meretur, et priſtina laus ſuadet. Reſpectum enim ad virtutem incraſſantem, inuiſcantem, emollientem et vulnerariam. Sicque in haemoptyſi (DIOSC. *M.m. L.4. c.10.* LINN. *Fl. Suec. p.59.*) placuit, puluis naribus attractus immodicum earundem haemorrhagiam compeſcuit (PFANN in *Samml. merkw. Fälle p.249.*); nihilque repugnat, quo minus, vt alia mucilaginoſa, in diarrhoea et dyſenteria illam proficuam haberes. Dari poteſt vel in puluere, vel aqua infuſa ſiue decocta. In externis vero vitiis, *inſtar cataplaſmatis vel mucilaginis, applicata, vltra fidem fuit a multis depraedicata*, non ſolum ad vulnera recentia conſolidanda, ſed et ad oſſa fracta (SIM. PAVLLI *Quadrip. p.301. ſq.*) conferruminanda, ita vt et ideo apud Anglos hinc inde *Bonſet* (RAII *Hiſt. pl. p.505.*) audiat, ad ipſas hernias coërcendas (HOUSTOUN *on ruptures.*), et ad ſanationem pertinaciorum vlcerum. Quod cruciatus podagricos cataplaſma ex puluere (TACHENIVS *de morborum principe p.199.*) vel contuſa radice (RVLAND. *Cent. 2. empir. cur. 9.*) ſuſtuliſſe narretur, fotui et relaxandi potentiae vnice adſcribendum arbitror. Recens autem cum lotio aegri in pultem cocta, feruideque fere applicata, per 24 horas malum iſchiadicum in viro quodam ſanauit; ſed in parte puſtulae in impetiginem trans-

transeuntes, deinque per totum corpus scabies foeda, emerserunt (RVD. IAC. CAMERARIVS in *Misc. Nat. cur. Dec. 3. Ann. 5. 6. Obs. 16. p. 45.*).

Mucilagine scatent etiam FOLIA et FLORES; hinc consimilibus vsibus, etsi rarius, inseruiunt.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

SYRVPVS E SYMPHYTO FERNELII *Ph. W. p. 219.* Praeter radices et folia Symphyti, Tussilago, Pimpinella, Rosae rubrae aliaque quaedam adstringentia intrant. In tabe et pulmonum exulcerationibus, *item profluuiis* sanguineis et aluinis quibusdam, dignus vsu visus est.

EMPLASTRVM AD FRACTVRAS ET LVXATIONES *Ph. W. p. 65.* recipit radicem. Sanior chirurgia eiusdem inertiam reprehendit.

EMPLASTRVM PRO HERNIOSIS *l. c.* Idem esto de hoc iudicium, *nisi* de hernia infantis tenelli fermo, quam repositam, globuloque coërcitam, retinere suo in *situ* poterit.

BO-

BORAGO.

LINN. *Syst. veg. p. 159. Gen. pl. p. 77.*

222.

Pharm. BORAGINIS *Folia; Flores.*

Borago officinalis; foliis omnibus alternis, calycibus patentibus. LINN. *Sp. pl. p. 197.* Buglossum latifolium Borrago C. B. Icon: REGNAULT *Botan.* la Bourrache. *Hort. Roman. T. 2. Tab. 20. 21.* Pl. annua, Halepo in calidioris Europae regiones aduena, vbiuis iam in hortis colitur, et sponte ibidem sese disseminat.

In seria praxi euiluit. Buglossum esse veterum, MATTHIOLVS, DODONAEVS aliique volunt.

HERBA scatet succo aquoso, subuiscido, saporis herbacei, subsalsi. Manifestior mucilago radici inest. Decoctum foliorum in syrupi crassitiem spissatum post aliquot dierum moram format copiam crystallorum nitrosarum (BOULDUC *Mem. de Ac. des sc. de Paris 1734. p. 101. sqq.*). Idem contingit cum succo herbae expresso post depurationem spissato. (MARCGRAF in *Mem. de l'Ac. d. sc. de Berlin 1747. p. 79.*). Sicca si carbonibus candentibus inspergitur, strepitu deflagrat (GEOFFROY *Matiere med. Traité T. 5. p. 346.*). Hisce notis, humectare refrigerare leuiterque attenuare posse spissos humores, facile creditur,

tur, vt igitur, in febribus acutis et inflammatoriis nominatim, ad quorundam consilium succus expressus vel decoctum aliquid auxilii promittat. Sed exstant efficaciora. Quod vtique valet de hypochondriaco malo et melancholia, quorum morborum curatio insuper raro solis resoluentibus absoluitur, vel iisdem opus habent.

FLORES. Apibus in deliciis sunt, quibus tanto opportuniores, quum in serum vsque autumnum explicentur; hinc in vicinia apiariorum copiose coluntur. Alius vsus est pro acetariis, quibus ornamento potius sunt, quam grato sapori, praecipue Varietatis coeruleae corollae. Hae a calyce separatae a pharmacopolis colliguntur. Reficere easdem neruos olim crediderunt, hinc cordiales flores dicti. Sed neque criteria externa, nam debilis recentium odor aufugit siccando, et aqua emittunt modo mucilaginem subdulcem, nec experientia rem confirmant. Nihilominus olim inter

FLORES QVATVOR CORDIALES militarunt, et in AQVAM eiusdem nominis recepti.

PVL-

PVLMONARIA.

LINN. *Syst. veg. p. 158. Gen. pl. p. 75.*

223.

Pharm. PVLMONARIAE MACVLATAE *Herba.*

Pulmonaria officinalis; foliis radicalibus ouato-cordatis scabris. LINN. *Spec. pl. p. 194.* Var. α. Symphytum maculosum s. Pulmonaria latifolia C. B. Icon: *Fl. Dan. Tab. 482.* REGNAVLT *Botanique*, la Pulmonaire. Haec varietas albis punctis notata. Pl. perennis, *in locis nemorosis crescens, primo vere floret. Alia* quoque Varietas s. γ. Pulmonaria folio non maculoso C. B. locum habere potest (LINN. *Fl. Suec. n. 163.*). Galli (*Cod. medicam.* GEOFFROY, CHOMEL) et recipiunt Pulmonariam angustifoliam L.

HERBA. Hodie vix a medicis curatur. Sapor eius herbaceus, viscidus. Plurimum cinerum ad septimam ponderis partem suppeditat (GMELIN in *Act. Petropol. T. 5. p. 283.*). Anglis pro olere in frequenti vsu (RAY *Hist. pl. T. 1. p. 489.*). Multi inter humectantia, demulcentia, emollientia, quin vulneraria collocant, et asperitati faucium, haemoptysi, imo phthisi ex vlcere, mederi persuasum cupiunt. Nihil vero pollicetur, quam vim aliquam mucilaginosis

communem, quae in hac ſtirpe infirmior longe eſt, quam in columniferis et variis affinibus familiae ſuae.

LITHOSPERMVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 156. Gen. pl. p. 74.*

224.

Pharm. LITHOSPERMI ſ. MILII SOLIS *Semen.*

Lithoſpermum officinale; ſeminibus laeuibus, corollis vix calycem ſuperantibus, foliis lanceolatis LINN. *Spec. pl. p. 189.* Lithoſpermum maius erectum C. B. Icon: REGNAVLT *Botanique*, le Grenil. Pl. perennis, ad fluuios item locis glareoſis ſiccisque reperiunda.

SEMEN ouatum conſtat ex cruſta albido cinerea, dura, ſplendente, inſipida, quae latiori extremo vmbilicum habet fuſcum, et nucleo, dum recens eſt, ſubdulci oleoſo. Hic ſemine diutius ſeruato ingratum rancorem contrahit. Cruſtas aqua forti, vel aliis acidis infuſas ebulliuiſſe notatum (GREW *mixtura corp. p. 22.*); ſed alii non ſucceſſit experimentum cum ſpiritu aceti et ſpiritu vitrioli (ALSTON Lect. *on the M. m. T. 2. p. 362.*). Vt igitur dubio adhuc locus ſit, an cum abſorbentibus aliis, e. c. lapidibus cancrorum, vi conueniat (HERM. *Cynoſ. M. m. T. 1.*

pag.

pag. 322.). Calculum vrinarium frangere ſemen, vetus fabula eſt, a DIOSCORIDE (*M. m. L. 3. c. 58.*) PLINIO, (*Lib. 27. c. 11.*) RHAZE (*ad Manſ. 3. c. 46.*) concepta. Lotium mouere hiſce quidem credo, et in ſtranguria efficere aliquid poſſe, quum ob nucleum emulſiuae naturae ſit. Commendabile hic oleum erogat, et emulſionem nec ingratam nec inſalubrem. Ill. HALLERO (*Hiſt. ſt. helv. n. 595.*) tota ſtirps videtur narcotica.

ANCHVSA.

LINN. *Syſt. veg. p. 156. Gen. pl. p. 74.*

225.

Pharm. BVGLOSSI *Radix; Herba; Flores.*

Anchuſa officinalis; foliis lanceolatis, ſpicis imbricatis ſecundis LINN. *Sp. pl. p. 191.* Bugloſſum anguſtifolium maius C. B. Icon: *Fl. Dan. T. 572.* REGNAVNT *Botan.* la Bugloſſe vivace. Pl. perennis, locis ruderatis et ad agros creſcens.

Haec cum Anchuſa anguſtifolia L. depicta a MILLERO in *Figures Tab. 72.* coniungitur ſpecie ab ill. HALLERO (*Hiſt. ſt. helv. n. 599.*). Nec dubitat vtrique communes vires tribuere.

Exoleta. In omnibus partibus mucilago quaedam inſipida ſeſe prodit, in floribus praeterea leuis amarities. Vires ſolent ad iſtas Boraginis exigi (CHO-

MEL *Uſuelles T. 1. p. 134.* GEOFFROY *M. m. Traité T. 5. p. 390.* ALSTON'S *Lectures Vol. 2. p. 92.* rel.). Nec male docente ſapore, cognatione, ſtrepitu item FOLIORVM in carbones proiectorum (GEOFFROY). Herba tenella olera primo vere ingreditur in Vplandia (LINN. *Fl. Suec. n. 161.*). An veterum Bugloſſum ſit idem cum noſtro, non liquet. Certe noſtrum Euphroſyni nomine (PLINIVS *Hiſt. med. Lib. 25. c. 8.*) indignum eſt. Nihil enim ad exhilarandum animum facit, licet diu

FLORES ad QVATVOR CORDIALES relati fuerint.

226.

Pharm. ALKANNAE vulgo, ANCHVSAE Ph. Ed. *Radix.*

Anchuſa tinctoria; tomentoſa, foliis lanceolatis obtuſis, ſtaminibus corolla leuioribus. LINN. *Sp. pl. p. 192.* Anchuſa monſpeliaca I. B. *Hiſt. pl. T. 3. p. 584.* Icon: REGNAVLT *Botanique*, l'Orcanette. Pl. perennis in Gallo-Prouincia creſcens.

Diſtinguenda ab Alkanna orientali ex Lawſonia inermi L.

RADIX fere cylindrica, calamum ſcriptorium craſſa cortice ſaturate purpureo, intra quem fabrica ſublignea albida. Inodora, inſipida, ſubdulcis, non ad-

adſtringens, etſi plerique hoc aſſerunt (ALSTON *M. m. T. 1. p. 365.*). Cortici ſoli pigmentum iſtud ineſt, quod caloris ope tingit ſpiritum vini, olea, axungias, ceram, colore profunde attamen grate rubro, aquam autem colore debiliter modo bruno. Extractum tam ſpirituoſum, quam aquoſum, amaricans. Fraude ſubinde Bugloſſi radix ſubſtituitur, decocto ligni Braſiliani imbuta, quo acquirit rubedinem. Paſta Alkannae radicis oſſa in pullo intumuerunt. (GVETTARD in *Mem. de l'Ac. d. ſc. de Paris 1746. p. 102.*). Aperire, coagulatum ſanguinem diſſipare, ſiſtere diarrhoeas, vlcera inueterata exſiccare, olim quidem exiſtimatum BOERH. *Hort. L. B. T. 1. p. 273.*), ſed deficiente experientiae fulcro. Vnde nonniſi pro oleoſis variis tingendis hodie in officinis aſſeruatur.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

VNGVENTVM RVBRVM POTABILE *Ph. W. p. 249.* Ex radicibus hiſce vino rubro maceratis et butyro non ſalito recente coctis. Ad diſcutiendum ſanguinem ex contuſione interne ſtagnantem et coëuntem et ad haemoptyſin coërcendam olim in pretio, ad vnciam vehiculo calido ſumtum.

VNGVENTVM RVBRVM AD LABIA ORIS *l. c.*

CYNOGLOSSVM.

LINN. *Syst. veg. p. 159. Gen. pl. p. 75.*

227.

Pharm. CYNOGLOSSAE *Radix*; *Herba.*

Cynoglossum officinale; staminibus corolla breuioribus, foliis lato-lanceolatis tomentosis sessilibus LINN. *Sp. pl. p. 192.* Cynoglossum maius vulgare C. B. Icon: REGNAVLT *Botan.* la Cynogloſſe. Intelligitur Varietas flore rubro. Pl. biennis, in ruderatis et ad vias obuia.

Odor totius stirpis recentis foetens, murino haud absimilis, et color herbae florumque luridus, suspectam illam reddit. Pecora quoque intactam relinquunt, capris solis forte exemtis (LINN. *Fl. Suec. n. 162.*). Pediculos autem pellit (RAII *Hist. pl. p. 490.*). Stirps, radice remota, destillata aquam exhibet valde nauseosam odoris narcotici (SCHRECKII *Diss. de Cynoglosso p. 19.*). Vere etiam anodyna, quin, maiori copia ingesta, narcotica est habita (BOERH. *Hort. L. B. T. 1. p. 275.*). Ex foliis loco tenellorum Symphyti foliorum coctis libereque ingestis in familia vomitus cum aliis malis, dein stupor et somnus insequuti, vno mortuo (MORISON *Hist. Oxon. T. 3. p. 450.*). Funestorum effectuum ex interno vsu et meminit BLAIR (in HALL. *hist. st. helv. n. 587.*).

Parce,

Parce, si vnquam hodie praeterquam in pilulis sui nominis, vsurpatur.

RADIX grandis, ramosa, succosa, externe bruna vel nigricans, interne albida. In vdis locis obuia, grauem virosum odorem spirat, in siccioribus inodora fere (HERM. *Cynos. T. 1. p. 178.*). Perit et odor siccando eam; nec in extracto, siue aqua siue spiritu vini facto, sese figi patitur odora pars. Hisce iam dubia euadit medica eius, ea qua solet lege, vsurpatae efficacia, certe metus deleterii effectus infringitur. Vereor igitur, ne non satis fida sint, quae de vsu eius in tussi, haemorrhagiis, alui profluuiis rel. a multis enumerantur, et quae congessit SCHRECKIVS (*l. c.*). Addo radicem contra scrophulas et strumas, tam in decocto epoto, quam instar catapla-smatis applicatam, celebri medico successisse (RAII *Hist. l. c.*). Extractum dysentericis ad corrigendam acrem corruptelam nuperius haud sine fructu ingestum (SCOPOLI *Fl. Carn. Ed. 1. p. 440.*).

FOLIA ob similes virtutes celebrata. Succus herbae praeuia coctione in syrupum redactus egregiam opem in catarrhosis affectibus et tussi tulit (FVLL. *pharm. ext. p. 401.*). In infuso theaeformi cum aliis herbis eadem praestantia sese exseruit (SCOPOLI *l. c.*).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

PILVLAE DE CYNOGLOSSA *Ph. W. p. 138.* Continent Opii extractum, semina Hyoscyami, resinosa et aromatica varia, radicem denique et succum Cynoglossi. Ex TRALLIANI (*Lib. 5. c. 1. de Tussi Ed.* ANDERN. *p. 248.*) temporibus ad nostra peruenerunt, inconcinnae etsi compositionis, efficaces tamen et inter opiata consuetioris vsus. Facile patet ex hisce vim Cynoglossi propriam decerni non posse. Qua forma a Wurtenbergensibus sistitur, massae quaelibet drachma Opii grana octo et totidem seminum Hyoscyami comprehendit. Praestat igitur vires Opii *in coërcendis spasticis affectionibus* et profluuiis, item somno alliciendo doloreque sedando. Nominatim ad tussim mitigandam (TRALLES *de Op. Sect. 3. p. 123.*) valet, ex catarrhali labe asperam arteriam vellicante natam. Massa hac, cum nitro versus noctem, data, olim optimo patrum nocturnam quietem, crebris pectoris a tussi concussionibus diu turbatam, tiro medicus feliciter restitui. In asthmate spasmodico inducias ad minimum procurat TRALL. *l. c. p. 161.*). Grana bina ad quinque vulgaris dosis esse solet.

PILVLAE DE CYNOGLOSSO CVM CASTOREO *Ph. W. p. 138.* Sunt illae nuperrime descriptae, sed Croco et Castoreo mistae, vt paullo maiori dosi exhiberi queant. In PILVLIS DE CYNOGLOSSO

GLOSSO *Ph. Dan. p. 210.* hoc ſemper connubium locum habet, imminuta et Opii et ſeminum Hyoſcyami quantitate ita, vt ſingula drachma pilularis maſſae illius grana quatuor modo, horum grana duo ſibi vindicet.

CORDIA.

LINN. *Syſt. veg. p. 191. Gen. pl. p. 110.*

228.

Pharm. SEBESTEN.

Cordia Myxa; foliis ouatis ſupra glabris, corymbis lateralibus, calycibus decemſtriatis LINN. *Sp. pl. p. 273.* Sebeſtena ſylueſtris C. B. item domeſtica EIVSD. Sebeſtena domeſtica COMMEL. *Hort. Amſtel. Tom. 1. p. 139. Tab. 72.* vbi absque fructu depicta. Quem vero, etſi ruditer, vna delineauit ALPIN *pl. Aegypt. p. 30. et 31.* Sebeſten officinarum DILLEN. *Hort. Elth. p. 340. Tab. 255.* cuius *figuris 1-5* dextrorſum collocatis floris partes ſiſtuntur. Arbor Aegypti et Malabariae.

FRVCTVS vnice, etſi rariſſime, apud nos hodie in vſu; hinc vermibus plerumque arroſus offenditur. Drupa eſt, referens prunum exiguum, oblongo-rotunda, vtrinque acuta, nigricans, rugoſa, viſcoſa, ſubdulcis, includens nucem ſubtriquetram compreſ-

ſam vtrinque emarginatam. DIOSCORIDIS et GALENI operibus non inſertus hicce fructus exſtat, ſed memorarunt eum AEGINETA, AËTIVS et ACTVARIVS (C. B. *Pin. p. 446.*).

Viſcida huius natura nomen Myxae apud PLINIVM aliosque illi peperit. Poſtponendus Iuiubae fructui dulcedine, certe vetuſtus in officinis ſeruatus, ſuperat vero illum viſciditate, quae tanta eſt, vt Aegypti olim inde viſcum pararint, aucupiis idoneum, fructum contuſum et lotum, quoad aqua ſuperflua abſumeretur, coquendo (ALPIN. *l. c. p. 29.*). Praecipuus ibidem et alibi vſus fuit in morbis variis pectoris, raucedine, tuſſi, reſpirationis difficultate, etiam inflammatoriis; porro in lotii viarum ardore valuit, quae omnia rationi quoque conſentanea. Ventrem pariter ſubducere, recentem quidem magis, aridum autem minus, veteres obſeruarunt, confirmante et experientia MATTHIONI (*in* DIOSCOR. *p. 218.*), qui drachmis decem vel duodecim pulpae eandem vim ac Caſſiae tribuit.

ORDO

ORDO XIX.

VERTICILLATAE.

TEVCRIVM.

LINN. *Syst. veg. p. 438. Gen. pl. p. 287.*

229.

Pharm. MARI VERI vulgo s. MARI SYRIACI Angl. *Herba s. Summitates.*

Teucrium Marum; foliis integerrimis ouatis acutis petiolatis, subtus tomentosis, floribus racemosis secundis LINN. *Syst. veg. p. 439.* Marum Cortusi IO. BAVH. *Hist. T. 3. p. 242.* Cfr. SCHREBERI *verticill. vnilab. n. 28. α*, et LINN. *Diss. de Maro resp.* DAHLGREN *p. 7.* Icon: RIVIN. *monop. irreg. T. 23.* item REGNAVLT *Botanique*, sed perperam sub nomine Nepetae Catariae s. Herbe au chat. Fruticulus crescens in Valentia et insula Pomponia s. Porteros subter Gallo-Prouincia sita, in Graecia, Creta, Aegypto, Syria. Commode in frigidariis per hiemem seruatur, vt tamen et tepidarii fotum probe ferat.

An

An in veterum notitiam venerit, et quo nomine Marum insigniuerint, nolo disquirere. Sufficit impensam a WEDELIO (*Diss. de Maro resp.* HERMANNO *1703.*) sterili huic rei operam indicasse.

Singulari cupidine in hanc stirpem, vt Catariam et Valerianam, feles trahuntur, lambendo illam, decerpendo, comedendo, quin si CORTVSO, Patauino quondam Professori *Botanices*, fidendum, ea deuorata semine vndique illam conspurcando (IO. BAVH. *l. c.*) et, si digiti ista obliti felibus offeruntur, hisce affricant nares, caput, imo dorsum, in voluptatis, quam ex halitibus percipiunt, testimonium MÜNCHH. *Hausvater T. I. p. 415.*).

FOLIA recentia cum tenellis ramulis contrita simili fere modo, vt sal volatile olfactum grato suo et camphoraceo fere aromate nares vellicant, in sternutationem vsque, et per momentum temporis animum eximie erigunt. Gustata autem amaritiem cum acrimoniae et caloris sensu produnt. Nec multum harum virium siccatione perditur. Odora herbae pars aquoso quoque latice per infusionem excipi sese patitur, sapore autem tantum imbecilli eundem imbuit. Spiritus vini plurimum vtriusque generis partium extrahit. Destillatione cum aqua largitur oleum aethereum pungens, volatile, valde fragrans, residua parte amara (LEWIS *M. m. p. 372.*). Penetrabili suo odore et sapore, imo et vi, comparari cum oleo

Coch-

Cochleariae poteſt (FR. HOFFM. *Obſ. phyſ. chym. p. 19.*).

Mireris merito, quod ſub hiſce praeſtantiae eius indiciis *tam* raro hodie adhibeatur. Interim nolim Polychreſtum cum WEDELIO (*l. c.*) vocari, quo nomine deſpectam potius reddidit nobilem ſtirpem, vires licet numeroſas ample, ſed ex ratiocinio vnice, recenſuerit. Et ex hoc fonte praecipue promanaſſe arbitror plerasque laudes de ea in libris de medicamentis obuias. Herba in puluere naribus excepta et ſternutationem ciĕt et copioſam pituitam allicit. Sed praeprimis ad ſingularem eius efficaciam, neruoſum ſyſtema *languidum et debile reficiendi*, attendendum eſt. Vnde inter cephalica excellere notauit HERMANNVS (*Cynoſ. Mat. med. Tom. 2. p. 349.*) ob quam vim et magni illam facit BOERHAAVIVS (*Hiſt. pl. hort. L. B. p. 262.*), nec veritus ill LINNEVS eſt, eam ſummum analepticum declarare (*Diſſ. cit. p. 13.*). Promtum vero auxilium praeſtat, nec, etiamſi febre praeſente, nocet, quare eximio alias analeptico, Cinamomo, vt quod nimium calefacit corpus, praeferas. Dolendum tamen, quod ſolamen, quod affert, aeque plerumque fugax ſit, ac promtum, vt itaque opinione citius, effectus diſpareat (*l. c. p. 18.*). Poſt hanc virtutem memorabilis ſeſe reddit eius, in humorum frigido lentore ſoluendo ſudore menſtruisque pellendis, praeſtantia. Haecce de

iſta

ista praedicare, non plura, sinunt peculiares historiae, quarum varias ill. LINNEO debemus. Ita, eo narrante, senex morbo subitaneo tam atrociter correptus, vt de vita desperarent, vtpote et loquela et motus potentia orbus stertore respirationem exerceret, Mari ope vitae iacturae euasit, quod et post sesquiannum, quum insultu apoplexiae non absimili afficeretur, saluti illi fuit. In Theologo autem, quem asthma, suffocationem minans, ex pectoris hydrope anxerat, deuicit hocce periculum et nocturnam quietem restituit. Simili fere in casu iurisconsulto adiumento fuit. Resuscitauit et in alio, qui inter varia alia chronica mala tussi vehemente laborauit, cuius sputa subito sub deiectione virium suppressa suffocationis metum inculcarunt, exscreationem tussimque ipsam paullo post compescuit. In phthisico sudoribus nocturnis iam emaciato Marum, mixtum cum conserua Cerefolii, tam ad sudores continendos, quam ad screatum facilitandum, valuit. Alium ex pectore post haemoptysin laborantem, fato, vt videtur, proximum, in vitam reuocauit. Menstrua suppressa herba martialibus nupta reserauit (LINN. *Diss. cit. p. 16-18.*). Litteris vero ad me datis vir illustris perscripsit, se eadem medela b. ROSENSTEINIO, dirissima et pertinacissima tussi cum difficillima respiratione in vltimo morbo conflictato, leuamen attulisse exoptatissimum. Addo casum (cl. BERGII *Mat. med.*

pag.

pag. 504.) feminae, quae ex ictu capitis contra lapidem apoplecticae instar cecidit, in tertiam hebdomadem administratis variis idoneis, sublethargicae, sed Maro adhibito *in integrum* restitutae. In paralysi autem post praegressam apoplexiam iners fuit (IDEM).

Puluis eiusdem a scrupulo vno ad dimidiam drachmam supraque dari potest. Commodum menstruum vinum praebet.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

ESSENTIA CEPHALICA *Ph. W. p. 79.* Farrago aromatum, inter quae *et* Marum, menstruis spirituosis *iam per se valde compositis* infusorum.

EXTRACTVM MAROCOSTINVM *Ph. W. p. 92.* auctore RAIMVNDO MINDERERO, qui descripsit illud primum in *Aloëdario marocostino* suo a. 1616. Ampla pariter formula, ex Aloë succis variis soluta, Extracto Rhei, Croco, Myrrha, G. ammoniaco, demum Maro vero et Costo maritata. Vtriusque vsus obsoleuit.

PVLVIS STERNVTATORIVS *Ph. Lond. p. 89.* Ex foliis Asari, Maioranae, Mari et floribus Lauendulae.

THERIACAM quoque ingredi, vix operae pretium est indicare.

230.

Pharm. POLII CRETICI *Herba*, ſ. *Summitates* Lond.

Teucrium creticum; foliis lanceolato-linearibus integerrimis, floribus racemoſis ternis LINN. *Syſt. veg. 439.* Roſmarinus ſtoechadis folio ALPIN. *exot. p. 103. T. 102.* mala. Conf. Teucrium hyſſopifolium SCHREB. *verticill. vnilab. n. 11.* Fruticulus Aegypti et Palaeſtinae. LINNEI ſpecies etiam T. breuifolium SCHREB. *l. c. n. 10.*, Creticam plantam, ſub ſe comprehendit.

Odor HERBAE moderate aromaticus, ſapor ingrate amarus. Hodie non, praeterquam *in* THERIACA, adhibetur. Inter aperientia et corroborantia locus *illi* aſſignatur.

Vbi haec deficit, ſubſtituitur

231.

Pharm. POLII MONTANI *Herba* ſ. *Summitates* Lond.

Hoc nomine autem non vbiuis vna eademque ſtirps venit.

Galli (*Cod. med. p. 123.*) intelligunt *Teucrium Polium*; ſpicis ſubrotundis, foliis oblongis obtuſis crenatis tomentoſis ſeſſilibus caule proſtrato LINN. *Sp.*

Sp. pl. p. 792. α, Polium montanum luteum C. B. Teucrium aureum SCHREB. *vertic. vnil. n. 43.* qui ſuffrutex *in* Gallia auſtrali, Hiſpania, Syria creſcit.

Germani, *Teucrium montanum*; corymbis terminalibus glabris, foliis petiolatis ellipticis margine reuolutis ſubtus tomentoſis, caule procumbente SCHREB. *l. c. n. 57.* quod et *T. ſupinum* et montanum LINN. includit. Suffrutex Europae calidioris, apricis ſabuloſis creſcens.

Angli, *Teucrium capitatum*; capitulis pedunculatis, foliis lanceolatis crenatis tomentoſis, caule erecto LINN. *Spec. pl. p. 792.* Polium maritimum erectum monſpeliacum C. B. Icon: REGNAVLT *Botanique*, le Thim blanc des Montagnes. Teucrium Belion SCHREB. *l. c. n. 49.* etſi et alia efficacia Teucria ſubinde in vſum tracta (LEWIS *M. m. p. 463.*). In Europae calidioris et Mauritaniae maritimis.

In *Pharmacopoea Lond. p. 15.* ſuppar vtrique Polio, Cretico et montano, virtus tribuitur. Eſt tamen qui Creticum efficacius exiſtimat (MILLER. *bot. offic. p. 353.*). *Pharm. Edinburgenſis* Polium montanum vnice requirit. Sed inter tot alia efficaciora vtrumque abeſſe poteſt. Pertinet huc remedium, ex Terebinthina Veneta et Polio contra podagram, olim inter Italos vſitatum (V. *Appar. Med. T. I. p. 19.*). MITHRIDATIO Polium montanum Germani addunt.

232.

Pharm. SCORDII *Herba.*

Teucrium Scordium; foliis oblongis seſſilibus dentato-ſerratis, floribus geminis axillaribus pedunculatis, caule diffuſo LINN. *Syſt. veg. p. 400.* SCHREB. *vertic. vnil. n. 29.* Scordium C. B. Icon: *Flor. Dan. Tab. 592.* REGNAVLT *Botanique*, le Scordium. Planta perennis, creſcens in vliginoſis Europae.

HERBA Allium ſpirat cum leui aromate, ſaporem vero intenſe amarum habet. Longiori mora perdit odorem ſuum ſimulque ingratior eius ſapor fit. Vtrumque *aquae et ſpiritui vini* impertit infuſione. Spirituoſum extractum etſi parcius aquoſo, tamen amarum magis et efficacius (NEVMANN *Chym. Vol. 2. P. 4. p. 195.* CARTH. *Mat. med. T. 1. p. 519.*). Olei aetherei exiguum modo vehit, illudque per aquam, quae deſtillando aſcendit, diſperſum, a quo odor alliaceus dependet (NEVM. *l. c.*). Hic idem in vaccarum adeo lac ſeſe transfert (LINN. *Fl. Suec. n. 513.*).

Calidae eſt naturae, ventriculo robur reſtituit, putredinem efficaciter coërcet, obſtructiones viſcerum reſerat, ſudorem mouet. Et haec quidem experientia ſaepe repetita docet.

Verum et alexipharmaci titulo herbam vno fere ore auctores condecorarunt, dignam hocce tam vi anti-

antiseptica quam sudorifera censentes. In prioris virtutis testimonium non moror fabulosam antiquam narrationem, quod in proelio interemtorum cadauera, quae in Scordium inciderint, tardius longe, quam reliqua computruerint (GALEN. *de antidot. Lib. 6. cap. 12.*), tanto minus quum adhuc dubium valde, an veterum Scordium cum nostro idem sit. Inter alios contagiosos malignosque morbos ad ipsam pestem efficaciam eius extenderunt. Sed nullibi fere in hisce malignis morbis herbam solam administratam offendo, sed in connubio multorum aliorum sub variae praeparationis forma (*V. e. g.* DIEMERBROEK *Tract. de peste*), in Electuario Diascordii aliisque infra recensendis formulis, vt saltem plerumque, si qua dictorum fides, meritum curationis inter plura diuisum maneat. Sanioris vero medicinae luce nouimus, quantum noxae ex calidis illis et sudoriferis, in hisce morborum generibus, tantum non semper redundet. In peste tamen ad sustentandas vel erigendas vires et subsequam corruptelam humorum auertendam non infimi loci, prout alia stimulantia et antiseptica, Scordium est. Ita decocto eiusdem cum tantillo terrae Lemnios mixto, comitatus legati BVSBECK (*Lettres par* DE FOY *T. 1. p. 198.*) primo pestis stadio in Turcia per iter correptus, sudoribus largis ex vsu insequutis, mortis periculum eluctatus est. (Conf. CHENOT *de peste p. 132.*).

Porro contra lumbricos commendatur, et veſtibus laneis appoſita haſce aduerſus tineas blattasque tueri notatur, (RIVER. *Obſerv. med. Cent. 1. n. 16.*), quas vero ſimiles laudes de herba Hyperici a RIVERIO non exſpectaſſem. Hydropem anaſarca diſpulit et menſtruum fluxum reſtituit (KLEINKNECHT *de Scordio p. 69.* HALL.). Si aſthmaticis opem ferat, non tamen phthiſicis ex vlcere pulmonum concedi debet, qua in re abuſus in Heluetia factus (HALL. *hiſt. ſtirp. helv. n. 288.*). Infuſum aqua Scordium plerumque datur.

Sed memorandus eſt vſus eius externus in gangraena eximius, quam et vi antiſeptica et ſtimulo in vicinia loci affecti impertito coërcet, in quem finem alia ad augendum effectum addi ſolent. Pro fomento inſeruit decoctum vel infuſum herbae, vino vel aceto mixtum, adiecto quoque ſale. Cataplaſma quoque ex herba recens conquaſſata et aceto ſaleque mixta parari poteſt (TOVRNEF. *Plant. de Paris T. 2. p. 301.* Conf. *Chirurgia* HEISTERI et PLATNERI). Vlcerum curationem vel ſolus puluis inſperſus abſoluit (REVSNERI *Obſ. in* WELSCH. *Syll. curat. p. 72.*).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

AQVA SCORDII *Ph. W. p. 6.* Spirat recens herbae odorem, ſed in officinis iners plerumque eſt.

ES-

ESSENTIA *l. c. p. 84.* Est haec simplex. Vis spiritus vini *praeualet.* Alexipharmaca et sudorifera praedicatur *ad* guttas sexaginta.

ESSENTIA SCORDII COMPOSITA s. DIASCORDIVM LIQVIDVM MAVR. HOFFM. *l. cit.* Constat ex radicibus multis calidis, Croco, Myrrha rel., inter quae et Scordium et Opium, spiritu vini e baccis Iuniperi abstracto maceratis. Exagitat igitur sanguinem, et sudorem inter vires anodynas Opii insigniter mouet. Vncia vna eius grana circiter duo Opii continet. Redit huc iterum ambigua alexipharmaci laus.

ESSENTIA ALEXIPHARMACA STAHLII *l. c. p. 74. Cfr. Appar. med. T. 1. p. 546.* Cui fini destinauerit auctor, titulus indicat. Nocuisse vero innumeris exemplis in febribus hanc essentiam, vt reliquas in vniuersum, augendo febrem et diathesin inflammatoriam vel putridam, et excitasse purpuram, exanthemata miliaria vel petechias, certissimum est, quorum culpae haud parum in menstruum spirituosum coniicio.

ESSENTIA ALEXIPHARMACA TEMPERATA STAHLII *l. c. p. 75.* Conf. *Appar. med. l. c.*

EXTRACTVM *Ph. W. p. 88.* Fit menstruo semispirituoso. Debilius herba.

SYRVPVS *l. c. p. 218.* Meretur seruari.

ELECTVARIVM DIASCORDIVM s. DIASCORDIVM FRACASTORII *l. c. p. 46.* Descripserat illud

auctor in libro *de contagionibus et morb. contag. Lib. 3. Cap. 7.* ad finem. Conſtat ex adſtringentibus, aromaticis, terreis, gummoſis, inter quae et Scordium cum pauxillo Opii, conſerua Roſarum et melle exceptis. Vnciae ſingulae inſunt grana circiter duo Opii. Memineris tamen proportionem variare, ſi exſiccari incipit. Drachmae eius duae ad tres pro doſi aſſignantur. Inconcinna haecce, et ſuperfluis et inanibus multis referta formula omnino opus habuit correctione, quam et SYLVIVS (*Ph. Brand. p. 58.*) et Londinenſes (*Ph. L. p. 90. 98.*) moliti ſunt, ſed non tam ſcite, vt eadem acquieſcere liceat. Maxima eius abbreuiatio occurrit in *Ph. Suec. p. 88.* et ſelectus tantopere a priſtino diſcrepans, vt nomen FRACASTORII vix ſeruari mereatur, licet et Scordium admittat. Morbis malignis et contagioſis, imo ipſi peſti accommodatum voluit auctor, ſed vehiculo acido temperatum. SYDENHAMI quoque plauſum tulit in ſingultu et diarrhoea febrium, contra quam in clyſmate etiam adhibendum curauit. Tutius vero extra febres datur, et hodie fere vnice ad ſiſtenda alui profluuia nimia poſt euacuationes praegreſſas.

233.

Pharm. CHAMAEDRYOS *Herba.*

Teucrium Chamaedrys; foliis cuneiformi-ouatis incisis crenatis petiolatis, floribus ternis, caulibus procumbentibus subpilosis LINN. *Syst. veg. p. 440.* β. Chamaedrys minor repens C.B. Conf. SCHREB. *vert. vnil. n. 21.* Icon: *Fl. Dan. p. 448.* REGNAVLT *Botan.* la Germandrée. Pl. perennis, in Galliae, Italiae, Heluetiae, Germaniae australis locis asperis montosis et ad oras viarum crescens.

HERBA modice amara cum odore subaromatico. Cum aqua pariter ac *spiritu vini efficaciam* suam communicat, *illam* vero magis, quam hunc, amaram reddit.

Praestans stirps et incidendi et roborandi vi etiamnum clara. — In arthritide celebrata impensius. Commendatum eo fine, inter tot alios, qui inde sanati dicebantur, CAROLO V. decoctum ex vino a medicis Genuensibus, post purgans praemissum per sexaginta dies ingerendum (VESAL. *rad. Chin. p. 111.*). Multus in eodem decocto praedicando est SOLENANDER (*Consil. med. Sect. 5. p.* 475.), SENNERTique (*Oper. Ed. Lugd. T. 5 et 6. p. 568 et 663.*) tempore pariter compluribus placuit, variasque antiquiores formulas antarthriticas, quas adducit (*l. c. p. 176 et 177.*), aliasque superioris aetatis formulas intrat;

trat; quarum ad normam *Puluis antharthriticus ducis Portlandiae* (*V. Appar. med. T. 1. p. 353.*) concinnatus est. Fermentationem herbae cum hydromelle illustri olim Suecorum heroi A TORSTENSON instar omnium praescripsit a GVLDENKLEE (*Oper. Ed.* RIVIN. *p. 700.*). Quod praeparationis quoque genus, vti et fermentationem cum musto, vel cereuisia, nec non essentiam SENNERTVS (*l. c. p. 177.*) probat.

In *febribus intermittentibus* tantam olim fidem adsciuerat, vt febrifugam dixerint (CAESALPINVS *de plant. p. 455.*). Aegyptii drachmam pulueris per horam ante accessionem optimo successu ingesserunt. (ALPIN. *med. Aegypt. p. 316.*). Successit et rusticis *Monspelienſibus puluis in iusculo captus contra ipsam* quartanam (RIVER. *Observ. Cent. 4. n. 84.*). Quin decoctum ante et post paroxysmum datum tertianam sanasse in his, qui frustra cortice Peruuiano vsi sunt, legitur (SEGVIER *pl. Veron. T. 1. p. 319.*). Infusum ex hac et Centaurio minori cum vino paratum eandem praerogatiuam demonstrauit (CHOMEL *Usuelles V. 2. p. 139.*).

Nec in asthmate et tussi inueterata, a pulmonum infarctu oriundis, spernenda multorum testimonio; qua in re ad Marrubium accedere proxime mihi videtur. Arridet in hisce vitiis miscela cum melle in decocto, (CHOMEL *l. c.*). — Hypochondriacis vtilissima pronunciatur (SENNERT *l. c. p. 665.*), quibus qui-

quidem amaritie et resoluendi virtute subinde leuamini esse potest. — Addo adhuc vnice, decocti vim in menstruorum suppressione creberrime ab Anglis mulierculis fuisse exploratam (RAII *Hist. pl. T. 1. p. 527.*).

234.

Pharm. CHAMAEPITYOS *Herba.*

Teucrium Chamaepitys; foliis trifidis linearibus integerrimis, floribus sessilibus lateralibus solitariis, caule diffuso LINN. *Spec. pl. p. 787.* Chamaepitys lutea vulgaris *f. folio trifido* C. B. Conf. SCHREB. *vertic. vnil. n. 4.* Icon: *Fl. Dan. Tab. 733.* REGNAVLT *Botanique*, l'Ivette. Pl. annua, crescens in agris glareosis Europae australis, etiam Germaniae, variis in regionibus, item in Palaestina, Africa septentrionali et Virginia.

Recens stirps, viscida ad attactum, odorem habet resinosum instar Pini, saporem amarum. Vires suas tam aquae quam spiritui vini erogat, liberalius vero huic. Infusum aqua factum valde amarum et nauseosum. Extractum aquosum amaro austerum est, spirituosum subdulce et calidum (LEWIS *M. m. p. 209.*).

Conuenit HERBA maxime efficacia cum ista Chamaedryos. Nominatim et Chamaepityn omni tempore in arthritide magni fecerunt, vnde et ab

antiquioribus botanicis Iua arthritica dicta, et nomen olim Pilulis de Yua arthritica NICOLAI (Salernitani) dedit. In omnibus articulorum affectionibus praestantissimum declarat SENNERTVS (*Oper. T. 5. 6. p. 177.*). Placuit multis puluerem cum Terebinthina compingere (CLAVDIN. *Consult. 19. p. 49. Consult. 39. p. 93.* SENNERT *l. c. p. 568 et 569.* MATTHIOL. *in* DIOSC. *p. 669.*), horumque diuturno vsui indulgere. Pari passu cum aliis contra arthritidem idoneis in formulis bene multis (SENNERT. *l. c. p. 176. sq.*) ambulat, vt in ista Ducis Portlandiae, de qua nuperrime dictum, quum tamen praestitisset eam solam praescribere, vt virtus propria innotesceret, inque puluere. Sed redit hic querela ad amara in arthritide generatim, praecipue longo tempore capta, pertinens, non sua noxa carere. Ita quidem apud nonnullos in Heluetia decoctum Chamaepityos cum similibus roborantibus podagram fugauit, sed in febres deinde lentas aut asthma, aut apoplecticos insultus inciderunt (IO. GESNER in HALL. *Epist. Vol. 5. p. 54.*).

Commendabilem et sese reddidit infarctus viscerum aperiendo et icterum discutiendo (FERNEL. *method. med. L. 5. c. 7.* et *c. 23.*). In puluere et infuso exhiberi poterit: de coquendo timendum, ne quid virium pereat (HALL. *stirp. Helv. n. 284.*). Externe olim ad abstergenda et consolidanda vlcera maiori in pretio habita, quam hodie.

AIV-

AIVGA.

LINN. *Syst. veg. p. 438. Gen. pl. p. 287.*

235.

Pharm. CONSOLIDAE MEDIAE s. BVGVLAE Paris. *Herba.*

Aiuga pyramidalis; tetragono-pyramidalis villosa, foliis radicalibus maximis LINN. *Syst. veg. l. c.* Cfr. SCHREB. *vertic. unil. n. 3.* Icon: *Fl. Dan. Tab. 185.* Pl. biennis, in pratis montanis crescens.

Praeeunte LINNEO hanc speciem significo. Huius loco *medicas vires refert* HALLERVS (*Hist. st. helv. n. 282.*) ad *Aiugam reptantem* L. glabram, stolonibus reptantibus (*Syst. veg. l. c.*), cuius icon vide in BLACKWELLIAE opere *Tab. 64. fig. 1.* item REGNAVLT *Botanique*, la Bugle; sed male in proxima effigie omissi stolones.

HERBA subadstringens cum amaritie leui. Vulneraria igitur secundum vulgarem conceptum habita. Nec in vlceribus pulmonum aliisque internis spreta a RIVERIO (*Prax. med. L. 7. c. 7. T. 1. p. 349.*), qui decoctum eius in iusculo veruecis mire prodesse affirmat, aliisque. Hinc et intrauit varias aquas vulnerarias, aquam visceralem MAVCHARDI. Viribus ad Prunellam accedit. Sufficit stirpem obsoleti vsus pro gargarismate vnice in angina seruare, in qua ipsa

et

et vim ſuam experimentis comprobauit (MALOVIN in *Mem. de l'Ac. d. ſc. de Paris. 1754. p. 512.*).

THYMVS.

LINN. *Syſt. veg. p. 252. Gen. pl. p. 297.*

236.

Pharm. THYMI *Herba.*

Thymus vulgaris; erectus, foliis reuolutis ouatis, floribus verticillato-ſpicatis LINN. *Spec. pl. p. 825.* Thymus vulgaris, folio tenuiore C. B. Icon: REGNAVLT *Botanique*, le Thim. Fruticulus in locis excelſis ſaxoſis Hiſpaniae et Galliae inferioris creberrimus. Hiemem regionum etiam magis ſeptentrionalium probe fert, vbi in vſum culinarium abundanter colitur, et, vt parcatur ſpatio decorique ſimul conſulatur, areae eo cinguntur.

HERBA ſaporis calidi, pungentis cum amaritie quadam linguam, odoris fragrantis non admodum grati. Deſtillatione largitur oleum aethereum copioſum. Aqua infuſione eiusdem odora quidem euadit, ſed ſaporem modo debilem acquirit, conuerſa, ſi infunditur ſpiritus vini, ratione. Camphorae ſpeciem continet herba, quae ſeſe declarauit mox poſt deſtillationem eius cum aqua, dum oleum ab ea ſepararetur, tam in goſſypio quam orificio vitri, cryſtallis exi-

exiguis, dein post aliquot dierum moram in fundo vitri crystallis, Auellanae nucis adeo magnitudinis, cubicis, saccharo candi similibus. Hae plerisque notis conuenerunt cum Camphora ex Lauro camphorifera, Thymi odorem prae se ferentes (NEVMANN in *Phil. Transactions Vol. 33. p. 321. sqq.* recus. in *Miscell. Berol. T. 3. p. 70. sqq.*), quamuis in quibusdam discreparint (BROWN in *Phil. Transf. l. c. p. 361. sqq.*), non ita tamen, quin iustus maximeque idoneus in chemicis, vt tot aliis arbiter, ill. GAVBIVS (*Aduerf. varii argum. p. 100. 103.*) inuentoris, NEVMANNI, iudicio de arctissima eius cum vera camphorae cognatione subscriberet. *Non potest igitur hocce concrementum ad salia volatilia oleosa solida, quae in oleis aethereis per multos annos seruatis subinde reperiuntur, referri.*

Vsus eius culinario scopo longe frequentior, quam medico. Etenim vulgare ciborum pauperioribus condimentum, praecipue farciminum. Ceterum, si salutaris vis spectetur, multa cum reliquis verticillatis aromaticis similia patrat, de quibus infra sub Lauendula, Saluia, Roremarino, vtne in repetitiones ingratas incidam, pluribus.

PRAEPARATVM.

OLEVM DESTILLATVM. Vbiuis obuium. Tanta copia emergit, vt SPIELMANNO (*Mat med.*

pag.

p. 300.) vnciam eius vnam herbae librae octo ſuppeditarint, CARTHEVSERO (*Mat. med. T. 2. p. 115.*) autem drachmam vnam et ſemiſſem herbae libra vna. Valde acre eſt, coloris vel flaui, vel ſi fortior ignis adhibitus, profunde bruni.

237.

Pharm. SERPYLLI *Herba.*

Thymus Serpyllum; floribus capitatis, caulibus repentibus, foliis planis obtuſis baſi ciliatis LINN. *Syſt. veg. p. 452.* Serpyllum vulgare minus C. B. Icon: REGNAVLT *Botanique*, le Serpolet. Suffrutex *in locis campeſtribus aridis creber.*

Sapor HERBAE aromaticus ſubamarus, odor gratus ad citrinum inclinans, calcando viatores reficiens, gratior adhuc in Varietate, quam CASPARVS BAVHINVS foliis citri odore diſtinguit, quae *Thymus citratus* in *Ph. Lond.* audit. Oleum eius aethereum, blandius longe quam Thymi, parca modo quantitate eruitur. Accepta apibus ſtirps (*Svar på Frågan om bi-ſkötſeln. Reſp. 2.* HAGSTRÖMII *p. 128.*).

Derelicta hodie a medicis non inefficax ſtirps, vt fere vnice extrinſecus ſubinde ad diſcutiendos ſtagnantes humores partesque roborandas, vel in ſaccu-lis vel fomenti inſtar vino cocta applicetur, vti et in balneo ad ciendos menſes adhibeatur. Infuſum potatum

tatum ill. A LINNE' et ore et ſcripto (*Fl. Svec. n. 535.*) contra cephalaeam a crapula laudauit.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

AQVA DESTILLATA *Ph. W.*

OLEVM DESTILLATVM *Ph. W.* Rubicundum, fragrans. Ad drachmam dimidiam ex libris triginta recentis herbae elicitur (BAVME' *Pharmacie T. 2. p. 45.*). Denti carioſo inditum eius dolori medetur (MILLER *Bot. offic. p. 411.*).

SPIRITVS *Ph. W. p. 198.* In paralyſi linguae ore cum ſucceſſu retinetur.

AQVA BENEDICTA SERPILLI *Ph. W. p. 10.* Eſt aqua vinoſa ex fragrantibus herbis et aromatibus conſtans, vnde ad incidendum et excitandum valet abſente febre.

MELISSA.

LINN. *Syſt. veg. p. 453. Gen. pl. p. 298.*

238.

Pharm. MELISSAE CITRINAE *Herba.*

Meliſſa officinalis, racemis axillaribus verticillatis, pedicellis ſimplicibus LINN. *Spec. pl. p. 827.* Meliſſa hortenſis C. B. Icon: REGNAVLT *Botanique*, la

la Meliſſe. Pl. perennis in montibus auſtralioris Europae ſponte creſcit; in hortis vero colitur.

An Μελισσοφυλλον ſ. Μελιτταινα DIOSCORIDIS (*Lib. 3. c. 118.*) ſit, merito dubitatur, adeo vt NICANDER (*Theriac. v. 554. 555.*) nomen ad Marrubium transferat. Qui plura circa ambiguam veterum Graecorum et Latinorum notitiam de noſtra planta noſſe cupiat, adeat SCHVLZIVM (*Diſſ. de Meliſſa Hal. 1739.*).

HERBA recens odore Citrum refert, vix exſiccata, ſapor eius nonnihil acris et aromaticus. Infuſum aquoſum citreum odorem recipit, nec ingrate ſapit. *Hinc et Theae Chinenſi* ſubſtituere quibusdam viſum (V. *Hann. Magaz. 1770. n. 71.* ex *Relat. Gieſſ.*). Extractum ex eo ſpiſſatum tamen amariuſculum et ſubauſterum. Spiritus vini infuſus plus ſapidi minus odoriferi eruit; pondus extracti inde facti altero minus. Olei aetherei pauxillum modo herbae ineſt, nec niſi ex magna copia ſtirpis vel cohobatione aquae euoluendum. Ita vulgo ſentiunt. Interim ſtirpem, poſtquam iam defloruerit, decerptam ſatis conſpicuam copiam olei largiri traditur, quum praecocius collecta parum eroget (SCHVLZ *l. c. p. 10.*).

Arabes primum ad neruos reficiendi, animum exhilarandi, vires deiectas erigendi, virtutem animum aduerterunt. Quae laus a multis recentioris aetatis iteratur ad vertiginem, memoriae labem, para-

ra-

ralyſin, melancholiam, nominatim hypochondriacam de puluere foliorum ad drachmam vnam ſingulis diebus per menſem vſurpato (FR. HOFFM. *Diſſ. de remed. domeſt. §. 20.*), ad maniam veram de infuſo eorum ſpiritu vini facto (RIVER. *Prax. L. 1. cap. 13. p. 92.*), palpitationem cordis in conſerua (FOREST. *Obſerv. Lib. 28. n. 65.*) aliasque ſyſtematis neruoſi affectiones. In aqua probe parata colligi, quicquid ineſt virium, grauis teſtis exſtat (BOERHAAV. *Chem. T. 2. p. 67.*), qui in melancholicis, hypochondriacis, chloroſi laborantibus, palpitationi cordis obnoxiis, quoties mala haec a ſpirituum perturbatione magis, quam a materiae morbificae mole aggeſta pendeant, hacce vix par aliud remedium agnoſcit.

Menſtruum fluxum tardantem ciëre decoctum, iam dudum mulierculae nouerunt (SIMON PAVLLI *Quadr. bot. p. 436.*), nec hodie, quod ſcio, infuſum hocce fine negligitur.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

AQVA DESTILLATA. Pretium eius iam prolatum.

OLEVM DESTILLATVM, flaueſcens, fragrans. Sunt qui in morbis capitis a ſyſtematis neruoſi labe oriundis et neruorum debilitate, illud impenſius laudant (FR. HOFFM. *Obſ. phyſ. chym. p. 19.* item BOERH. *l. c.*).

AQVA MELISSAE CVM VINO *Ph. W. p. 20.*

AQVA MEL. SPIRITVOSA COMPOSITA, *Eau de Carmes l. c.* Efficax ſodalitio variorum aromatum ſpiritus in paralyſi flatulentisque affectibus drachmae vnius ſupraque doſi; externa etiam applicatione.

AQVA MEL. ANTIHYSTERICA *l. c.* Vſus praecipuus, cui deſtinata, ex nomine et adiectis Caſtoreo et Myrrha patet. Praeter haec et Meliſſam aromatica quaedam vino digeſta continet.

SYRVPVS *Ph. W. p. 214.*

239.

Pharm. CALAMINTHAE vel CAL. MONTANAE Edinb. *Herba.*

Meliſſa Calamintha; pedunculis axillaribus dichotomis longitudine foliorum LINN. *Spec. pl. p. 827.* Calamintha vulgaris vel officinarum Germaniae C. B. Icon: Calamentha RIVIN. *irreg. monop. Tab. 46.* Pl. perennis, creſcens in dumetis Heluetiae, Italiae, Galliae, Hiſpaniae.

Male huic quidam pharmacopolae Clinopodium vulgare L, vix aromaticum, ſubſtituunt. In Anglia Herba ex *Meliſſa Nepeta* pedunculis axillaribus dichotomis folio longioribus, caule aſcendente hirſuto LINN. *Syſt. veg. 453*, quae eſt Calamintha Pulegii odore ſ. Nepeta C. B., colligitur, efficaci omnino ſtirpe,

ſtirpe, ad vires Pulegii accedente tamque acri, vt veſicas cuti impoſita excitet (HALL. *ſtirp. helv. n. 240.*).

Altera extra Angliam magis expetita blandior quidem, attamen odoris fragrantis, ſi teritur herba, et menthaceum aemulantis, et ſaporis calidi. Non ſpernendae igitur efficaciae, ſed ob ſimiles alias ſtirpes ſenſim in deſuetudinem abiit. Vires eius plerumque ad iſtas Menthae exigi ſolent.

MELITTIS.

LINN. *Syſt. veg. p. 455. Gen. pl. p. 299.*

240.

Pharm. MELISSOPHYLLI *Folia.*

Melittis Meliſſophyllum; LINN. *Syſt. veg. l. c.* Lamium montanum, meliſſae folio C. B. Meliſſophyllum verum FVCHS. *Hiſt. ſtirp. p. 497.* Icon: IACQV. *Auſtr. Tab. 26.* REGNAVLT *Botanique*, la Meliſſe batarde, item in IO. MILLERI *Illuſtr. Syſt. ſexual.* Pl. perennis dumetorum Germaniae, Auſtriae, Heluetiae, Monſpelii.

Hoc eſſe veterum Graecorum Μελισσοφυλλον, Latinis Apiaſtrum dictum, FVCHSIVS innuit, quod apibus maxime in deliciis eſſe tradiderunt, adeo vt, ſi eo aluearia perungerentur, iſtae non aufugerent.

Perperam Lamium Plinii nuncupatur a SAM. FR. KÖNIG (in *Diſſ. de Lamio Plinii, Argent. 1742. c. ic.*), quod nomen rectius ad Lamium maculatum L. applicatur.

Rariſſime vſu venit elegans haecce ſtirps, ſed paucis tamen hic memoranda venit, ob vires illi hinc inde adſcriptas. Odor FOLIORVM Lamii, ſed gratior, ſapor ſubamarus. Aqua ex iis deſtillata valde fragrans cum oleo ſupernatante (KÖNIG *l. c. p.* 7.). Vtinam KÖNIGIVS, in analyſi chymica et ex eadem ad vires medicas concludendo multus, plus practicae experientiae tribuiſſet. In ſuppreſſione lotii reſeranda (TOVRN. *Pl. de Paris T. 2. p. 439.* adſtipulante GARIDEL in *plantes d'Aix p. 313.*) et renum ſabulo et calculis emolliendis (KÖNIG *l. c. p.* 17.), item in fluxu menſtruo pellendo (SPIELM. *M. m. p. 653.*) valere, notatum. Argentoratenſibus prae reliquis hodie commendabile videtur, idque in infuſo theaeformi.

HYS-

HYSSOPVS.

LINN. *Syst. veg. p. 441. Gen. pl. p. 289.*

241.

Pharm. HYSSOPI *Folia* vel *Summitates.*

Hyssopus officinalis; spicis secundis foliis lanceolatis LINN. *Syst. veg. l. c.* Hyssopus officinarum siue spicata C. B. Icon: IACQV. *Austriac. T. 254.* REGNAVLT *Botanique*, l'Hyssope. Pl. suffruticosa, in Austriae subalpinis et Sibiria sponte crescens, in hortis alibi colitur.

Sapor FOLIORVM *amaro calidus, odor fragrans. Spiritus vini plus virium extrahit, quam aqua, sicque impraegnatus extractum exhibet subamarum calidum et acre; extractum aquosum autem amaricans acerbum et subsalsum est. Aqua destillata fragrantiam herbae recipit, et oleum secum abripit ad vnciam vnam vsque ex libris sex recentis herbae, teste* LEWIS (*M. m. p. 317.*), *aliis in proportione discrepantibus.*

Prae reliquis, quibus herba pollet, virtutibus, incidens et resoluens omnium animos tenet. Hasce in morbis pectoris frigidis, tussi, asthmate, efficaciter exercet, vt vulgare ideo infusis theaeformibus additamentum exstet, modo palato sapor non displiceat omnisque febris absit. *Ad ventriculum roborandum*

facit. In Suecia infusum aquosum vermibus intestinorum infestum esse constitit. Eo quum vteretur contra tussim mater, infans eius aliquot cyathos mane hausit eo euentu, vt copia insignis vermium secederet (ROSENSTEIN *Barnsjukd. p. 358.*).

In angina pituitosa gargarisma eiusdem confert. Stagnantem ex contusione sanguinem fotu applicata herba potenter discutit. Nec excluduntur sugillationes oculorum, quibus herba intra sacculum aqua (RIOLAN. *Curat. morb. ocul. p. 876.*) vel et vino decocta (SIM. PAVLLI *Quadrip. bot. p. 389.*), clausis palpebris, subuenit. Hinc et ill. A ROSENSTEIN (*Refe. apot. p. 40.*) in ophthalmia post applicationem hirudinum foueri tepide aliquoties de die iubet oculum vino Pontack, in quo herba haec decocta fuerit, superimposito postea eiusmodi sacculo eodem vino impraegnato.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

AQVA DESTILLATA. Aromatica.

OLEVM DESTILLATVM. Flauicans initio, dein subbrunum, valde acre, odore plantae.

SYRVPVS *Ph. W. p. 212.* Recipit Hyssopum, Capillos Veneris, radices Helenii et Apii. Pectoris vitiis supra dictis dicatus. SYRVPVS *Cod. med. Paris. p. 29.* simplicitate sua praestat.

LA-

LAVENDVLA.

LINN. *Syst. veg. p. 443. Gen. pl. p. 290.*

242.

Pharm. LAVENDVLAE *Flores.*

Lauandula Spica, foliis lanceolatis integris, spicis nudis LINN. *Spec. pl. p. 800. α*, Lauandula angustifolia C. B. Icon: GARIDEL *Plantes d'Aix Tab. 60. Hort. Rom. T. 3. Tab. 72.* REGNAVLT *Botanique*, la Lavande femelle. Fruticulus, crescens in Italia, Hispania, Languedocia item Heluetia passim. In hortis ad areas sepiendas et florum causa colitur.

Per FLORES autem intelligendi integri verticilli cum bracteis calycibus et corollis nondum expansis. Verticillorum, quorum flores expansi, vis inferior. Praeter Varietatem α, altera β, latifolia in *Ph. Paris. p. 87.* quoque requiritur, quae, planta annua, altera efficacior censetur. Sed de priori solo hic sermo esto. Folia longe debiliora.

Placent flores gratia odoris, vt inter lintea reponantur, materiem iuxta Rosas primariam constituant odoramentorum siccorum et suffitibus iucundis addantur. Sapor illis inest amaricans, calidus. Virtutes suas et in aquam et in spiritum vini transfert, copiosius autem in hunc. Aqua destillata oleum, fragrantiam florum continens, secum rapit, copia non

semper eadem ad $\frac{1}{60}$ (LEWIS *Mat. med. p. 344.*) vel $\frac{1}{64}$ (CARTHEVS. *M. m. T. 2. p. 149.*); nonnisi $\frac{1}{250}$ autem ill. SPIELMANNVS (*Chem. p. 214.*) elicuit. Vix vnquam absque praeuia praeparatione per os ingeruntur. Omnes vero in eo conuenimus, neruos reficere, stimulare et roborare insigniter, vt in animi deliquiis, paralysi, tremoribus artuum, vertigine affinibusque systematis neruosi morbis conducat, resoluendi pariter efficacia haud mediocri instrui et sudorem pellere. Absint autem congestiones humorum ad caput, plethora, febris, praecipue si liquidis spirituosis flores hi excipiuntur, per quae menstrua manifeste saepe nocuerunt. Tutius sacculis vel fomentatione extrinsecus ad stagnationes humorum varias dissipandas imponuntur.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

AQVA DESTILLATA *Ph. omn.* fragrans, analeptica.

OLEVM DESTILLATVM LAVEND. s. SPICAE *Ph. omn.* Coloris laete flauicantis, acre. Ex Gallo-Prouincia copiose transfertur, sed saepe adulteratur spiritu vini vel oleo Terebinthinae (V. GEOFFROY *Mem. de l'Ac. d. sc. de Paris 1715. p. 321.*). Paralyticis membris externe infricatur. Rarissime externe ad aliquod guttulas vsurpatur.

SPI-

SPIRITVS *Ph. omn.* Eau de Lavande. Simplex cum ſpiritu vini. Vulgatiſſimus ſpirituum odoratui dicatorum. Crebro ad excitandos deliquio animi proſtratos naribus, temporibus, carpis adhibetur, quo autem fine acetum concentratum longe praeferendum, et hocce ſpiritus ſalis ammoniaci cum calce viua paratus. In paralyſi artuum externe inungitur. Ore retentus balbutiem et linguae paralyſin leuat.

SPIRITVS LAVENDVLAE COMPOSITVS *Ph. Lond. p. 58.* Anglis Palſy-drops. Aromatum aliorum acceſſione, altero fortior. Huius naturae plura adhuc continet ſpiritus hic ſecundum *Ph. Edinb. p. 33.* concinnatus. Santalum rubrum coloris cauſa vtrobiuis additur. Guttae huius octo vel decem, ſaccharo inſtillatae, vel cum pauxillo vini ſ. aquae Cinamomi ingeſtae, eximie in defectu virium ſubitaneo, animi deliquio et apoplexia ſeroſa, refocillant (ROSENST. *Apot. p. 35.*).

ACETVM *Ph. W. p. 1.*

BALSAMVS *Ph. W. p. 29.* Ex oleo deſtill. Lauend. et Oleo nuciſtae expreſſo.

GVTTAE ANGLICANAE CEPHALICAE *l. c. p. 99.* Deſtillatione ſpiritus volatilis ſerici crudi et olei deſtillati Lauend. ſpiritu vini diluti.

PVLVIS STERNVTATORIVS *Ph. Lond. p. 89.*

243.

Pharm. STOECHADIS vel STOECHADIS ARABICAE *Flores.*

Lauandula Stoechas; foliis lanceolato-linearibus integerrimis, ſpicis comoſis LINN. *Syſt. veg. p. 443.* Stoechas purpurea C. B. Icon: REGNAVLT *Botanique, le Stoechas.* Suffrutex Hiſpaniae, inferioris Galliae, Italiae.

Vtique non ſpernenda planta, cuius et folia, inter digitos trita, camphoraceum odorem ſpargunt.

FLORES vero ſeu potius integrae ſpicae vnice expetuntur, gratum forteque aroma ſpirantes et amaricantis calidique ſaporis. Largiuntur deſtillatione non parum olei fragrantis, quo ſi exuuntur, extractum amariuſculum et ſubadſtringens remanet. Superfluam Stoechadem reddidit Lauendula, vnde nec niſi vetuſtate effoeti flores in officinis proſtant.

Intrant THERIACAM et MITHRIDATIVM.

ORI-

ORIGANVM.

LINN. *Syst. veg. p. 452. Gen. pl. p. 297.*

244.

Pharm. DICTAMNI CRETICI *Folia.*

Origanum Dictamnus; foliis inferioribus tomentosis spicis nutantibus LINN. *Spec. pl. p. 823.* Dictamnus creticus C. B. Icon: REGNAVLT *Botanique*, le Dictame de Crete. Pl. frutescens ex Candiae monte Ida.

Rari hodie vsus, vnde vix nisi inertior herba in fasciculos colligata, *in quibus subinde capitula florentia et caules, in officinis* seruatur. FOLIA vero integrae virtutis saporis sunt aromatici et feruidi odorisque fragrantis. Olei ex integra libra in summum drachma dimidia eruitur, quod ipsum luteo-brunum penetrantis odoris saporisque est (NEVMANN. *Chym. Vol. 2. P. 2. p. 282.*), aqua, cum quo ascendit, aromatica. De hac stirpe veteres Graeci Latinique fabulati sunt, ea deuorata capras sagitta transfixas telam eiicere (THEOPHR. *Hist. l. 9. c. 16.* DIOSC. *L. 3. c. 37.* ARIST. *9. Hist. 6.* VIRGIL. *Aeneid. l. 12. v. 412. T. 3. p. 563. Ed.* HEYN. PLIN. *Lib. 25. c. 8.*); repetierunt commentum recentiorum varii inter exempla salutaris brutorum in medicamina instinctus. Noxius magis est error, quod ad partus difficiles accelerandos vel certe do-

dolores ſedandos conducere veteres crediderint (THEOPHR. DIOSCOR.), qui et ad reſerandos menſes et ſecundinas pellendas adhibuerunt (HIPPOCR. *de morb. mulierum*, item *de nat. mulierum.*).

In DIASCORDIO, MITHRIDATIO, THERIACA hodie adhuc vſu venit.

245.

Pharm. ORIGANI CRETICI *Herba.*

Origanum creticum; ſpicis aggregatis longis priſmaticis rectis, bracteis membranaceis calyce duplo longioribus LINN. *Spec. pl. p. 823.* Origanum creticum C. B. Pl. perennis, creſcens in Palaeſtina et Europa auſtrali, etiam Baſileae Heluetiae.

SPICAE vnice dicto nomine feruantur, lutei, dum ſiccae ſunt, coloris, ſaporis grate aromatici et amaricantis, odoris iucundi, grauis. Qui idem et ineſt oleo deſtillato, ſaporis feruentis, coloris rubri. Lactucae condimentum gratum in acetariis eſt. Inter tot alias aromaticas ſtirpes ſimilium virtutum, obſiuioni haec data alioquin non ſpernenda.

PRAEPARATVM.

OLEVM odore ſuo nares valde afficit et errhinam, pituitam liquantem, virtutem exſerit. In odont-

al-

algia curanda magni fit a quibusdam (HOFFM. *Obſ. phyſ. chem. p. 20.*).

246.

Pharm. ORIGANI VVLGARIS *Herba.*

Origanum vulgare; ſpicis ſubrotundis paniculatis conglomeratis, bracteis calyce longioribus ouatis LINN. *Spec. pl. p. 824.* Origanum ſylueſtre C. B. Icon: *Fl. Dan. Tab. 638. Hort. Rom. T. 3. Tab. 75.* REGNAVLT *Botanique* l'Origan ſauvage. Pl. perennis, in montibus petris abruptis et ad margines dumetorum crebra.

HERBA, odore ad Maioranam accedens, ſaporem acrem aromaticum habet. Oleum deſtillatione largitur exigua quantitate ad $\frac{1}{1536}$ (SPIELM. *M. m. p. 286.*), idque valde acre odoris eiusdem ac herba. Acorem a cereuiſia auertit illi addita vel in dolio ſuſpenſa (SCHWENKF. *ſtirp. Sileſ. p. 150.*). Sub fermentationem eius autem ſi adiiciatur, *inebriantem* illam reddit (LINN. *Fl. Suec. n. 534.*). Folia ſiccata et aqua perfuſa ſuccedaneum Theae Chinenſis haud ignobile praebent (LINN. *Wäſtgöta Reſa p. 196.*), ſed, me iudice iuſto calidius. Incidendi efficacia in tuſſi absque febre et aſthmate explorata. Nec minorem vim praeſtitit in menſtruis pellendis. Infuſum aquoſum in vtroque caſu confert, in poſteriori quoque pedi-

diluuii vel ſemicupii forma applicata. Extrinſecus et in epithematibus ſiccis vel humidis reſoluit diſcutitque, cognatarum ſtirpium in modum. Quum harum vero multae illi vi antiſtent, obſoleuit ſenſim eiusdem fama.

PRAEPARATVM.

OLEVM DESTILLATVM *Ph. omn.* Goſſypio inſtillatum in cauum dentem dolore correptum immittitur, quem, vt alia ſimilia acria, ſopit. Optimo ſucceſſu in carie oſſium in vniuerſum coërcenda adhiberi lego (LANGE *Brunſv. domeſt. p. 249.*).

247.

Pharm. MAIORANAE *Herba.*

Origanum Maiorana; foliis ouatis obtuſis, ſpicis ſubrotundis compactis pubeſcentibus LINN. *Spec. pl. p. 825.* Maiorana vulgaris C. B. Icon; REGNAVLT *Botanique*, la Marjolaine. Pl. annua patriae hucusque ignotae, colitur in omnibus hortis culinaribus, ſatione in vaporario praegreſſa.

Ἀμαρακον ſ. Ξαμψυλον veterum eſſe creditur. SVMMITATES et HERBA vſurpantur. Odor fortis, ſapor aromaticus, ſubacris et amaricans. Spiritus vini plus ſapidarum partium infuſione ſibi vindicat, aqua vero odoras potentius abripit (LEWIS *M. m.*

p.

p. 366.). Aqua *deſtillatione* emergens, fragrantis odoris. Oleum ſimul euehitur ad $\frac{1}{64}$ partem (CARTHEVSER, SPIELM. *M. m. p. 278.*).

Pauperioribus herba pro condimento ciborum eſt, et in farciminibus vix ſolet omitti. Parcius a medicis pro interno vſu ſubminiſtratur, vt tamen in reſoluenda pituita nares, ventriculum, pulmones cum annexis partibus grauante, neruis vellicandis, ſanguine exagitando, ſudore pellendo haud mediocrem vim poſſidere agnoſcas. Tumores mammarum dolentes, ſcirrhoſos, recens viridis herba per tempus applicata feliciter diſſipauit (COHAVSEN in *Comm. Nor. a. 1742. p. 151.*). Sacculis herba ſicca inditur ad ſtaſes externas diſcutiendas et neruos ſtimulandos. Puluis eiusdem naribus attractus vel aqua deſtillata vel et oleum dilutum mucum narium ſoluit, et ſternutationem excitat, vnde et ſternutatoriis pulueribus crebro admiſcetur. Aegyptii clyſmate ex libra vna decocti Maioranae cum olei laurini vnciis tribus quartanam curant, quin ipſe ALPINVS (*med. method. p. 342.*) eodem conualuit. Pertinet hoc ſine dubio ad iſta ſubſidia, quae ſudorem pellendo febrem tollunt.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

AQVA DESTILLATA. Fragrantiam eius laudaui.

OLEVM

OLEVM DESTILLATVM *Ph. omn.* Color eius, si mitior ignis adhibitus, pallide luteus, sed si fortior ignis vel vetustas accesserit, rubicundus, sapor acris, calidus. Aetate in sal volatile oleosum solidum concrescit, ex plurium obseruatione (GEOFFROY in *Mem. de l'Ac. d. sc. de Paris 1721. p. 163.* CRÜGER in *Eph. Nat. curios. Dec. 2. Ann. 5. Obs. 38. p. 70. Phil. Transf. Vol. 33. p. 366.*). Sal hoc albidum est, odore ac sapore conuenit cum oleo Maioranae recenti, etsi compage et colore discrepans. Ferro calefacto impositum deliquescit, recuperans autem formam et compagem, postquam refrixerit. Diutius in eodem retentum olei Maioranae vetustioris odorem vndique per conclaue spargit. Spiritu vini soluitur, et solutio aqua frigida affusa lactescit. Post abstractionem spiritus et euaporationem in subsidium adhibitam, reliquum in flores candidos concrescit (CRÜGER *l. c.*). Flagrat admota flamma, sed remanente nigredine quadam. Aëre non instar Camphorae consumitur. Oleum externe vnice adhibetur.

OLEVM COCTVM *Ph. W. p. 125.* Resoluens nonnihil.

BALSAMVM *l. c. p. 30.* Ex oleo Maioranae destillato et oleo nucis moschatae expresso.

VNGVENTVM s. BVTYRVM MAIORANAE *l. c. p. 244.* Ex herba eius recenti, butyro cocta et oleo destill. eiusdem commixta. — Prius efficacius

in

in neruis ſtimulandis, flatibus diſcutiendis. In obſtructione narium a muco apud infantes confert extrinſecus naſo alterutrum illinere. Butyrum laudat nominatim hoc fine b. A ROSENSTEIN (*Barnſ. p. 26.*).

PVLVERES STERNVTATORII *Ph. W. p. 157. ſq.* numeroſi inter alia multa vel herbam vel oleum Maioranae recipiunt.

PVLVIS STERNVTATORIVS *Ph. Lond. p. 98.* Vid. Marum.

SATVREIA.

LINN. *Syſt. veg. p. 441. Gen. pl. p. 288.*

248.

Pharm. SATVREIAE *Herba.*

Satureia hortenſis; pedunculis bifloris LINN. *Spec. pl. p. 795.* Satureia hortenſis C. B. Icon: REGNAVLT *Botanique*, la Sariete. Pl. annua, in inferiori Gallia et Italia ſpontanea, in hortis vero vbiuis ſata.

Sapor HERBAE aromaticus, acris et calidus, odor fragrans; in vtroque Thymum aemulatur, quo tamen mitior. Aqua infuſione odorem quidem recipit, ſed ſaporis exiguum: quum e contrario in ſpiritum, quicquid ineſt efficaciae, tranſeat. Pauxillum modo olei aetherei complectitur, illudque acre, ca-

lidum, fragrans. Reſiduum poſt eiusdem deſtillationem extractum offert aquoſum, ſubadſtringens amaricans. (LEWIS *M. m. p. 527.*).

In culinis accepta ad olera leguminaque varia, vt Phaſeolos, Piſa, Lentes, condienda. Thymo in reliquis ſuppar, quo tamen imbecillior.

Herba *Thymi cretici* officin. qui eſt Satureia capitata LINN. *Spec. pl. p. 795.* plane exoleuit.

MENTHA.

LINN. *Syſt. veg. p. 444. Gen. pl. p. 291.*

249.

Pharm. MENTHAE CRISPAE *Folia.*

Mentha criſpa; floribus capitatis, foliis cordatis dentatis vndulatis ſeſſilibus, ſtaminibus corollam aequantibus LINN. *Syſt. veg. p. 444. Spec. pl. p. 805.* Icon: Mentha criſpa RIVIN. *monop. irreg. T. 50.* Pl. perennis, Sibirica, in hortis colitur frequenter.

Efficax genus quoad plures quoque ſpecies, quam officinae adſciſcunt; quae omnes ſaporis odorisque item virium affinitate inſigni vniuntur. Arridٍent et Menthae plures eidem inſectorum ſpeciei, ſcilicet apud nos Gottingae, Chryſomelae Gottingenſi L., prout curculiones Scrophularias plures easque diuerſas depaſcuntur.

Apud

Apud Graecos nomen Ἡδυοσμος item Μινθη ſaepe obuium eſt, etſi incertum, ad quam ſpeciem Menthae praecipue pertineat, quam vero multis viribus adſcriptis ornant. — In *Ph. Lond. p. 12. Menthae vulgaris, et Ph. Edinb. nouiſſ. p. 23. Menthae ſatiuae* nomen occurrit, ſub quo priori *Mentha viridis* LINN. *Sp. pl. p. 804.* ſ. Mentha anguſtifolia ſpicata C. B. intelligitur.

Tritiſſima ſpecies praefixa eſt, etſi recentius plus virium tributum M. Piperitae. Odor *criſpae* eſt fortis, fragrans, non admodum gratus, ſapor calidus aromaticus cum amaritie leui. Siccatione non multum virium perdit. Infuſum aquoſum odorem quidem herbae ſeruat, ſaporis autem parum acquirit. Antecellit illi hac in re ſpirituoſum. Libra vna foliorum olei aetherei drachmas circiter tres erogat (CARTHEVS. *M. m. T. 2. p. 122.*). Inter tot vires, quas cum aliis aromaticis huius ordinis communes habet, memorandae quaedam ſeorſim, experientia de hac confirmatae. Eminet praeprimis vi neruina et reſoluente.

In flatibus primarum viarum diſcutiendis plane eximia, vnde hypochondriacis hyſtericisque ructus excitando egregium ſolamen, vt et ructatricem Mentham MARTIALIS (*Epigr. L. 10. 48.*) appellauerit. Mitigat colicos dolores ex hacce cauſa ortos, etiam illos, qui dyſenteriam comitantur. Compeſcit vomitus et diarrhoeam, tum ſcilicet, quando haec mala absque fomite,

in primis viis haerente, ex spastica diathesi enascuntur, vel illo egesto vitiose ob hanc causam perdurant. Foliorum puluis saccharo mixtus ad ventriculum roborandum facit (ROSENST. *Bfkd. p. 265.*).

Antiquitus (DIOSCOR. *Lib. 3. c. 41. p. 189.*) iam constitit, coire lac densarique in caseum non posse, si illi folia (Menthae satiuae) immerguntur; recentius quoque *experimentum edocuit*, lac, in quo macerata folia Menthae fuerunt, longe lentius coagulari, quam absque eiusmodi connubio (LEWIS *M. m. p. 378.*). Lactis praeterea affluxum ad mammas minuit, et iam collectum lac dispellit. Experiuntur *hoc in pecoribus adeo rustici*, dum eadem, messe peracta, in agros, in quibus Mentha *aruensis luxuriat*, admittunt, quam iacturam fascino credulum vulgus imputat (LINN. *Fl. Suec. n. 516.*). Nutrices vero post ablactationem infantum, Mentha adhibita, eiusque oleo axillis inuncto, lac aliorsum deducunt. Ita et in indurationibus mammarum apud puerperas et nutrices recentibus, confert Mentha vino cocta mammas fouere et cum saccharo oleum destillatum eius ex aqua Menthae ingerere (LINN. *Diss. de Menthae vsu p. 8.*).

Ad menstrua cienda adhibent crebro feminae; hac vi vero adeo excellere memoratur, vt ex Menthae spiritu crebrius ingesto in vteri haemorrhagiam suborta fuerit procliuitas (*l. c. p. 9.*). — Seminis

vim

vim apud viros Mentha eneruari, ARISTOTELES HIPPOCRATESque (*de victus ratione Ed.* FOESII *p. 359.*) notarunt, de qua re vero adhucdum iure dubitatur.

Et haſce quidem virtutes praeſtat interne vel in puluere ſumta, vel in infuſo vel praeparatorum multiplici varietate. Saepe ſufficit externa eius applicatio contra dicta mala, in facculis ſiccis vel aqua ſiue vino coctis, cataplaſmate, epithemate, clyſmate, vel iterum in praeparatis variis. In ſugillationibus vel contuſionibus capitis folia vino cocta ex praeſtantiſſimis reſoluentibus ſunt.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

AQVA DESTILLATA *Ph. omn.* Grato calore os et ventriculum perfundit. Carminatiuum egregium conſtituit, vel per ſe ad vnum vel alterum cochlear ſumta, vel inſtar vehiculi aliorum. Vomitum ſopit (SYDENH. *Oper. p. 77.*), ventriculum roborat. Cohobatam praecipue extollit BOERHAAVE (*Chem. T. 2. Proc. 16.*), etiam in lienteria.

AQVA MENTHAE SPIRITVOSA (*Ph. Lond. p. 57.*).

AQVA STOMACHICA *Ph. W. p. 23.* Deſtillatione Menthae et aromatum aliquot efficaciorum ex vino fortiori.

OLEVM DESTILLATVM *Ph. omn.* Pallide flauum, ſenſim profunde rubrum, ſaccharo inſtillatum interne vſurpatur. Externe abdomini illinitur. V. et ſupra *p. 147.*

OLEVM COCTVM *Ph. W. p. 126.*

SPIRITVS *l. c. p. 193.* Deſtillando herbam ſpiritu vini.

CONSERVA *Ph. Lond. p. 24.*

TINCTVRA *Ph. Ed. p. 43.*

250.

Pharm. MENTHAE PIPERITAE *Folia.*

Mentha piperita; floribus capitatis, foliis ouatis petiolatis, ſtaminibus corolla breuioribus LINN. *Syſt. veg. p. 444.* Mentha ſpicis breuioribus et habitioribus, foliis menthae fuſcae ſapore feruido piperis RAII *Synopſ. Ed. 3.* DILLEN. *p. 234. T. 10. f. 2.* REGNAVLT *Botanique*, la Menthe poivrée. Pl. perennis, creſcens in Anglia locis humidis. Colitur vero absque virium diſpendio in hortis pharmacopolarum.

Facile ab incautis confunditur cum Mentha viridi L. depicta a REGNAVLT *Botanique*, la Menthe a l'Epi, cuius vero folia anguſtiora ſeſſilia, ſpica longior et exilior, ſapor imbecillior.

Ab

Ab Anglis laus plantae ad alias gentes transiit, nec immerito, quum reliquis Menthis efficacior existat. Gustata, etiamsi succosa, herba mox aromaticum et camphoraceum saporem prodit, et calore primum insigni replet os faucesque, postea insequente grato frigoris sensu; odor eius fortis non ingrate fragrans. Siccata stirps hisce notis potior, quam succosa. Attamen in aquae destillatae praeparationem vnice, saltim in Germania, colitur. Haec aqua ex sicca et iustam maturationem adepta stirpe per cohobationem praeparata et probe seruata post annum excutit filamenta, item villos candidos pellucentes, nitentes, sapore, odore, volatilitate ad ignem et fragilitate verae Camphorae similes, quam naturam vlterius sublimatio eorundem confirmauit, quae crystallum erogauit illi simillimam (GAVBII *Aduersaria var. argum. pag. 99 sqq.*).

PRAEPARATA.

AQVA DESTILLATA *Ph. Brunsv. p. 181. Ph. Suec. p. 70. Ph. Dan. p. 123.* AQVA MENTH. PIP. SIMPL. *Ph. Lond. p. 53. Ph. Ed. p. 28.* Licet in catalogis officinar. pharm. Germaniae, qui praesto mihi sunt, nullibi praeter quam dicto illam offendam: creber tamen eius ibidem prouentus obtinet. Praestat ad Londinensium exemplum, illam ex foliis siccatis, nec recentibus, vt alii, aquam destillare. Haec, odore

ſtirpem aemulans, et ſapore ſimili acri ac calido nec Camphorae abſimili linguam afficit. Deglutita eundem ſenſum ventriculo adſpergit, ſubſequente refrigerio, quin totum corpus grate refocillat. Praeferri igitur haec aqua alteri ex Mentha criſpa meretur.

AQVA SPIRITVOSA *Ph. Lond. p. 56.* Vires ſtirpis in hac parcius collectae, quam in aqua ſimplici.

OLEVM DESTILLATVM *Ph. Lond. et Edinb.* Copioſe ineſt herbae, coloris ex viridi lutei, aetate obſcurioris, ſaporis feruidi odorisque fortis, inſtar herbae. Ad vnam vel alteram guttulam igitur modo ferri poteſt.

251.

Pharm. MENTHAE SYLVESTRIS *Herba.*

Mentha ſylueſtris; ſpicis oblongis, foliis oblongis tomentoſis ſerratis ſeſſilibus ſtaminibus corolla longioribus LINN. *Spec. pl. p. 804.* Mentha ſylueſtris folio longiori C. B. Icon: *Flor. Dan. Tab. 484.* Pl. perennis in aquoſis foſſisque Europae calidioris frequens.

Et huius HERBAE odor fragrans, ſapor pariter aromaticus. Vtraque re ſuperior illi eſt *Mentha aquatica* L, in vſum pauperum ſaltim ſeruanda. Vires

res dictis similes, sed debiliores, priori adscribuntur. Rarissime vltra epithemata vsurpatur.

252.

Pharm. PVLEGII *Herba.*

Mentha Pulegium; floribus verticillatis, foliis ouatis obtusis subcrenatis, caulibus subteretibus repentibus, staminibus corolla longioribus. LINN. *Spec. pl. p. 807.* Pulegium latifolium C. B. Icon: REGNAVLT *Botanique*, le Pouliot. Pl. perennis in locis vdis *calidioris Europae.*

HERBA *acris*, vt et cutem exulceret (HALL. *stirp. helv. 221.*), aromatica simul et valde fragrans. Oleum vehit vrens, odoris vt herbae, destillatione cum aqua item alcohole vini eruendum. In plerisque vi conuenit stirps cum Mentha crispa.

Apud Anglos olim in tussi conuulsiua *claruit.* Quo fine succum eius ad cochleare vnum commendauit BOYLE, laudante et, qui hoc narrat, ex experientia HVLSE (apud RAY in *Hist. pl. T. 1. 534.*). Placuit quoque BOYLEO syrupus Pulegii vel Hederae terrestris oleo vitrioli acidulatus, per vices ad quartam cochlearis partem sumendus (V. EIVSD. *Works T. 4. p. 475.*). Casu singulari leuamen succo attulisse sese narrat LENTILIVS (*Eteodr. p. 635.*). In-

ter alia proficua infusum Pulegii pro potu in hoc morbo suadet SAVVAGES (*Nosol. method. T. 2. P. 2. p. 157.*). Sed magni alius medici (WERLHOFII in *Comm. Noric. 173. p. 1733.*) exspectationi succus, etsi crebro ab eo tentatus, non obsecundauit. Nec hodie amplius specifici nomine contra hanc tussim condecoratur. In affinibus quoque malis aliis herba probata, decoctum edulcatum in raucedine (CHESNAV apud RAI.), infusum theaeforme in asthmate (CHOMEL *Usuelles T. 2. p. 32.*).

Infusum autem cum vino albo et chalybe factum certissimum et nunquam fallens emmenagogum pronunciatur (HALL. *l. c.*).

PRAEPARATA.

AQVA DESTILLATA *Ph. W.* SIMPLEX *Ph. Lond. Edinb.*

AQVA SPIRITVOSA *Ph. Lond. p. 57.*

OLEVM DESTILLATVM. *Ph. W.*

OCI-

OCIMVM.

LINN. *Syst. veg. p. 455. Gen. pl. p. 300.*

253.

Pharm. BASILICI *Herba.*

Ocimum Basilicum; foliis ouatis, glabris, calycibus ciliatis LINN. *Spec. pl. p. 833. α.* Ocimum caryophyllatum maius C. B. Icon: REGNAVLT *Botanique*, le Basilic. Pl. annua Indiae orientalis, in hortis nostris colitur vaporarii fotu adiuta.

Omnes Ocimi species suauem fortemque odorem contritae spargunt, quaedam adhuc fortiorem, quam *Basilicum*, vt, quae non minus frequens in hortis, inque foro medico pariter locum habet, *Ocimum minimum*; foliis ouatis integerrimis LINN. *Sp. pl. l. c.* Sapor HERBAE vtriusque moderate aromaticus. Nec vis perit siccatione, quae contra ea odorem gratiorem reddit.

Cibis hodie fere vnice pro condimento est. Oleum praebent folia copiosum illudque valde fragrans, cuius virtutem cephalico neruinam praedicat FR. HOFFMANNVS (*Obs. phys. chem. p. 19.*). Puluis naribus attractus mucum prolicit. Quidam eo etiam vtuntur Tabaci loco (CHOMEL *Vsuell. p. 2. p. 29.*). Vnde et in quibusdam pulueribus sternutatoriis officinarum occurrit. Vis neruina et pellens alios moratur.

NE-

NEPETA.

LINN. *Syst. veg. p. 442. Gen. pl. p. 289.*

254.

Pharm. NEPETAE *Herba.*

Nepeta Cataria; floribus spicatis, verticillis subpedicellatis, foliis petiolatis cordatis dentato-serratis LINN. *Spec. pl. p. 797.* Mentha cataria vulgaris et maior C. B. Icon: *Flor. Dan. Tab. 580.* REGNAULT *Botan.* sub falso nomine *Le Marum.* Pl. perennis in locis ruderatis crescens.

Odor HERBAE menthaceus, sed magis ingratus, aromatico amarus. *Oleum continet flauicans,* odore herbae ipsius. Accepta felibus planta, vt vix *seruari ab iis queat.* Hinc ad mures ab apiario arcendos conducit fasciculum trabibus eius alligare (HAGSTÖM's *Svar om Biskötseln*).

Obsoleuit in hodierna praxi medica, plurimi tamen conueniunt in malo hysterico et ad menstrua pellenda valere. Chloroticis subuenire legitur (LINN. *Fl. Suec. n. 514.* Conf. EI. *Mat. med. n. 311.*). Infusum aquosum vel vinosum eiusdem adhibere iicet; item pediluuio vel insessui herbam addere conducit.

DRA-

DRACOCEPHALVM.

LINN. *Syst. veg. p. 454. Gen. pl. p. 298.*

255.

Pharm. MELISSAE TVRCICAE *Herba.*

Dracocephalum Moldauica; floribus verticillatis, bracteis lanceolatis, serraturis capillaceis LINN. *Spec. pl. p. 830.* Melissa peregrina folio oblongo C. B. Icon: BLACKWELL *Tab. 551.* Pl. annua in Moldauia et Ruthenia crescens.

HERBA trita vulgaris Melissae odorem spirat, sed debiliorem. *Viribus et suppar credita; imo a* FR. HOFFMANNO (*Diss. de praestantia remed. domest. §. 19.*). Verum ad exoletas transmigrauit.

Experimenti causa proposuit ill. A LINNE' (*M. m. p. 153.*) MELISSAE CANARIENSIS *Herbam* ex *Dracocephalo Canariensi* (*Spec. pl. p. 829.*), quae fragrantia aemulatur fere Marum, hinc priori longe efficacior videtur. Trahi sine dubio huc poterit illud BAGLIVI (*Lib. de fibr. motr.*): "Multa adhuc latent in herbis ad Citri naturam accedentibus, vt Melissa, sed sapienti sat.„

BE-

BETONICA.

LINN. *Syst. veg. p. 446. Gen. pl. p. 293.*

256.

Pharm. BETONICAE *Folia; Flores.*

Betonica officinalis; spica interrupta corollae labii lacinia intermedia emarginata LINN. *Spec. pl. p. 810.* α, Betonica purpurea C. B. *Fl. Dan. p. 726.* REGNAVLT *Botan.* la Betoine. Pl. perennis, crescens in Europae syluis et collibus apricis.

Veterum Βετονικη an cum nostra stirpe eadem sit, merito dubitatur. Quodsi enim descriptio DIOSCORIDIS (*Lib. 4. cap. 1. p. 245.*), quae quidem et in alias verticillatas quadrat, non aduersetur, refellit tamen multiplex eorum in tot tamque diuersis morbis de illa praeconium, effectusque varii illi adscripti, quos quidem serior praxis non confirmat. Mitto igitur quadraginta septem illos morbos, quibus sanandis ANTONIVS MVSA in singulari libro (cuius primaria capita vide in SIM. PAVLLI *Quadr. bot. p. 241. sqq.*) Betonicam suam parem censuit, traditurus pauciora de stirpe a paucis medicis hodie aestimata, simulque certiora.

FOLIA sapore amaricante subsalso, odore nonnihil aromatico, instruuntur. Extractum aquosum eorum amaricans et subausterum est, odoreque stirpis

pis deſtitutum, ſpirituoſum ſubacre aromaticum. Pulueres naribus attracto ſternutationem mouent et mucum proliciunt. Non crederem in vigore neruorum reſtituendo multum virium illis ineſſe, arguentibus id etſi plerisque auctoribus. Curatius determinat vim illam cephalicam vir celebris (SCOPOLI *Fl. Carn. Ed. 1. p. 460.*), qui neruos mucoſa vel ſeroſa colluuie relaxatos iis refocillari ex ſua experientia notat. Pro argumento, quod Betonica neruorum ſyſtema conſpicuum in modum afficeret, narrationes de temulentia, quae ſub euulſione radicum in aniculis quibusdam (SIM. PAVLLI *l. c. p. 246.*) et operariis (BARTHOLIN. *Hiſt. anat. obſerv. Cent. 3. Obſ. 97. p. 193.*) contigerit, eſſe poſſent, niſi alii in euellendis et transferendis illis impune occupati fuerint, nec ex folio in naribus retento aliquid moleſtiae ſenſerint (ALSTON'S *Lectures on the Mat. med. T. 2. p. 90.*). Radices tamen manifeſte differunt natura ab herba, vtpote quae nauſeam vomitumque cient (RAII *Hiſt. pl. T. 1. p. 550.*), et, vt ſerius obſeruatum (SCOPOLI *l. c.*), recentes aluum mouent. Exſcreationem muci vel puris in pulmonibus collecti adiuuare (CHOMEL *Uſuell. T. 2. p. 13.*) folia, non videtur omni fide carere. Quod vero ad arthritidem ſopiendam, in iuſculis, acetariis, potu, balneis tantum faciant (HILDAN. *Cent. 6. Obſ. 32. Oper. p. 536.*), non absque vlteriori experientia accipi poteſt.

FLO-

FLORES. Integra per hoſce ſpica intelligitur. Communis iſtis cum foliis virtus adſcribitur.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

AQVA DESTILLATA *Ph. W.* Iners.

CONSERVA *Ph. W.* Superflua.

SYRVPVS *Ph. W. p. 204.* Maceratione herbae recentis in aqua eiusdem praegreſſa, ſucco expreſſo ſaccharum additur. Exoletus et ſuperfluus.

EMPLASTRVM ſ. CERATVM DE BETONICA. *Ph. W. p. 60.* Excipientia ſueta vna cum herba bina reſinoſa et Mumiam comprehendunt. *Vulneribus capitis olim praecipue dicatum* (Cfr. SIM. PAVLLI *l. c. p. 245.*).

MARRVBIVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 449. Gen. pl. p. 294.*

257.

Pharm. MARRVBII (vel addito epitheto) ALBI *Folia.*

Marrubium vulgare; dentibus calycinis ſetaceis vncinatis LINN. *Spec. pl. p. 816.* Marrubium album vulgare C. B. Icon: REGNAVLT *Botanique*, le Marrube blanc. Pl. perennis, in locis ruderatis et ad vias creſcens.

Pra-

Πρασιον (DIOSC. *Lib. 3. c. 119. p. 223.*) veterum Graecorum videtur. FOLIA guſtata amaritiem cum leui acrimonia produnt, trita autem odorem moderate fragrantem ſpargunt, moſchi quodammodo aemulum. Extracti aquoſi maius pondus elicitur idque inodori et amari, ſpirituoſi minus, quod vero fragrantiam ſeruat cum penetrantiori amaritie. Sanguis, cui decoctum eius adfuſum, rubicundior et fluidior euadit (FREIND *Emmenol. T. 1. Oper. p. 208.*). Inde iam partem effectus, quem in corpore humano praeſtat, ſubolfacias.

Nempe incidendi et aperiendi inſignis efficacia Marrubio ineſt, *cognita veteribus et noſtro quoque tempore crebro confirmata.* Pituitam, pectus grauantem et tuſſim aſthmaque producentem, ſaepe haud ſine iuncto infarctu pulmonum, reſoluit et ſcreatu eliminat (DIOSCOR. *l. c.* RHAZES *ad Manſor. 3. n. 49.*). Profuit in aſthmate, quod ſputa valde craſſa flauida et valde tenacia comitabantur (LÖSECKE *Arzneym. p. 382. not.*). In aſthmate humido et quouis pulmonum infarctu eſt, qui omnibus reliquis praefert, ſelectu praecipue facto pulueris tenerrimorum ſurculorum apicum, qui potentiores exiſtimantur (LANGE *de Brunſv. dom. p. 302. ſq.* et iterum in *Miſcell. verit. med. p. 58.*). Quin in deteriori adhuc labe, phthiſi ex vlcere pulmonum, ſuppetias fert. Succus eius cum melle placuit ALEXANDRO TRALLIANO

(*Lib. 5. Ed.* ANDERN. *p. 158.*) in tussi inueterata, et si pus in thorace collectum fuerit, qui et varias alias miscelas commendat. Prius connubium et CELSO (*L. 3. cap. 22. Ed.* KRAVS. *p. 171.*) et CAELIO AVRELIANO (*Morb. chron. L. 2. p. 423. sq.*) opportunum visum. In vno vel altero casu profuit aliquantum Marrubium in absessu insigni pulmonum, praecipiente illud ill. HAENIO, in ceteris autem minime (*Rat. med. P. 4. p. 252.* Cfr. *Index Operis p. 164*, qui adhuc plus huic laudi detrahit.). Similis inconstantia infusi aquosi mouet ill. HALLERVM (*Hist. st. helv. n. 258.*), qui quidem aliquoties in hisce morbis screatum eo leuatum obseruauit, et in phthisi satis prouecta semel illud vtile inuenit, non vero aliis exemplis.

Resoluit etiam tumidum hepar, quin scirrho vitiatum. Sic euanuit tumor eius diuturnus durus, contra quaelibet alia tentata auxilia rebellis, conserua florum (quorum calycibus folia stirpium vi aemulantibus, sine dubio efficacia debetur), melle parata ad vnciam per quadraginta dies sumta, superbibita aqua ex stirpis foliis et radicibus destillata (ZACVT. LVSIT. *Prax. admir. Lib. 2. Obs. 48.*). In duobus hominibus infuso vinoso per plures menses continuato disparuit scirrhus regionis hepatis, magnitudine nucem aequans (CHOMEL *Vsuell. T. 1. p. 232.*). Ictterum pertinacem, reliqua eludentem, saepe discussit, (FOREST. *Oper. Lib. 19. Obs. 19. Schol.*) idque in succo

per

per saccharum in syrupum redacto (FOREST.). Nec fefellit Marrubium, ictero iam in hydropem transeunte, multis exemplis, in decoctis vel succo cum vino et saccharo vel melle misto, et vtrumque morbum sanauit (FOREST. *Op. Lib. 19. Obs. 40.*). Innumeras suas experientias citat BORELLVS (*Hist. et Observ. Cent. 4. n. 14.*), depraedicans infusum summitatum eius ad menstrua prouocanda et chlorosin virginum tollendam. Ptyalismus, qui ex mercurio ante administrato vltra annum in iuuene venerea labe infestato perrexerat, infuso eius breui sublatus (LINN. *Fl. Suec. n. 531.*).

Praeter indicatos varios exhibendi stirpem modos notandum adhuc est

PRAEPARATVM.

EXTRACTVM, pariter in officinis obuium, licet in catalogis vulgatis omittatur. Vtique non spernendum, praecipue si menstruo aquoso simulque spirituoso secundum *Ph. Dan. p. 172.* paratur.

SALVIA.

LINN. *Syst. veg. p. 64. Gen. pl. p. 17.*

258.

Pharm. SALVIAE *Folia.*

Saluia officinalis; foliis lanceolato-ouatis integris crenulatis, floribus spicatis, calycibus acutis LINN. *Spec. pl. p. 34.* Conf. ETLINGERI *Comment. de Saluia p. 16.* α, Saluia maior C. B. Saluia latifolia BRVNFELS. β, Saluia minor aurita et non aurita C. B. Saluia angustifolia CLVS. Icon: REGNAVLT *Botanique, la petite Sauge.* Rarius occurrit flore albo, plerumque coeruleo. *Fruticulus in Europa* australi spontaneus, in hortis nostris sub dio commode hospitatur.

Vtriusque Varietatis promiscuus in officinis vsus fit: altera tamen et odoris et saporis fortioris quibusdam videtur (V. e. c. ALSTON *on the M. m. Vol. 2. p. 217.*), consequenter et virtutis. Quae locis siccis lapidosis crescit, efficacior est illa, quae solo humido fertili reperitur; hortensis igitur postponenda (HILL *on the Virtues of Sage, Vers. Germ. p. 48.*).

Ελελισφακον DIOSCORIDIS (*M. m. Lib. 3. cap. 4.*) existimatur esse. Subtilius distinguens THEOPHRASTVS (*Hist. pl. Lib. 6. cap. 2.*) per illam vocem Varietatem maiorem, per vocem Σφακελος autem

tem Var. minorem denotat. Plura de nomine apud veteres in WEDELII *Diſſ. de Saluia, reſp.* WEISHEIT *Ien. 1715.* legas.

FLORES nondum expanſi plurimum virtutis videntur ſpondere, vt quorum calyces balſamum valde fragrans ſpirant. An vero hiſce potiſſimum vſi fuerint veteres, indeque plus ſtirpe hac praeſtiterint, quam noſtro tempore fit, vt HILLIVS (*l. c. p. 61.*) vult, definiri nequit. Iam vero FOLIIS vnice acquieſcimus. Haec ſaporis aromatici calidi amaricantis ſubadſtringentis ſunt, odoris fortis non admodum grati. Succoſis ſ. recentibus foliis quum feruidam aquam *infunderem, obtinui liquidum ſaporis fere camphoracei non valde amarum,* ſed diu a putredine immune; quod vero infuſione ſiccatorum foliorum redundauit, ingrate amarum reperi vix aromaticum, et facile putredinem calido aëre concipiens. Infuſum aquoſum miſcela vitrioli martis ſaturata nigredine tingi quidam (TANCRED ROBINSON in RAII *Hiſt. pl. p. 510.* item LEWIS *M. m. p. 513.*) referunt: recentiſſimus autem auctor (ETLINGER *l. c. p. 54.*) colorem modo profundiorem inde vidit. Idem infuſum, admixtum ſanguini calenti, floridiſſimum eum reddidit et attenuauit (SCHWENCKE *Haematol. p. 186.*). Extracti aquoſi primi drachmae duae cum dimidia circiter ex vncia vna foliorum eruuntur; et extracti ſpirituoſi primi drachma vna cum ſedecim granis (ET-

LINGER *l. c. p. 51. sq.*) ex eadem quantitate. Amaras et adstringentes partes, quae ambae maximum pondus constituunt, aqua elicit, spiritus vini autem insuper aromaticas. Aqua destillatione transiens fragrans est, cum qua emergit oleum aethereum, ad drachmam dimidiam vel scrupulos duos ex libra (CARTHEVS. *M. m. T. 2. p. 109.*) vel scrupulus vnus cum granis quatuor ex vnciis octo herbae (ETLING. *p. 53.*). Multum cinerum combusta erogat, ad drachmas decem ex libra. Praeter alcali fixum, etiam volatilis notae insunt (*l. c. p. 53.*). Antiseptica vi sub experimentis cum carne ipso cortice Peruuiani superiora folia sunt deprehensa, nam nonnisi quatuor integris diebus elapsis cadaueroſum odorem caro sub hoc connubio sparsit (*l. c. p. 54.*), quum cortex foetorem per 55 horas modo auerteret.

Ante vsum lauari bene folia iubeo aqua, fabulas quidem de bufonibus non curans, quibus, per acceptam sibi sub stirpe hac commorationem, inquinamentum illi venenatum afferri perhibent, vel de insectis adsidentibus; sed ob papillosam superficiem, quae subtus in cauernulas vnctuosas puluerem aliasque quisquilias recipit et seruat.

Miror, quod in locum Theae Chinensis Saluiam surrogare quidam suaserint (HVNAVLD *Discours sur les proprietés de la Sauge. à Paris 1698.* STENZEL *Diss. de Saluia in infuso adhibenda huiusque prae Thea Chi-*

Chinenſi praeſtantia, Vitemb. 1723.), cui fini vero tam ob ingratiorem ſaporem, quam ob calidam et ſudoriferam naturam longe minus opportuna eſt, vt nec ob hanc febrientibus concedi poſſit. Merito et dubitatur, licet multi (prout BOERHAAVIVS in *Hiſt. pl. hort. L. B. P. I. p. 235.* et iterum BOMARE in *Dictionaire d'hiſt. nat. T. 6. p. 645. Ed. 4.*) affirment, quod Chinenſes et Iaponenſes oblatam ab Europaeis Saluiam eadem auiditate ac nos veram Theam in infuſo biberent; ſuaeque Theae tantopere praeferrent, vt pro ciſta vna Saluiae binas vel tres ciſtas Theae viridis redderent, quod Belgae praecipue ad littus Gallo-Prouinciae integram fere Saluiae meſſem coëmentes ſuum in lucrum vertere dicuntur (BOMARE). Certe ſilent hac de re itineratores nuperiores.

Efficacia et nomen herbae dedit (a ſaluando), et cumulum laudum attulit, in tremore artuum, paralyſi, obſtructione menſtruorum, fluore albo, arthritide et rheumatiſmo, morbis contagioſis, aphthis, vlceribus aliisque multis morbis, quorum nomina colligere absque teſtium fide non intereſt. Licet tamen inter HVNAVLDI, WEDELII, PAVLLINI (*Sacra herba ſ. nobilis ſaluia, Vindob. 1688.*) prodiga praeconia et tenuem exſuccamque generaliorum virtutum enumerationem media quadam via prodire. Hae ſtimulandi neruos inſtar aliarum aromaticarum herbarum, roborandi fibras, adſtringendi, diſſipandi ſtagnantes

humores et detergendi efficacia videntur contineri. Vlterius vero constitit, ad coërcendos nocturnos eorum sudores, quibus ex febribus praegressis languidi et debiles subinde diffluunt, eximium auxilium attulisse infusum Saluiae vino, vel, nisi hoc suffecerit, spiritu vini paratum, et hoc proxime dictum quidem ad bina cochlearia bis de die sumtum, quod nunquam fefellisse fertur (SWIETEN. *Comment. T. 2. p. 370.*). Sudores adeo in peste absque leuamine protrusi vino saluiato, aut saturatiori Saluiae infuso, addito spiritu vini coërciti (CHENOT *de peste p. 136.*). Non spirituosi liquidi vi roboranti deberi hanc sistendi sudorem effectum, inde patet, quod par successus ex infuso aquoso contigerit (QVARIN *method. m. febr. p. 37.*).

Molestum quoque lactis stillicidium, subinde *post ablactationem* infantum persistens haud absque notabili corporis emaciatione, subigi se, reliquis subsidiis irritis, infuso forti Saluiae per trihoria ad vnciam vnam vel alteram dato patitur (SWIET. *Comment. T. 4. p. 645.*). Succi Saluiae cochlear cum tanta copia succi citrei, quam malum eius erogat, remixtum et versus paroxysmi exortum captum febrem tertianam sufflaminauit (KALM'S *Resa T. 2. p. 354.*) sudore, vt existimo, loco paroxysmi excitato; quod vero ambiguum curationis febrium intermittentium genus constituit. Fuerunt tamen antea alii, qui in hisce febribus Saluiae confisi sunt.

Laus

Laus in aphthis infantum non noua nec immerita, cui signatura foliorum, per contractas venas in papillas efformatorum, fauere WEDELIO (*l. c. p. 18.*), ad genium istius temporis, visum. Praecauentur hae decocto foliorum, aqua facto, vel hoc cum pauxillo vini Gallici albi mixto, cui additur post colationem tantillum mellis, dum nutrix linteo illi intincto digitum obuoluit, et hocce os, praecipue vbi albae maculae occurrunt, perfricat. Iungitur et similis decocti vsus, quando praesentia aphtharum alia efficaciora desiderat (ROSENST. *om Bskd. p. 42. sq.*).

Ad gingiuas relaxatas roborandas, vlcera oris detergenda et sananda confert, decocto colluere os vel eodem in gargarismate vti. — Discutit et potenter in sacculo adhibita vel in fomento, aqua vel vino decocta.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

AQVA DESTILLATA *offic.*

AQVA SALVIAE COMPOSITA *Ph. W. p. 22.* Valde calida ob aromatum copiam et spirituosum menstruum. Superflua, certe apoplecticis, quibus olim destinata, noxia.

CONSERVA *Ph. W.* Exoleta.

OLEVM DESTILLATVM. *Ph. W.* Initio viride vel album (ETLING. *l. c. p. 53.*), aetate flauescens vel brunum, acre et calidum. Temporis mora

odorem fere camphoraceum assumit (GEOFFROY *Mem. de l'Ac. d. sc. de Paris 1721. p. 163.*), Rari vsus.

259.

Pharm. SCLAREAE vulgo s. HORMINI SATIVI Ph. Ed. *Folia.*

Saluia Sclarea; foliis rugosis cordatis oblongis villosis serratis, bracteis coloratis calyce longioribus concauis acuminatis LINN. *Spec. pl. p. 38.* Horminum Sclarea dictum C. B. Cfr. ETLING. *Comment. de Saluia p. 34.* Icon: REGNAVLT *Botanique*, l'Orvale, ou Toute bonne. *Pl. biennis Italiae, Syriae.*

Superflua, nec in medicina amplius hodie locum habet. LINNEVS (*M. m. n. 19.*) fortiorem pronunciauit praecedente. Dum recens est, ad attactum vnctuosa.

Odor FOLIORVM grauis, fortis, sapor amaricans, subaromaticus. Pauxillum modo olei destillati continent, scil. $\frac{1}{5}\frac{1}{12}$. Omissis virtutibus in malo hysterico, colica, suppressione menstruorum rel. illis adsignatis, noto tantum cereuisiam vel vinum herba impraegnatum inebriare insigniter capitisque dolores excitare (LOBEL. *Aduers. p. 240.* HERM. *Cynos. Mat. med. T. 1. p. 460.*). Qui mos iisdem impraegnandi vina tamen etiamnum ab oenopolis quibusdam frau-

fraudulentis, vt vinum ſapore moſchatellino imbuant, exercetur.

ROSMARINVS.

LINN. *Syſt. veg. p. 64. Gen. pl. p. 16.*

260.

Pharm. RORISMARINI HORTENSIS *Herba*; ANTHOS *Flores.*

Roſmarinus officinalis; β, Roſmarinus hortenſis anguſtiori folio C. B. Λιβανοτις DIOSC. Icon: REGNAVLT *Botanique*, le Romarin. Frutex in collibus inferioris Galliae, Hiſpaniae, Italiae, Heluetiae quoque paſſim, item Oriente ſpontaneus. Septentrioni propius in hortis per aeſtatem quidem ſub dio viget floretque, per hiemem autem hybernaculorum tutamine indiget.

HERBA odorem fortem fragrantem non omnibus gratum, ſi teritur, et recens et ſicca ſpargit, ſapore autem calido acri, camphoraceo, inſtruitur. Hiſce notis maxime extrema ramorum foliis veſtita calycesque diſtinguuntur; nam corolla demto calyce vix odora vel ſapida (NEVM. *Chem. B. 2. Th. 4. p. 117.*). Vnde, quaenam partes vi praeſtent, colligitur. Folia prae reliquis eliguntur. Aqua ex iis obtinetur extra-

tractum amaricans vberius, ſpiritus vini autem elicit etiam odoras calidasque partes, ſed ſpiſſatus pondus extracti minus praebet. Nec parum terreſtrium partium hiſce ſecluſis remanet, ſcilicet ex vncia vna drachmae tres ſupraque (NEVMANN.). Olei deſtillati $\frac{1}{50}$ ad $\frac{1}{128}$ cl. CARTHEVSER (*M. m. T. 2. p. 106.*) cl. LEWIS (*M. m. p. 486.*) autem $\frac{1}{200}$ eruit. Flores longe eius minorem quantitatem erogant. Camphoram, quam ſtirpi ineſſe nonnulli affirmarunt, in coniectura ex analogia ſaporis vnice conſiſtere arbitror.

Eſt ſtirps ex potentiſſimis huius ordinis aromaticis, *quae in neruis ſtimulandis et reficiendis*, liquidis tenacibus reſoluendis *et ſtagnantibus diſſipandis*, ſanguine exagitando, vt in ſudorem degeneret vel in feminis in menſtrua erumpat, flatibus diſplodendis, putredine coërcenda, inſignem vim habet. In affectionibus ideo ſyſtematis neruoſi variis, memoriae labe, vertigine, paralyſi, multum nec iniuſte laudatur. Vino decocta et melle dein miſta aſthmatis (pituitoſi ſine dubio) exſtitit eximia medela (BORELL. *Hiſt. et Obſ. Cent. 4. Obſ. 46.*). Glandularum colli infarctum apud infantes diſſipat infuſum vel decoctum herbae ſaccharo edulcatum (KVECHLER in *Diſſ. de glandulis colli puerorum tumefactis p. 47.*), approbante et HEISTERO (*Med. pract. p. 264.* et *Chirurg. cap. de ſcirrho*). Diarrhoeam chronicam ſub virium iactura tabem

tabem minantem vinum ex foliis ſtipauit intra breue tempus (*Welſch. Hecatoſtea 2. n. 51. p. 29.*).

Herba extrinſecus in ſacculis vel epithematibus applicata ſugillationes diſcutit, ſiccata diſſipat oedemata, in fomento cum vino gangraenam ſiſtit.

FLORES ANTHOS. Defueuerunt vſurpari. Vis eorundem, vt dictum, in calyce latet.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

AQVA DESTILLATA *officin.*

OLEVM DESTILLATVM *officin.* Flauicans vel ſubuiride, tenue, fragrans inſigniter, etſi paullo ingratius odore, quam ipſa herba. Aetate odorem fere camphorae acquirit (GEOFFROY *Mem. de l'Ac. d. ſc. d. Paris 1721. p. 163.*). Paucis guttulis ingeſtum flatus diſcutit neruosque ſtimulat.

AQVA REGINAE HVNGARIAE, melius SPIRITVS RORISMARINI. Simplicior eſt in *Ph. Edinb. p. 33.* vbi flores, vel in *Ph. Ed. nouiſſ. p. 100.* et *Ph. Lond. p. 58.*, vbi ſummitates, item in *Ph. Suec. p. 176.* vbi folia cum floribus requiruntur, et horum aliquod cum ſpiritu vini absque alia miſcela deſtillatur. Dani (*Ph. p. 128.*) floribus Anthos flores Lauendulae addunt, et Wurtembergenſes (*Ph. p. 18.*) Saluiam et Zingiber. Externe pro odoramento eſt debilium et deliquio animi correptorum, diſcutit etiam et roborat.

rat. Qui ſpiritus Monſpeliis ad nos transfertur fragrantior et efficacior eſt reliquis.

CONSERVA *Ph. Lond. p. 24. Ph. Ed. p. 70.* Ex floribus. Contuſione horum et ſaccharo addito debilitatur fragrantia et vis inſigniter.

MEL ANTHOSATVM. *Ph. W. p. 113.* Ex floribus vel herba aqua et melle maceratis demum coctis et colatis. Raro hodie ad flatus diſſipandos et tormina vterique dolores mitigandos ingeritur, vel clyſmatibus admiſcetur.

GLECOMA.

LINN. *Syſt. veg. p. 445. Gen. pl. p. 291.*

261.

Pharm. HEDERAE TERRESTRIS *Herba.*

Glecoma hederacea; foliis reniformibus crenatis LINN. *Spec. pl. p. 807.* Hedera terreſtris vulgaris C. B. Icon: REGNAVLT *Botanique*, le Lierre terreſtre. Pl. perennis ad ſepes, et in dumetis crebra.

HERBA ſuccoſa amara paullum cum leui aromate et acrimonia, et odoris, dum fricatur, fortis. Nec ſiccata perdit ſaporem vel odorem ſuum vel vires, ſi contuſa et in placentam redacta ſiccatur beneque ſeruatur (WILLIS *Pharm. rat. Sect. 1. c. 6. p. 59.*).

Alius

Alius iacturam odoriferae partis siccando queritur (CARTH. *M. m. T. 2. p. 469.*). Aqua destillata odora. Extractum aquosum amaritiem mitem habere fertur, spirituosum euidentius acre et aromaticum (HEDER. *Diss. de Hedera p. 12. sq.*). Contra haec vir fide dignior (CARTHEVSER *loc. cit.*) saporem extracti aquosi primum subdulcem et amaricantem, postea adeo acrem, vt Piper vel Pimpinellae radicem aemuletur, describit, extractum autem spirituosum, quod longe minori quantitate elicitur, balsamicum, amaricans.

In Anglia, praecipue septentrionali, olim per 24 horas dolio immissa ad cereuisiam clariorem reddendam (RAII *Hist. plant. T. 1. p. 567.*). Crebro quoque cereuisiam hac stirpe impraegnatam, nomine Gill-ale, potarunt, vt antiscorbuticum, aperiens et diureticum (MILLER *Botan. offic. p. 225.*). In Germaniae quibusdam locis embammatibus incoquitur gratiae causa. Folia loco Mori bombycibus proiecta (IVSTI *Gött. Polizeynachr. 1757. p. 23.*).

Quod aperiendi, detergendi, lotium pellendi vulnerariamque facultatem habeat haud mediocrem, experientia non diffitenda nititur. Olim fiduciam in viceribus internis (SIM. PAVLLI *Quadrip. bot. p. 74.*), praecipue pulmonum, contraxit, quam adhuc apud multos seruat. In tussi graui et pertinaci pulueris drachmam dimidiam vel integram bis de die, in aqua de-

deſtillata vel decocto pectorali ſumendam, impenſe laudat WILLISIVS (*Pharm. rat. Sect. 1. c. 6.*). In phthiſi ex haemoptyſi prae ceteris omnibus commendatum cupit ſyrupum ex Hedera terreſtri copioſe ingeſtum MORTONVS (*Phthiſiologia Lib. 3. cap. 5. Op. T. 1. p. 133.*). QVERCETANO pariter ſyrupus hoc fine placuit, ſed ex ſucco cum ſaccharo Roſarum vel penidio paratus (RIVER. *Prax. P. 1. p. 349.*). Decoctum melle, ſi placet, miſcendum multis extollit ETTMÜLLERVS (*Oper. T. 1.* MANG. *p. 639.*) in exulcerationibus pulmonum, LINDANVM ſocium laudis in empyemate vomica pulmonum et abſceſſu ex male curata pleuritide citans. Fauet horum effatis de efficacia in phthiſi SCARDONA (*Aphoriſmi de cognoſcendis et curandis morbis Lib. 2. p. 69.*). SAUVAGES (*Noſol. T. 3. P. 2. cap. de phthiſi.*) in cenſu remediorum contra phthiſin variam hoc pariter memorat. In Suecia, vbi medicis quibusdam contra phthiſin ſeſe quoque commendauit, memini cognati cuiusdam, qui pus verum exſpuerat, ſucco eiusdem cum ſero lactis vel lacte mixto, iuncta equitatione, potiſſimum curati. Equidem pluries addidi pro phthiſicis ex vlcere aliis herbis in infuſo theaeformi, conſerua Roſarum loco ſacchari edulcato, non ſine fructu, ſed in comitatu reliquorum ſubſidiorum.

Calculo renum ſubuenit, non quidem, vt arbitror, peculiari quadam ſoluendi virtute, quam in pul-

puluere, vel aqua ſpirituoſa, exploratam arbitratur SIM. PAVLLI (*Quadrip. bot. p. 74.*), ſed ea, qua lotium mouet. Ad praecauendum igitur calculum valde efficax, quocunque modo ſumta, pronunciatur (SENNERTI *Pract. Lib. 3. Pars 7. Sect. I. Oper. T. 3. p. 576.*). Aliis infuſum ſpiritu vini paratum ad calculos pellendos placuit (PLATER. *Prax. Tom. 2. p. 499.* REVSN. *Obſerv. med. p. 90. apud* WELSCH.), etiam ſaccharo edulcatum; ſicque aliquando haud absque dolore arenulae excretae (REVSN. *l. c.*). Vnde apparet, non larga nimis manu praebendam eſſe, ne, vt ſolent diuretica efficaciora, labefactatas lotii vias nimis irritet, et laedat. Extra tempus, quo dolor renum affligit, commendabilis eſt cereuiſia non lupulata, cui tempore fermentationis folia ſtirpis addita (MEAD *Monita et praec med. p. 97.*).

Succum naribus attractum cephalalgiam vehementiſſimam et inueteratam auferre RAIVS (*Hiſt. pl. T. 1. p. 567.*) profert, auctore ludimagiſtro quodam, fateor teſte non ſatis idoneo, et nimis empirice. Meminiſſe tamen huius rei iuuat ob experientiam grauioris viri (SEGVIERI, *Plant. Veron. T. 1. p. 306.*), qui, etſi nequaquam radicitus malum tolli, minui tamen hac ratione expertus eſt.

Leuiores eaeque vernales febres intermittentes infuſo meraco recentis herbae, ſub apyrexia et frigoris ſtadio vbertim hauſto, fugatae fuerunt (LAVTTER

Hiſt. bienn. p. 2.). Miror, quod et primo febris ſtadio in vſum tractum, quum, quicquid tum potulenti ingeritur, moleſtias creare ſoleat, et paroxyſmum prolongare.

Deſueuit omnino tritam herbam vlceribus ſinuoſis crurum imponere, vel ſucco eadem eluere (GABELCHOVER *Cent. 3. Obſ. 69.*).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

CONSERVA *Ph. W.* Superfluam declarat ſupra citata WILLISII obſeruatio.

AQVA DESTILLATA *l. c.* Abeſſe poteſt, tanto magis, quum odor facile pereat.

SYRVPVS *l. c. p. 212.* Laus in phthiſi ſupra adfuit. Extenditur et haud ſine omni iure ad abſceſſus alios internos, item ad nephritidem calculoſam.

LAMIVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 445. Gen. pl. p. 292.*

262.

Pharm. LAMII ALBI *Herba; Flores.*

Lamium album; foliis cordatis acuminatis ſerratis petiolatis, verticillis vigintifloris LINN. *Spec. pl. p. 809.* Lamium album non foetens, folio oblongo

longo C. B. *Vrtica iners* siue Lamium primum DODON. *Pempt. p. 153.* Icon: *Fl. Dan. Tab. 523.* REGNAVLT *Botanique*, L'ortie blanche. Pl. perennis, creberrima ad vias et locis cultis.

In *Pharm. Edinb.* vtraque pars designatur, in *Londinensi* vnice flores. Spreta in vniuersum stirps in hodierna praxi; nec spondet multa sensuum scrutinio subiecta. HERBAE odor subfoetens, sapor subausterus. In haemorrhagia vteri et fluore albo, praecipue in hoc olim laudata. Quidam floribus praerogatiuam tribuerunt conseruamque ex recentibus pararunt (DODONAEVS). Alii infuso theaeformi ex vtraque dictarum partium vsi sunt. (GEOFFROY *Matiere med. Traité T. 7. p. 168.*). Ex recentioribus Galli praecipue de ea honorifice in hisce malis sentiunt, vt CHOMEL (*Pl. usuelles T. 2. p. 306.*), qui herba floribusque in iusculo vitulino coctis, vel et succo ad sex vncias ingesto vna cum cataplasmate abdomini applicato saepe auxilium attulisse narrat, item GEOFFROY (*l. c.*), qui ad quotidianam praxin prouocat. Scrophulas etiam infuso aquoso frigido foliorum et florum Lamii pro potu vulgari dispelli visum (*Mem. de l'Ac. de Paris a. 1717. p. 273.*).

LEONVRVS.

LINN. *Syst. veg. p. 449. Gen. pl. p. 295.*

263.

Pharm. CARDIACAE *Herba.*

Leonurus Cardiaca; foliis caulinis lanceolatis trilobis. LINN. *Spec. pl. p. 817.* Marrubium Cardiaca dictum C. B. Icon: *Fl. Dan. Tab. 727.* REGNAVLT *Botanique* l'Agripaume ou la Cardiaque. Pl. perennis, in locis ruderatis crescens.

HERBA omnesque reliquae eius partes colorem luridum habent; odor foliorum subfoetidus, sapor amarus. Ad obsoleta pertinet. Quae de vsu in cardialgia infantum a distensione hypochondriorum, de vi pituitam resoluendi, lotium et menstrua prouocandi, de efficacia in palpitatione cordis etc. passim (Vid. e. c. RAII *Hist. pl. T. 1. p. 572.* BOERH. *Hist. pl. Hort. L. B. P. 1. p. 259.*) tradita sunt, non ita narrantur, vt verae frugis aliquid inde peti possit.

PRV-

PRVNELLA.

LINN. *Syst. veg. p. 458. Gen. pl. p. 301.*

264.

Pharm. PRVNELLAE s. BRVNELLAE *Herba.*

Prunella vulgaris; foliis omnibus ouato-oblongis ferratis petiolatis. LINN. *Syst. veg. l. c.* Brunella maior folio non dissecto C. B. Icon: REGNAVLT *Botanique*, la Brunelle. Pl. perennis, in pratis obuia, praecipue humidis.

HERBA parce praescribitur. Saporis subamari leniter austeri; *adstringit igitur nonnihil.* Hinc ex vulgari *opinione*, quod sanguinis profluuia et alui vitiosae deiectiones adstringentibus sistantur, haec quoque a variis inter horum malorum auxilia est cooptata. Prudentiores causas horum antea vincunt, quam ad roborantia animum aduertant. Hodie pro gargarismis seruatur in angina, et collutionibus in vlceribus oris, quo fine aqua decoquere illam et melle commiscere conuenit (Cfr. ETTMÜLL. *Oper. Ed.* MANG. *T. I. p. 680.*).

SCVTELLARIA.

LINN. *Syst. veg. p. 456. Gen. pl. p. 301.*

265.

Pharm. TERTIANARIAE *Herba.*

Scutellaria galericulata; foliis cordato-lanceolatis crenatis, floribus axillaribus LINN. *Spec. pl. p. 835.* Lysimachia coerulea galericulata s. Gratiola coerulea C. B. Tertionaria I. B. *Hist. pl. T. 3. P. 2. p. 435.* Icon: *Fl. Dan. Tab. 637.* Pl. perennis ad oras stagnorum et in fossis crescens.

HERBA *medicis valde paucis hodie cognita.* Spirat Allium, amara. *Nomen pharmaceuticum* virtutem in febre tertiana respicit, de qua et nomine TVRNERVS IO. BAVHINVM (*loc. cit.*) certiorem reddidit. Quum post tam longum silentium in *Ph. Danica p. 50.* eius iterum mentio fiat, nec vt opinor, absque ratione, nolui heic loci desiderari. Decoctum eius praedicauit CAMERARIVS in angina (TOVRN. *Hist. des pl. de Paris T. 1. p. 318.*).

ORDO

ORDO XX.

PERSONATAE.

ANTIRRHINVM.

LINN. *Syst. veg. p. 464. Gen. pl. p. 309.*

266.

Pharm. LINARIAE *Herba; Flores.*

Antirrhinum Linaria; foliis lanceolato-linearibus confertis, caule erecto, spicis terminalibus sessilibus, floribus imbricatis LINN. *Spec. pl. p. 858.* Linaria vulgaris lutea, flore maiore C. B. Icon: REGNAVLT *Botanique*, la grande Linaire. Pl. perennis in locis ruderatis et muris crebra.

HERBA facile discernitur ab ista Euphorbiae Cyparissiae L., illi ceteroquin statura, foliorum angustia, figura, colore, odore haud parum simili, per succi lactei defectum.

Suspecta planta tam ob affinitatem, quam odorem, dum recens est, virosum, qui Ebulum aemulatur, saporis subamari ingrati. Lacti recenti immersa ad necandas muscas in Smolandia adhibetur

(LINN. *Fl. Suec. p. 218.*). Lotium pellere, vt et inde quondam Vrinalis dicta, olim obſeruatum, item aluum mouere, ad quam vim et BOCK (*Kreutterbuch pag. 115.*) Germanico nomine reſpexit. Patet hiſce, a natura noſtra non ferri ſtirpem per os ingeſtam. Immiſcentur hinc inde aliquot eius laudes in hydrope, in ictero, quas hodierna praxis floccipendit. Praecipua autem eius extrinſecus applicatae in haemorrhoidum coecarum dolentium lenimine et diſſipatione continetur, eaque non ambigua, ſed a multis confirmata (Vid. e. g. HORST. *Obſ. et Epiſt. med. lib. 4. Obſ. 50.* SIM. PAVLLI *bot. p. 415.* CHESNAV *Obſ. p. 360.*). Et hancce quidem virtutem et flores praeſtant, vt vtraque plerumque pars vna adhibita fuerit, ſcilicet vel cataplaſmatis forma, vel Linaria lacte cocta et fomenti inſtar applicata, additis, ſi placet, floribus Chamomillae (CHOMEL *Pl. uſuell. T. 3. p. 34.* GEOFFROY *M. m. T. 7. p. 297.*), vel, quod maxime vulgare eſt, in vnguento, quod ſimpliciſſimum parare poteris ex contuſa planta cum butyro vel axungia porcina et camphora miſta, et linteo carpto applicare (Conf. CHOMEL. GEOFFROY *l. c.*).

FLORES eius ad exanthemata chronica curanda valent in connubio florum Verbaſci, dum iſtorum quatuor partes horum vna infunduntur aqua, et hoc infuſum, Theae ſaturatae inſtar, ad plures cyathos potatur. Sic et euanuit exanthema, quod per tres an-

annos aliis fruſtra tentatis durauerat (HAMNERIN in *Provincial-Doctorernes Berättelſer 1761 p. 7.*).

Alias Antirrhini ſpecies, vt *Antirrhinum maius, Orontium, ſpurium, Cymbalariam*, quarum paſſim in libris de materia medica mentio fit, ſilentio hic praetereo, quum mihi quidem dubia de effectuum hiſce adſcriptorum veritate obuerſentur.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

VNGVENTVM DE LINARIA *Ph. Wurt. p. 244.* Coctione herbae florumque cum axungia porcina. Prolixior eius formula in *Ph. Brand. p. 225.* exſtat, ad cuius naturam propius accedit illa Danorum (*Ph. Dan. p. 280.*), quae Semperuiuum et Hyoſcyamum, praeter Linariam, pinguedini addit. Prima decantatiſſimum eſt remedium haemorrhoidum dolentium, in plumaceolo cum vitello ouorum applicandum. Inuentor eius eſt IO. WOLPHIVS, medicus LVDOVICI ſenioris, Haſſiae Landgrafii, cui iſte pluries rogatus reuelare vnguentum recuſauit, donec princeps bouem ſaginatum quotannis illi dare promitteret; vnde verſiculum pro dignoſcenda Linaria ab Euphorbia dicta compoſuit "Eſula lacteſcit, ſine lacte Linaria creſcit", cui addidit adſidens IO. RIDESELIVS, Haſſiae Mareſchallus hereditarius "Eſula nil nobis, ſed dat Linaria taurum" (HORST *l. ſupra c.*).

EVPHRASIA.

LINN. *Syst. veg. p. 460. Gen. pl. p. 304.*

267.

Pharm. EVPHRASIAE *Herba.*

Euphrasia officinalis; foliis ouatis lineatis argute dentatis LINN. *Spec. pl. p. 841.* Euphrasia officinarum C. B. Icon: REGNAVLT *Botanique*, l'Eufraise. Pl. annua, in pratis et montanis vulgaris.

HERBA inodora, sed subamara et adstringens, vt et solutioni vitrioli martis nigredinem inducat. Olim tanquam oculorum efficax praesidium in variis eorundem morbis, caligine, *lippitudine, inflammatione*, exulceratione, cataracta aliisque in medium *producta*. Vnde et nomen eius in Europae linguis tantum non omnibus ad hanc virtutem respicit. Facem praetulisse videtur GORDONVS (*Lil. med. Ed. a. 1305. Fol. 146. a.*), cui externe in aqua destillata composita, et intrinsecus in syrupo arrisit, applaudente paullo post ARNOLDO DE VILLA NOVA, qui aquam Euphragiae (*Breuiar. Pract.*), item vinum euphragiatum (*Lib. de vinis.*) commendauit, et aliquanto serius SYLVATICO, posteaque insigni medicorum caterua, quorum nomina et scriptorum loca significat ZORNIVS (*Botanol. med. p. 290.*). Haecce feire gestientibus etiam satisfacit FRANCVS (*Euphragia*

gia herba medicina polychrefta, verum oculorum ſolamen 1717.). Sunt et inter hoſce, qui puluerem aromate miſtum ingerendum, vel herbam pani incoctam, item ſuccum oculis inſtillandum, curarunt. Mireris merito varietatem difficiliorum oculi affectionum, quibus ſtirpem oppoſuerunt, et ludicram ſaepe eandem adhibendi rationem. Plurimi tamen ſubſtiterunt in viſu debili acuendo, vt et HILDANVS (*Cent. epiſt. n. 59.*) eius vſu ſeptuagenarios, ob vigilias et ſtudia viſu orbos, eundem recuperaſſe enunciauerit, et LANZONVS (*Oper. omn. Lauſann. 1738. T. 2. p. 394.*) viri quadragenarii poſt alia irrite tentata, vini Euphraſiati ope conualeſcentis, meminerit. Hocce vinum nominatim frequenter per longum tempus vſurpatum eſt, quod quidam ſimplici herbae infuſione cum vino, alii, de conſilio ARNOLDI, fermentatione cum muſto pararunt. Male vero in amico quodam LOBELII (*Stirp. aduerſ. p. 210.*) ceſſit experimentum, vt qui leui cataphora et lacrymatiunculis tentatus, ex illo per tres menſes poto amborum fere oculorum iacturam feciſſet, fluxionibus prope ſuppreſſus. Nonne idem, quod aliis, viſu caligantibus ſolatium vnice attulit, roborando neruos, huic detrimento fuit, vinum ſcilicet. Quidam calidam et ſiccantem herbam ſibi repraeſentantes reſtringunt vim ad eam caliginem, quae frigidam cauſam habet (SIM. PAVLLI *Quadrip. p. 325.*). Ambiguis iſtis experimentis non fido,

fido, nec existimationi, in qua apud Islandos succus expressus in dolore vel aliis affectionibus oculorum est (EGGERT OLAFSEN *Reise durch Island Vol. I. p. 229.*) quae tamen vtpote profecta a plebe indocta nec auctoritatis praeiudicio occoecata maioris est facienda, quam ista prius enarrata, donec certiora edocear. Aqua eius destillata pro collyriis adhiberi poterit loco aquae Rosarum vel simplicis destillatae, si quid lucri ex affectatione in formulis sperari possit.

Ictericis vino decoctam mederi quidam (BOCK *Kreutterbuch p. 107.* HOFFMANN *in* SCHRÖD. *p. 412.*) recensent, sed experientia non confirmata recentius.

PRAEPARATVM.

AQVA EVPHRASIAE *offic. German.*

SCROPHVLARIA.

LINN. *Syst. veg. p. 468. Gen. pl. p. 312.*

268.

Pharm. SCROPHVLARIAE vulgo s. cum epitheto VVLGARIS Ph. Ed. *Radix; Folia.*

Scrophularia nodosa; foliis cordatis trineruatis, caule obtusangulo LINN. *Syst veg. l. c.* Scrophularia nodosa foetida C. B. Icon: Scrophularia RIVIN.

ir-

irreg. mon. Tab. 107. Planta perennis, in vmbrosis ad pagos et sepes crescens.

Luridi aspectus est stirps, foetens instar foliorum Ebuli vel florum Paeoniae, vt totum genus curculionibus misere depascitur, ingrate amara. Obsoleuit sensim vsus eius medicus. Radicis potior olim laus fuit.

RADIX tuberosa, constans ex nodis aggregatis inaequalibus parce fibrosis, albida, foetens pariter, subacris et amara. Sicca radix et odoris et saporis mitioris est.

Nodosa eius figura videtur medicos primum inuitasse ad eandem contra scrophulas, strumas, ficus et mariscos ani, praecipue autem haemorrhoides tumidas, in auxilium vocandam. Testium copiam huius aliarumque virtutum allegat ZORNIVS (*Botanol. p. 624.*) ARNOLDVM DE VILLA NOVA, CRATONEM, SOLENANDRVM, HENRICVM AB HEERS, MAYERNIVM, ETTMÜLLERVM aliosque, quibus plures addi possunt ex SLEVOGTII *Dissertatione* (*De Scrophularia, Ien. 1720.*), quae et ipsa dictis nouum pondus adiicere pro fine habuit. Anilem superstitionem, quod in amuleto in hisce conferret, praetereo, quum iam nimium videatur, pulueri, electuario, extracto, infuso, decocto pro interno vsu, vel fotui siue vnguento vario pro externo, fidem tribuere: In haemorrhoidibus dolentibus et frigidis dissipandis nomi-

minatim SLEVOGTIVS (*l. c. p. 27.*) adeo eam praedicat, vt neque certiorem neque celeriorem in aliis remediis effectum desideret. Si quid heic resoluendo praestet, anodyna quoque natura in censum vocanda est. Translata etiam eius laus ad vlcera, ad scabiem aliaque mala, quae iteratis experimentis opus habet.

FOLIA supparia radice viribus habita.

COMPOSITVM.

EMPLASTRVM DE SCROPHVLARIA *Ph. W. p. 71.* Ex foliis huius et Digitalis cum pinguibus et resinosis et aerugine mixtis. Vlceribus antiquis et *scrophulis dicatum.*

269.

Pharm. SCROPHVLARIAE AQVATICAE s. BETONICAE AQVAT. Edinb. *Folia.*

Scrophularia aquatica, foliis cordatis obtusis petiolatis decurrentibus, caule membranis angulato, racemis terminalibus LINN. *Spec. pl. p. 864.* Scrophularia aquatica maior C. B. Icon: *Fl. Dan. Tab. 507. Hort. Rom. T. 2. Tab. 89.* REGNAVLT *Botanique*, la Scrophulaire. Pl. biennis in aquosis frequens.

Priori

Priori minus foetens, sapore quoque inferior. FOLIA eius iisdem malis opposita, etsi rarius. Sed accessit alia commendatio, ad odorem ingratum saporemque nauseosum Sennae absque iactura eiusdem virium corrigendum. Yquetayae vel Liquitayae nomine Brasilienſibus hoc fine celebrata. Didicerat hanc vim MARCHANTIVS a Chirurgo e Brasilia reduce, qui quidem rem arcanam fecerat, sed imprudenter inter folia comminuta semina reliquerat, ex quibus, terrae mandatis, emersit dicta Scrophularia, cum qua et indigena stirps hacce efficacia congruisse dicitur (*Mem. de l'Acad. de sc. de Paris 1701. p. 275.*). Drachma eius dimidia drachmis duabus Sennae admixta hanc acrimonia neruis et cerebro inimica exui monuit BOERHAAVIVS (*Hist. pl. hort. L. B. P. 1. p. 316.*). Olim et in Pharmacopoea Edinburgensium pro infuso Sennae dimidia vel maior pars Scrophulariae addita; sed ex ea a. 1756. iterum reiecta. Nec videtur stirps per se nauseosa et foetida aliam similem corrigere posse.

Vulnerariam praeterea depraedicarunt, adeo vt in obsidione Rupellensi ad finem vulnera ea vnice sanarentur (CHOMEL *Usuelles Tom. 3. p. 63.*) et LOCHNERVS (*Eph. N. C. Cent. 7. et 8. p. 145.*) atrociſſimum furis inflictum vulnus decocto eius hausto et succo plagae instillato sanatum memoret, qui et in xenodochio vires vulnerarias exploratas laudat.

AVI-

AVICENNIA.

LINN. *Syst. veg. p. 484. Gen. pl. p. 579.*

270.

Pharm. ANACARDIVM ORIENTALE.

Auicennia tomentosa; foliis cordato-ouatis subtus tomentosis LINN. *Gen. pl. l. c. Syst. veg. l. c.* Bontia germinans EIVSD. *Spec. pl. p. 891.* Bontia foliis subtus tomentosis IACQ. *fel. stirp. amer. p. 178.* Anacardium C. B. Oepata *Hort. mal. T. 4. p. 95. Tab. 45.* Arbor crescens in vtraque India.

LINNEO *iudice ex hac arbore desumitur* fructus, qua in re COMMELINI coniecturam *in Horto Malab.* praeeuntem habet. Verum negat IACQVINVS (*l. c.*) ex .ouenire, latere adhuc stirpem veram putans.

ANACARDII ORIENTALIS, cuius figuram expressit GARCIAS AB HORTO (*Arom. p. 120.*) nomine venit *Nux* nigra splendens, cordatae figurae, compressa, obtusa, magnitudine pollicis, pedunculo breui rugoso insidens. Constat haec ex *putamine* cellulosо, in cuius cauernulis latet liquidum oleosum, melleum, causticum, nigrum, quod sensim omnino exsiccatur, et *nucleo* albo, saporis amygdalarum dulcium, vel Castaneae. Conferri merentur quae de ar-

arbore et fructus diuersitate pro aetate varia memoriae prodidit CAMELLVS in *Syllabo herb. insulae Luzonis p. 59.* adiecto RAII *Hist. stirp. T. 3.* Colligitur in variis *Indiae* regionibus, vt Malabaria, Goa, Malaca, *insula* Luzonis etc. Creditur vulgo recentioribus Graecis innotuisse primum (V. GARCIAS AB HORTO *l. c. p. 120.*), sed in PAVLLO AEGINETA (*Lib. 7. c. 11.* in *med. art. princip. p. 659.*) iam occurrit, et Arabibus, vt AVICENNAE, MESVI, SERAPIONI, probe nota fuit haec nux et ab illis Balador nuncupata, ex quibus et praeparata varia profecta.

Discrepat maxime iudicium auctorum de eius natura, *aliis edulem adeo vel salutiferam, aliis contra ea deleteriam illam* pronunciantibus; qui ipsi tamen *facile* conciliari possunt, modo, vt in seminibus Ricini, intra nucleum et putamen rite distinguatur. Nucibus viridibus et sale conditis Indos vti, oliuarum in modum, in cibis referunt GARCIAS (*l. c.*) et DACOSTA (*Historia delle Droghe medicinale p. 176.*) quod vero de nucleo vnice intellectum vult CAMELLI (*l. c.*), licet, vt et alterum credam, nihil repugnet. Nux viridis etiam coctae oryzae appetitus ciendi causa admiscetur, prout et sicci fructus nucleus esitatur (DACOSTA). Nucleus et, certe ex CAMELLI interpretatione, in India fero lactis maceratus contra asthma et contra lumbricos ingeritur (GARCIAS *l. c.*). Omnia igitur in id collimant, nihil maligni

nucleo ineſſe, ſed hunc blandum oleum continere. — Succus contra in putamine reconditus acris eſt, inflammat exulcerat, vt et cauſtici inſtar Indi eum ad verrucas, lichenes, fungoſas carnes aliasque excreſcentias delendas illinant, item dentibus carioſis ad eosdem perdendos inſtillent, nec non vlceribus brutorum ad eadem mundanda (DACOSTA *l. c.*). Non abſonum igitur eſt, ingeſta Anacardia fauces, guttur, ventriculum inurere, febres accendere, quibus adiicitur paralyſin et mentis alienationem inſequi (MATTHIOL. in DIOSCOR. *Lib. 6. cap. 5. p. 985. Ed.* BAVH.). Succo dicto cum calce miſto characteres pannis goſſypinis aliisque loco atramenti inſcribuntur, nulla lotione delendi. (DACOSTA *l. c.*); alii ductibus adhuc madidis eodem fine calcem inſpergunt (OSBECKS *Oſtind. Reſa p. 208.*). Aliud atramenti ſcriptorii genus paratur ex fructibus immaturis contuſis addito lixiuio et aceto (CAMELLI *p. 60.*). Cultri apici infixa haec nux, ſi candelae admouetur, mox flammam capit, ſtrepitus excitat, ſcintillas variorum colorum ſpargit, quibus impoſtores in India credulis imponunt (DACOSTA).

PRAEPAARTA ET COMPOSITA.

ELECTVARIVM ſ. CONFECTIO ANACARDINA MESVES. ZWELFF. *Animaduerſ. in Pharm. auguſt. p. 345.* Ex Myrobolanis, aromatibus quibusdam

dam, Nigellae vel Erucae ſemine, Caſtoreo, Anacardio, varia miſcela in electuarium redactis. Et corporis et animi vires reſtaurare creditum. Exulauit merito ex officinis hodiernis. Quosdam eo ingeſto euaſiſſe maniacos legitur (CASP. HOFFM. *de med. offic. Lib. 2. p. 487.*).

MEL ANACARDIVM AZARAVII. ZWELFF. *l. c. p. 56.* Obſcure deſcriptum, ſed nihil refert, quum iure expulſum fuerit.

VITEX.

LINN. *Syſt. veg. p. 473. Gen. pl. p. 326.*

271.

Pharm. AGNI CASTI *Semen.*

Vitex Agnus caſtus; foliis digitatis ſerratis, ſpicis verticillatis LINN. *Spec. pl. p. 890.* Vitex foliis anguſtioribus cannabis modo diſpoſitis C. B. Αγνος ſ. λυγος Graecorum. Icon: REGNAVLT *Botanique*, l'Agnus caſtus. Varietas folio latiori depicta exſtat in DU HAMEL *Traité des arbres T. 2. Tab. 105.* Arbor Europae auſtralis, Siciliae, Neapolis, nec non Halepi, locis paluſtribus creſcens.

Caſtitati ſeruandae apud Graecos ſacra olim fuit. Eo fine in theſmophoriis, h. e. ſacris Cereris, matronae caſtitatem cuſtodientes, foliis vel ipſo frutice ad

ſtrata vſae ſunt. (DIOSC. *Lib. 1. cap. 135.* GALEN. *de ſimpl. Lib. 6. p. 780. Ed.* RICC. PLIN. *Hiſt. nat. Lib. 24. c. 9. p. 1102.* DALECH.). Vnde et nomen Ἄγνος, cui Latinum *caſtus* idem ſignificans male additur. Eadem virtute olim claruit fructus, vt et Monachorum piper a SERAPIONE vocaretur.

Perperam hic vetuſto vitio a pharmacopolis SEMEN dicitur, quum bacca ſit globoſa, mucronata, magnitudine fere grani cannabini, fuſco-nigricans, infra calyce cinereo denticulato dimidium veſtita. Odor eius fragrans, ſapor autem acris aromaticus; quod vero de recens collectis baccis intelligendum. *Nam quae in officinis ſeruantur, inertes* plerumque ſunt; vnde forſitan omnino *vſurpari deſueuerunt, quae* Graecis tamen in affectionum inſigni varietate *in pretio fuerunt.* Iure calida et ſiccans vis illi adſcripta, nec perperam ad flatus pellendos efficax habita, forſitan et ad viſcera obſtructa reſeranda (DIOSC. GALEN.). Cetera nimia ſunt. Nec reſtinguere poteſt impetum ad venerem, vt veteres voluerunt, ſed excitare potius oportet remedium aromaticum.

Attamen et intrauit ESSENTIAM CASTITATIS IO. MICHAËLIS et varias AQVAS CASTITATIS, HORSTII, MYNSICHTI et aliorum.

GRA-

GRATIOLA.

LINN. *Syst. veg. p. 60. Gen. pl. p. 13.*

272.

Pharm. GRATIOLAE *Herba; Radix.*

Gratiola officinalis; foliis lanceolatis serratis, floribus pedunculatis. LINN. *Syst. veg. l. c.* Gratiola centauroides C. B. Cfr. KOSTRZEWSKI *Diss. de gratiola, Viennae 1775.* cum figura non satis accurata. Praestantior icon: *Flor. Dan. Tab. 363.* REGNAULT *Botanique*, la Gratiole. Pl. perennis in vdis Europae australioris Germaniae, Austriae, Helvetiae, Galliae, Italiae crescens.

MATTHIOLVS creditur (KOSTRZEWSKI *l. c. p. 8.*) primus esse botanicorum, qui eius meminerit.

HERBA valde amara et nauseosa est, absque odore. Respuitur a pecoribus sic, vt prata, in quibus copiosius crescit, inutilia censeantur (HALL. *Hist. stirp. helvet. n. 329.*). Equi autem pratis admissi ab eadem vehementer purgari, et, nisi abigantur, emaciari compertum (IACOH. CAMERAR. *Hort. med. et philos. p. 69.* GLEDISTSCHS *verm. Abhandl. T. 3. p. 376.*). Sicca herba viridi et succosa longe debilior est (LINN. *Amoen. acad. Vol. 7. p. 306.*). Succus eius expressus non eo gradu amarus est, vt residuum (BOVLDVC, in *Mem. de l'acad. R. d. sc. 1705. p. 189.*). Inspissatus

sal commune largitur (MARCGRAF in *Mem. de l'Ac. des sc. de Berlin 1747. p. 79.*). Vnciae sedecim herbae siccatae largiuntur extracti aquosi vncias quatuor cum tribus drachmis, extracti spirituosi secundi ex residuo nonnisi grana quadraginta quinque emerserunt (*l. c. p. 191.*). Spiritu vini igitur longe minus, quam aqua eruitur (Conf. *l. c. p. 192.*). Aquam itaque conuenientissimum Gratiolae menstruum esse colligitur.

Ad efficaciora purgantia pertinet. Quin saepe aluum eluens, simul vomitum excitat (CONR. GESNER *Epist. med. Lib. 3. Epist. 31. p. 94. b.* DODON. *pempt. p. 361.* BOERH. *Hist. pl. hort. L. B. P. 1. p. 308. sq.* BERGII *Mat. med. p. 26.*). Pituitam et bilem copiose eliminat. Haud paucis suspecta vis purgans quoque visa, et tormina et hypercatharsin inde successisse obseruatum (CHOMEL *Vsuell. T. 1. p. 48.*) (BVRCKEL *Diss. de Gratiola, Argent.*). Hinc robustioribus vnice nonnulli destinarunt (CHOM. *l. c.*). Hinc et vehiculo vel miscela et praeparatione varia, saepe nimium operosa, (Vid. e. c. FREITAG *auror. med gal. chym. Lib. 2. c. 43. p. 398. sq.*) praecauere incommodis oriundis conati sunt. Multi in hunc finem lacte vaccino (BOVLDVC *Mem. cit. p. 187.* GEOFFROY *M m. Traité T. 6. p. 42.*) decoquendam suaserunt. Alii Cinamomi, Macis, Zingiberis vel seminis Anisi tantillum, Glycyrrhizam, Saccharum, passulas addiderunt (CHOM. HERM. TABERNAEM.). Imo est, qui nonnisi

post

poſt praeparationem corporis oleo et mellitis factam die ſequenti conceſſit, et, ſi ingratus ſenſus oriretur, copiam tepidae aquae ſuperbibendam ſuaſit (BOERH. *l. c.*). Mitius contra ea aliorum de vi eius purgante iudicium eſt, nec vllo incommodo et absque vlla internarum partium laeſione eam operari affirmant (CORDI *Hiſt. pl. Lib. I. cap. 2. p. 86. Ed.* GESN. ETTMÜLL. *Oper. T. I. p. 763. Ed.* MANG.). Sine dubio et hic diatheſis aegri et doſeos iuſta ratio habenda.

Varia pulueris quantitas aſſignatur. Scrupulus iam vnus cum robe Sambuci ſumtus c. GESNERVM (*Epiſt. l. c.*) per vomitum et aluum copioſa pituita et aqua non ſine moleſtia liberauit. Eadem doſis bis data vna die ſaepius aluum duxit cum nauſea et vomiturition, effectu et in alterum diem continuante (BERGIVS *l. c.*); vnde patet minori adhuc doſi locum eſſe. Exhibere tamen alii ad drachmam dimidiam (CHOMEL *l. c.*), ſcrupulos duos (HERMANN. *Cynoſ. T. I. p. 540.*), imo ad drachmam integram (TOVRN. *pl. de Paris T. 2. p. 44.* et BÖCLER *in not. ad* HERM.), non veriti ſunt. Pro infuſo vel decocto largiorem quidem concedere licet doſin, ſed in tam efficaci ſtirpe non pugilli vel manipuli menſura, (vt a TOVRNEFORTIO, CHOMELIO, GEOFFROY factum) ſed pondere pariter determinandam. Quod ipſum a drachma vna ad ſeſquialteram vel duas ſupraque paucis definitur

(DODONAEVS, I. BAVH., HERM.). Typographico fine dubio vitio apud MORISONVM (*Hiſt. pl. T. 2. p. 480.*) vncia vna ad duas ſupraque ſignificatur. Decoctum, praecipue diuturniori mora paratum, infuſo cenſeo *efficacius*. Nam praecipua vis purgans latet in pulpoſa parte. Succus nimirum expreſſus et inſpiſſatus ad doſin 24 vel 30 granorum blande purgat absque vomitu, ſed lotium efficaciter pellit. Extractum vero ex reſiduo poſt expreſſionem aqua erutum et amarius eſt et eadem doſi violentius purgat (BOVLDVC *l. c. p. 189. ſq.*). Quibusdam, praeter aquoſum infuſum, placuit vinoſum, item conſerua. In clyſmate ad pugillum vnum aquae vel lacti vel eius *ſero incocta ſecuriorem vſum promittere viſa fuit* (CHOMEL *l. c.* GEOFFROY *l. c.*).

In multis igitur morbis, qui purgantibus opus habent, Gratiolae locus eſt. Sed in quibusdam ab auctoribus memoratis non purgandi vnice facultate, ſed et reſoluendi efficacia auxilio fuiſſe arbitror. — In hydrope vario (HEVRN. *Prax. med. p. 332.* CAMERAR. *Hort. med. l. c.* qui extractum cum Cinamomo in pilulas redactum laudat. ETTMÜLL. *l. c. Tom. 1. p. 716.*), aſcite (HELVICH. *Miſc. N. C. Dec. 3. A. 5 et 6 Obſ. 67. p. 133. ſq.*), anaſarca, (IOEL *Oper. med. T. 4. Lib. 4. ſect. 1. p. 372.* HARTM. *Oper. med. chym. p. 60.*) a bene multis frequentata. Oportet hic vero ante omnia inquirere, an viſcerum viriumque conditio pur-

purgans eiusmodi forte ferat, et diſpicere, an in diureſin magis quam alui ſolutionem natura inclinet. — Alii ad viſcera obſtructa reſeranda, febres intermittentes profligandas, rheumatiſmos diſſipandos proficuam declarant; ſed relego lectores ad diſſertationem indicatam cl. KOSTRZEWSKI, in qua teſtimonia harum virtutum ſparſa leguntur. — Addenda tamen vis anthelmintica a multis percepta, qua plures verminoſos, ferocibus ſymptomatibus ſtipatos incantamenti inſtar ſeſe ſanaſſe laetatur ANGELVS SALA (*Eſſent. veget. Sect. 5. cap. 9. p. 158. ſq.*). Infuſum aquoſum ſuum pretium pro hoc fine approbauit (BOVLDVC *l. c. p. 187. ſq.*). *Clyſma ex decocto non minus vermibus inſeſtum fuit* (TABERNAEMONT. *l. c.*).

Folia vel recentia, vel in puluere, vulneribus applicata conſtitit ad conſolidationem eorundem facere (TABERNAEMONTAN. *l. c.* CAESALP. *de plant. p. 265.*), in vlceribus autem recentibus fomenti calidi inſtar conferre (ZWING. *Theatr. prax med. P. 1. p. 531.*). Minus notum eſt, herbam conquaſſatam et extrinſecus adhibitam in arthritide et rheumatiſmo nec non tumoribus a coagulo tam lacteo quam ſanguineo, vt ecchymoſi, praeſtantiſſimum reſoluendo effectum exſerere (Ex narratione cel. TISSOT coram fratre ADOLPHO MVRRAY Prof. Vpſal. facta.).

RADIX cylindrica, calamum crassa, geniculata, alba, horizontalis, fibris descendentibus. De vi huius medica plerique tacent, vt inde coniiceres nonnisi herbae illam competere. Sed vix cedere radicem isti, recentiora praecipue experimenta docuerunt. Et haec intense amara simulque adstrictionis sensum edit (BOVLDVC *l. c. p. 188.*). Vncia sesquialtera drachmas duas et dimidiam extracti aquosi erogat. Huius grana quindecim ad viginti quatuor mitius purgant, quam idem pondus extracti foliorum. Spiritus vini et de radice minus extrahit, quam aqua (*l. c. p. 193.*). Specificum in dysenteria et Ipecacuanhae aemulum ad drachmam dimidiam vel integram, modo non nimios progressus fecerit, habita (a BOVLDVC *l. c. p. 188.*). Wallachis quoque in hoc morbo familiaris KRAMER *Tent. bot. p. 18.*). Ad hanc stirpis partem refero experimenta recentius Viennae in nosocomio Hispanico et isto Sti Marci instituta, etsi, qui de iis recenset cl. KOSTRZEWSKI (*Diss. cit.*), quae praecise fuerit pars, non ediserat, de puluere Gratiolae modo loquens, et ad finem opusculi (*p. 63.*) etiam saturatum infusum herbae explorari ibidem significans. Ex iis vero, quae serius ill. L. B. DE STÖRCK (*med. prakt. Unterricht T. 2. p. 36.* et inter *form. p. 52.*) de vsu in hydrope exposuit, colligo, radicem intellectam fuisse. Saepe prodesse hanc, vbi reliqua diuretica et purgantia inertia sunt, et quidem in puluere

ad

ad drachmam dimidiam pro dosi per plures dies continuos datam, vel in nimia aegri debilitate vel anxietate quouis biduo vel quatriduo, item in infuso vinoso ex radicis drachmis duabus per horam vino ad colaturam librae vnius infusis, sumendo omni bihorio vncias duas. Puluis radicis vomitum excitauit, non vero ille ex extracto plantae cum saccharo paratus (KOSTRZEWSKI *p.64.*). Tres maniacos aliis multis frustra tentatis puluis Gratiolae perfecte sanitati restituit, quibus decoctum radicis Graminis loco potus vulgaris, et vesperi plerumque paregoricum datum fuit (*l. c. p.32. sqq.*). Nosocomium Marci Vindobonense recepit quoque sequentem puluerem: ℞. Extract. Gratiol. ʒj Sacch. alb. Lap. cancror. ana ʒijß Sem. Foen. ʒj M. F. pulv. tenuissimus, cuius initio ter de die grana decem sumantur augendo sensim dosin, donec per diem drachma integra consumatur. Hic profuit in vlceribus venereis nasi, faucium, frontis, artuum, carie ossium, tophis, cancro venereo, phymosi, ea adeo, quae in gangraenam vergebat, testiculo venereo a gonorrhoea retropulsa, bubonibus, fluore albo a labe venerea, arthritide. Sed in quibusdam aegris nonnisi lotium mouit, in aliis sudores, quidam et ptyalismum leuem inde experti sunt (*l. c. p.50.*). — Constat igitur, stirpem hanc, et resoluendo tenaces humores et materiam peccantem multiplici via euacuando, salutarem suam efficaciam exercere.

PRAE-

PRAEPARATVM.

EXTRACTVM *Cod. med. Paris. p. 50. Ph. austr. prov. p. 173.* Infusione herbae cum aqua et subsequa inspissatione. Pretium supra indicatum.

ACANTHVS.

LINN. *Syst. veg. p. 484. Gen. pl. p. 327.*

273.

Pharm. BRANCAE VRSINAE vulgo, ACANTHI Ph. Paris. *Folia; Radix.*

Acanthus mollis; foliis sinuatis inermibus LINN. *Spec. pl. p. 891.* Acanthus satiuus s. mollis Virgilii C. B. Icon: REGNAVLT *Botanique*, l'Acante ou la Brancursine. *Hort. Roman. T. 3. Tab. 13.* Pl. perennis, frequens in humidis Italiae inferioris et Siciliae. Frigus hiemale in hortis Germaniae quidem fert, sed non floret sub dio.

FOLIA insipida, viscosa. Horum loco plerumque pharmacopolae colligunt folia Heraclei Sphondylii, quem errorem, etiam a ZORNIO (*Botanol. p. 14.*) propagatum, iam (*App. med. T. 1. p. 256.*) redargui. Haec aeque ac RADIX, quae tamen vix in officinis offenditur, mucilaginem continent, praecipue autem radix. Ad naturam igitur Maluae similiumque mucilaginosarum

rum accedit ſtirps, et emolliendi fine in ambuſtionibus, haemoptyſi, alui profluuiis, non ſine omni ratione, praecepta. Obſoleta hodie in tanta copia efficaciorum, vixque amplius in clyſmatibus folia vſu veniunt.

HERBARVM QVINQVE EMOLLIENTIVM e numero eſt.

VERONICA.

LINN. *Syſt. veg. p. 56. Gen. pl. p. 12.*

274.

Pharm. VERONICAE *Herba.*

Veronica officinalis; ſpicis lateralibus pedunculatis, foliis oppoſitis, caule procumbente LINN. *Spec. pl. p. 14.* Veronica mas ſupina et vulgatiſſima C. B. Icon: *Flor. Dan. Tab. 248.* REGNAVLT *Botan.* la Veronique mâle, ou Thé d'Europe. Pl. perennis, in ſyluis ſterilibus frequens.

HERBA amaricans et ſubadſtringens eſt, vt tamen infuſum eius ſolutione vitrioli martis mixtum mox nigreſcat. Odorem peculiarem vix ſenties in ſuccoſa herba, multo minus in ſicca, ſed, aqua ex recenti deſtillata, volatile quoddam ſeſe naribus offert (FR. HOFFM. in *Diſſ. de infuſi Veronicae efficacia praeferenda herbae Theae*, recuſ. in *Opuſc. med. p. 378.*).

prout

prout et tinctura spirituosa odorem balsamicum spargit (CARTHEVS. *M. m. T. 2. p. 466.*). Ad hoc volatile seruandum infusum decocto praestare creditum est (HOFFM. *l. c. p. 377.*). Sed ad amaritiem et austeritatem in primis attendas. Extractum spirituosum amarius est aquoso, ponderis autem fere aequalis (CARTHEVS. *l. c.*).

Infusum tenuius flauicantem vel rubicundum colorem habet, saporem amaricantem non ingratum. Eo, loco infusi Theae Chinensis poto, multorum in Germania praecipue palato placuit, postquam FR. HOFFMANNVS (*Diss. cit. Hal. 1693.*) et IO. FRANCVS (*Polychresta herba Veronica, Vlm. 1690. 12,* recusa sub titulo *Veronica theizans, Coburg. 1700.* et tam Germanice quam Gallice versa), multis eam commendassent. Ita a colonis in Suecia eo fine vsurpatur (LINN. *Fl. Suec. p. 5.*). Sed etiam in medelam variorum malorum cessit. Communis fere laus obtinuit in pectoris morbis a pituita collecta oriundis, scilicet tussi, asthmate, imo in vlcere ipso pulmonum et hectica, in quibus screatum leuare illam, et vulneraria virtute excellere creditum (HOFFM. *l. c. p. 390.*). In suffocationibus nocturnis catarrhalibus profuisse testatur magnus vir (HALL. *hist. st. helv. n. 542.*). Vereor vero, ne adstringens stirps screatum potius cohibeat, quam adiuuet, nisi debilitas pulmonum subsit, cui subuenire potest quodammodo roborans Veronicae vis.

vis. Ab adſtringente vnice potentia deriuo opem calculoſis eadem praeſtitam; quae tanta decocto et fomentationi eodem factae apud feminam infuit, vt calculus in rene latens ad vrethram et tandem ad veſicam protruſus fuerit, ex qua haud absque ſumma laeſione et copioſa haemorrhagia per collum eiusdem vi extractus eſt (ELSNER *Ephem. nat. Cur. A. 1. Dec. 1. Obſ. 107.* Conf. et praeconium CRAT. in HOFFM. *Diſſ. cit. p. 391.*). Mictum cruentum eximie compeſcuit ſuccus Veronicae cum vino rubro maceratae expreſſus, et vel melle vel ſaccharo edulcatus, isque cochleatim ſumtus (FISCHER *de ſenio p. 217.*). Cutis pruritum et ſcabiem, illam quoque, qua ſenes corripiuntur, feliciſſime potus Veronicae diſpulit (HOFFM. *Diſſ. cit. p. 391.*). Plures virtutes in FRANCI libro ſignificato memorantur, vtinam aeque certae ac numeroſae.

Huius Veronicae in locum in *Actis medicorum Berolinenſium* (*Vol. 2. p. 125. ſq.* cum icone rudi) ſurrogatur nomine Teucrii veri *Veronica Teucrium*; racemis lateralibus longiſſimis foliis ouatis rugoſis dentatis obtuſiuſculis caulibus procumbentibus LINN. *Syſt. veg. p. 57.*, quae eſt Veronica montana RIVIN. *Tab. 95.* Gratior enim ſapore magisque reſoluens et roborans ab iſtis exiſtimatur. Sed noluit prior cedere iuri ſuo, quamuis et huius fama ſenſim in medicina ſeriori conſenuerit.

PRAE-

PRAEPARATA.

AQVA VERONICAE CVM VINO *Ph. W. p. 24.* quae nulla in re valde eminet.

EXTRACTVM *l. c. p. 88.* Aqua paratur. Vix vnquam amplius praecipitur.

SYRVPVS *l. c. p. 219.* Abſtergens et conſolidans vis illi adſcripta in vitiis praeſertim pulmonum ac renum.

275.

Pharm. BECCABVNGAE *Herba.*

Veronica Beccabunga; racemis lateralibus, foliis ouatis planis, caule repente LINN. *Spec. pl. p. 16.* Anagallis aquatica maior (item II. minor) folio ſubrotundo C. B. Icon: *Flor. Dan. Tab. 511.* REGNAVLT *Botanique*, la Beccabunga. Pl. perennis ad riuos et in foſſis fluentibus copioſa.

HERBA recens ſcatet ſucco aquoſo aliquantum amaro, vix adſtringente. In tenellis foliis ſapor manifeſtior. Saporem Naſturtio ſimilem tribuit herbae SCHWENCKFELD (*ſtirp. Sileſ. p. 18.*), ſubinde tamen plane inſipidam reperit. Verno tempore acetaria intrat (ID. et SCHREBER *Samml. T. 3. p. 31.*). Recens merito efficacior, quam ſicca, iudicatur, quum id, quod volatile inſit, vt in naſturcinis, ſiccando pereat.

Con-

Contra scorbutum valere multi sibi persuadent. Optima forma est in succo, cuius vnciae duae ad quatuor epotentur, etiam in connubio seri lactis (CHOM. *Pl. usuelles T. 2. p. 238.*). Solet quoque cum succo Cochleariae vel alius efficacioris antiscorbutici commisceri, vt acrimonia huius nonnihil mitigetur, FORESTI praeuio exemplo (*Observ. et Curat. Lib. 20. Obs. 12. Schol. p. 306.*), qui et syrupum ex vtroque sed coctione parato impensius laudat, quam sperare hodie fas est. Vlcus scorbuticum tibiam fere vniuersam occupans et ad os vsque descendens in scorbutico sola Beccabunga in cereuisia cocta et applicata consolidatum narratur (*SIM. PAVLLI Quadrip. p. 239.*). In vniuersum titubare incipit herbae laus, nec immerito; ideo non opus est, aliis praeconiis de vi referandi obstructa viscera, dissipandi podagram rel. diu immorari.

VERBENA.

LINN. *Syst. veg. p. 61. Gen. pl. p. 16.*

276.

Pharm. VERBENAE *Herba.*

Verbena officinalis; tetrandra, spicis filiformibus paniculatis, foliis multifido-laciniatis, caule solitario LINN. *Spec. pl. p. 29.* Verbena communis

flore coeruleo C. B. Icon: *Flor. Dan. Tab. 628.* REGNAVLT *Botan.* la Verveine. Pl. annua, in viis et locis ruderatis crebra.

Videtur esse Ἱερα βοτανη s. περιστερεωνα DIOSCORIDIS (*Lib. 4. cap. 61.*).

HERBA inodora, sapore subadstringente et subamaro instruitur. Hinc non multum bonae frugis spondet. Nec facile cum hisce et neglectu herbae apud solidiores medicos hodiernos, efficaciae testimonia, quae hinc inde ab auctoribus sparguntur, conciliari possunt. Nolo ad vetustiora tempora regredi, quum, de quanam stirpe praecise loquantur, non liqueat. Operae tamen iudicauit pretium HAENIVS (*Rat. med. P. 6. p. 292.*) quorundam ex istis effata citare ad vsum in doloribus capitis inueteratis, quibus et ipse herbam opportunam censuit, confirmandum. DODONAEI et PLATERI, quos etiam allegat, auctoritas nihil ponderis hic addit, quum a veteribus de applicatione externa dicta vnice enarrent. FORESTVS (*Oper. omn. Lib. 9. Obs. 52. p. 301.*) vero singulari casu Verbenam viridem nonnihil contritam collo aegri atrociſſima cephalalgia diu vexati appendit, nec auferendam permisit antea, quam exsiccata per se caderet, optimo, vt ille quidem sibi persuadet, successu. Sed non fido amuletis, quae nec halitus vllos spargunt, nec a madida cute resolui sese patiuntur.

tur. Legitur et *plantam* recentem vel *ſolam* vel cum radice Rhodia *in formam* cataplaſmatis contuſam vtiliter capiti *circumligari*, item decoctum (ETTMÜLL. *Colleg. pharm. in Schröd. Oper. T. 1. p. 713.*). Nec maioris facio HARTMANNI (*Prax. chymiatr. Tom. 1. in oper. Ed.* IOHREN. *p. 15.*) arcanum ſic dictum omni cephalalgiae accommodatum, ex aquae Verbenae deſtillatae vnciis quatuor cum ſpiritus vitrioli *guttis* quatuor, ſaepius ingerendum, et Verbena contuſa capiti impoſita. Quo tamen feminam a diuturnis et rebellibus contra alia remedia doloribus, ex inquilino capitis vitio, vt videbatur, oriundis liberaſſe ſeſe gaudet eximius aliis *multis documentis* DE HAEN (*l. c. p. 304.*), *in eo modo deflectens ab* HARTMANNO, quod ſiccam appenderet herbam. Sed ſaepe id, gloriam curationis deportat, quod vltimo in auxilium adhibitum; et ipſe praeterea ill. vir (*l. c. p. 314.*) plura exempla deſiderat. Et haecce vnice fama HAENII ductus attuli.

Ceteris tanto breuius perfungar. Vim febrifugam ſucci vel extracti etiam noſtro ſeculo quidam iterum tangunt, TOVRNEFORTIVS (*Pl. de Paris T. 2. p. 120.*) item CHOMELIVS (*Pl. uſuell. T. 2. p. 86.*). Hic idem in claſſe ophthalmicorum collocauit. Tantum illi tribuit aquae deſtillatae vel eius ſucco in ophthalmiis diſſipandis. Ad gargariſma in angina decoctum, vt alia adſtringentia magis fre-

quentata, concedi poteſt. Attamen absque damno medicum forum Verbena carere poſſe arbitror.

PRAEPARATVM.

AQVA DESTILLATA *Ph. W. p. 6.* Nullius pretii.

ORDO XXI.

RHOEADES.

PAPAVER.

LINN. *Syſt. veg. p. 407. Gen. pl. p. 263.*

277.

Pharm. RHOEADIS ſ. PAPAVERIS ERRATICI *Capitula; Flores.*

Papauer Rhoeas; capſulis glabris globoſis, caule piloſo multifloro, foliis pinnatifidis inciſis LINN. *Spec. pl. p. 726.* Papauer erraticum maius C. B. Ροιας THEOPH. DIOSC. Icon: BLACKWELL *Tab. 560.* Pl. annua, agrorum vulgare vitium. Varietas flore rubro, ſimplici, vnice intelligitur.

Caue,

Caue, ne *confundatur* Papauere dubio L. capſulis oblongis glabris; vel Papauere Argemone EI. capſulis oblongis *hiſpidis*, facile diſcernendo; quod vtrumque paſſim cum Rhoeade mixtim creſcit.

Succum lacteum haec, vt altera ſpecies, quae Opium verum exhibet, vehit. Opii etiam ſpecies ex eiusdem fructu ſ. CAPITVLIS elici poteſt, licet exigua modo copia. Nec vnquam lac exundans in vſum vertitur, ſed extractum modo aqua paratum. Huius ſolidi drachmas quinque vnciae quatuor capitulorum largiuntur (BOVLDVC in *Hiſt. de l'Acad. R. d. ſc. de Paris 1712. p. 52.*). Ampla drachmae dimidiae, vel integrae eius doſis, *ſcopo anodyno et pro conciliando ſomno blando et contra tuſſim*, commendata (CHOMEL *Pl. uſuell. T. 1. p. 125.*); alii ad grana pauca modo, vt duo tria vel quatuor (BOVLDVC *l. c.*), reſtringunt. Multum in morbis conuulſiuis extracto ex capitulis et herba aqua facto a granis ſex ad octodecim tribuit cl. FOVQVET Monſpeliis, hocque praefert Opio, vt quod nimium calefaciat, ipſam adeo epilepſiam eo compeſcuit, item in ſcirrho matricis dolores conſopiuit (teſtimonio fratris AD. MVRRAY ex itinere per Galliam). Subſiſtitur vero plerumque in vſu

FLORVM. Hi recentes, vix ſiccati, viroſum Opii odorem pariter ſpargunt, guſtati mucilaginem cum amaritie miti produnt. Infuſa illis aqua feruida, haec manifeſte mucilaginoſa euadit, ſimulque gra-

tam rubedinem aſciſcit. Mucilaginis itaque pariter ac anodyni principii ratio habenda eſt iis in morbis, in quibus praeſtantiam ſuam declarat. Profuit infuſum eorum ſaturatius calide ingeſtum in catarrhalibus affectionibus pectoris et tuſſi pertinaci (CHOM. *l. c. p. 124.*). Pleuriticis ſubuenire iam *dudum* creditum, huiusque quidem efficaciae primus teſtis BAPTISTA SARDVS exiſtimatur (DODON. *Pempt. p. 447.* qui vero illam refellit). Pleuritidem leuare omnia ex Rhoeade nominatimque decoctum ex ſemine Lini et floribus Rhoeados inuenit BAGLIVIVS (*Oper. p. 38.*). Rectius vero adhibetur infuſum florum, non neglecta tamen praemittenda venae ſectione, eo tantum *morbi ſtadio, quo ſudor erumpit, quem blande* illud adiuuare compertum. (CHOMEL *l. c. p. 125.*). Hoc *idem* colicam flatulentam pluries diſcuſſit (IDEM.). Noſtro vero tempore flores potiſſimum ob colorem grate purpureum, quem aquae item ſpiritui vini impertiunt, in pretio ſunt.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

SYRVPVS PAPAV. ERRATICI *Ph. W. p. 215. Ph. Lond. p. 81.* Infuſo florum additur ſaccharum. Gratia coloris commendabilis, ſed blandum inſuper anodynum (Conf. C. HOFFM. *med. offic. p. 529.*) et demulcens eſt. Mixturis igitur crebro additur.

TIN-

TINCTVRA *Ph. W. p. 224.* Est aquosa spiritumque vitrioli recipit. Hinc in febribus temperat, colore quoque recreat mixturis iulapiisque adfusa.

EXTRACTVM (*capitulorum immaturorum*) *Ph. Brunsuic. p. 256.* Aqua paratur.

261.

Pharm. PAPAVERIS NIGRI *Semina; Capitula.*
- - - - ALBI *Semina; Folia.*
Ex vtroque Papauere OPIVM.

Papauer somniferum; calycibus capsulisque glabris, foliis amplexicaulibus incisis LINN. *Spec. pl. p. 726. α*, Papauer hortense semine albo C. B. Icon: REGNAVLT *Botanique*, le Pavot blanc. *β*, Pap. hortense semine nigro C. B. Icon: REGNAVLT *l. c.* le Pavot noir. Μήκων Graecis. Pl. annua, teste LINNEO, in Europae australioris ruderatis (*Spec. pl. p. 726.*), item agris (EIVSD. (*Mat. med. n. 280.*) crescens. Dabo id fieri ex delapsis casu seminibus: Asiae autem calidioris veram incolam habeo. Colitur in Europae hortis ob varietatem coloris et plenitudinis florum, vti et ob semina; in orientalibus autem regionibus Opii praecipue causa.

SEMEN vtriusque exiguum, reniforme, vtrinque gibbum, rugosum, adeo numerosum, vt ex vna radice vnica aestate 32000 semina computarentur.

(LINN.

(LINN. *Phil. bot. p. 86.*). Nomen *albi* ferri quidem poteſt ob candorem ſeminis, ſed color in *nigro* potius coeruleo cinereus eſt. Haec ſemina, licet ex eadem theca, quae Opium erogat, proueniant, virtutis tamen vere ſomniferae expertia ſunt. Contrariam GALENI de largius ingeſto ſemine (*de aliment. facult. Lib. 1. cap. 31.* qui inde ſoporem adeo induci perhibet), BÖCLERI (in HERM. *Cynoſ. M. m. T. 1. p. 436.*) et IVNCKERI (*Therap. gener. p. 279.*) adſertionem cibarius vſus manifeſte euertit, antiquiſſimo iam tempore frequentatus. Τροφιμον itaque ab HIPPOCRATE (*de victus ratione Lib. 2.* FOES. *p. 357.*) vocatum. Vulgare epitheton Papaueris apud poetas fuit *cereale, item veſcum*, (VIRGIL. *Georg. Ed.* HEYN. *Lib. 1. p. 149. Lib. 4. p. 365.*). Ad panes adhibitum et melle mixtum pro eſca memoriae prodidit DIOSCORIDES (*Lib. 4. p. 65.*); condimenti autem inſtar panibus vtiliter inſpergi GALENVS (*l. c.*). Ita et Tridentinis (MATTHIOL. *Comment.* in DIOSC. *p. 764. Ed.* BAVH.), Aegyptiis (*Proſp.* ALP. in *Hiſt. nat. Aegypt. T. 1. p. 160. ſq.*), Perſis (CHARDIN *Voyage en Perſe T. 4. p. 32.*) eſculentum. Verum adhuc hodie copioſe in Polonia (GVETTARD *Mem. ſur differ. parties des ſc. et d. art. T. 1. p. CXIV.*), in Sileſia (TRALLES *de Opio T. 1. p. 13. ſq.*), in Bohemia et Morauia (WIEGANDS *Handbuch für d. Oeſterr. Landjugend*), vti et, quod certe ſcio, in Hungaria, nec

nec non in Italia, item Argentorati (GVETTARD *l. c.*) vel paſtae *inuolutum* vel placentulis extus inſperſum eſitatur. Ne vero cum cl. LE CLERC (*Hiſt. de la Medecine Lib. 3. c. 2.* in fine) exiſtimes, igne virus *diſperſum* fuiſſe: ſcias ſolum illud inſigni copia impune fuiſſe ingeſtum ad vncias, quin ad libram integram (ab ipſo SWIETENIO *Comm.* in BOERH. *T. 5. p. 110.*). Et idem accidit, qualecunque fuerit ſemen, ſiue album, ſiue nigrum (ALSTON in *med. Eſſays of Edinb. Vol. 5. p. 130.*). Nimirum ſemina inodora ſunt, blandi dulcisque ſaporis, vt in amygdalis, oleo ſimili innocuo ſcatentia. Emolliunt igitur, leniunt, *demulcent, ſtimulosque ad vigilias excitantes obuoluunt, nec alio nomine* anodyna in tuſſi, ſtranguria vel dyſuria, febribus dicenda, quam amygdalae dulces. Emulſionis forma, aſt raro ſola, ſed plerumque in miſcela cum cucurbitaceis ſeminibus vel amygdalis praecipiuntur.

Expreſſione vero ex eorum libra vna OLEI vnciae quatuor elicitae (SPIELM. *Chem. p. 84.*), quin alio experimento (BORRICH. *ſomnif. n. 20.*) ex vnciis ſedecim iſtorum huius vnciae nouem. Hoc ipſum iam MATTHIOLI (*l. c.*) tempore in Stiria et Auſtria continuo cibis additum, prout et in Gallia pereuntibus hieme a. 1710. Oleis, harum oleo eodem fine ſurrogatum fuit (GEOFFROY *Mat. med. Traité T. 4. p. 359.*). Loco butyri in Argouia adhibitum absque

noxa (WAGNERI *Hist. nat. Helu. p. 262.*). Nuperrime quoque in Gallia consilio cl. ROZIER permissum regno lucrum octodecim millionum iam attulit (V. EIVSD. *Observations sur la physique etc. 1776. in Aug.*). Sic et placentae post olei expressionem residuae, a pueris impune deuorantur (REICHARTS *Gartenschaz, T. 4. p. 92.*) et saginandis animalibus conducunt. Taceo vsum olei pictorium.

CAPSVLARVM s. CAPITVLORVM vero alia ratio est. Haec narcoticae omnino indolis, sauciata lac amarum virosi odoris emittunt, cuius vires paullo post explicabuntur. Recentia exsiccatis efficacia antecellunt. Ex siccis coctione cum aqua extractum parari potest ad $\frac{1}{5}$ vel $\frac{1}{6}$ partem ponderis, quod dupla quantitate effectus eosdem ac Opium praestare fertur, et pro praeparatione syrupi Papaueris, dum eiusdem grana duo pro vncia quauis syrupi adduntur, commendatur (ARNOT in *med. Essays of Edinb. Vol. 5. p. 105.*). In Persia haec vna cum seminibus decocta in thermopoliis bibuntur, in gratam inebriationem (CHARDIN *Voyage en Perse T. 4. p. 206.*). Veteres iis aqua coctis et melle dein mixtis instar eclegmatis vtebantur in tussi, catarrhis aliisque malis. Extrinsecus instar cataplasmatis ea admouerunt cum polenta locis inflammatis vel erysipelate correptis, vel cum foliis decocta, pro fotu ad somnum conciliandum (DIOSC. *l. c.*). Sed nostro tempore vix alii fini,

fini, quam syrupis variis inde parandis (de quibus postea) destinantur.

Maxime tamen omnium haec stirps ob OPIVM inclyta. *Hoc* nobis ex Persia, Arabia aliisque locis Asiae *calidioris*, vti et ex Aegypto, forma placentarum *rotundarum* complanatarum, vel alia magis irregulari forma instructarum, affertur, quae pondus vnciarum quatuor ad libram vnam vel *supra aequant*, et foliis Papaueris, Nicotianae vel aliorum vegetabilium partibus, praecipue autem Rumicis cuiusdam, item puluere vario ad cohaesionem impediendam tectae sunt. Quidam *Opium Thebaicum*, ex Aegypti regione ita dictum *praeferunt*, *quod epitheton et quibusdam praeparatis ex Opio* additur. Sed illud ex *orientalibus* regionibus eiusdem pretii, vt si hodie Thebaicum nomines, idem significet, ac electum (ALSTON *med. Essays Vol. 5. p. 133.*).

Est materia resinoso gummosa, coloris rubicundo-bruni, odoris virosi fortis, saporis primum nauseosi et amari, paullo post acris calidique, quo caloris sensu lingua palatum et labia vltra quindecim minuta temporis prima afficiuntur, et ipsae nares ita irritantur, vt in sternutationem propensio oriatur (ALSTON *l. c. p. 135.*). Colligi Opium ex eadem, quae in nostris hortis hospitatur planta, patet vel ex rudioribus illis veterum descriptionibus, et testimonio autoptarum recentium (vt cl. KERR in *med. Obs. and Inqu.*

Inqu. Vol. 5. p. 321.). Veteres (DIOSCORIDES *l. c.* PLINIVS *L. 20. cap. 18. Ed.* DALECH. *p. 961.*) duplicem ſuccum deſcribunt ex ſtirpe erutum et inſpiſſatum: alterum, quem *Opium* proprie vocant, inciſione capſularum elicitum; alterum, *Meconium* illis dictum, quem, contuſione capſularum et foliorum praegreſſa, prelo expreſſerunt, qui ipſe Opio ignauior ab iisdem declaratus. Indis prius nomine *Affion* venit, *Pouſt* vero illis eſt ſpecies vilior ex foliis et caulibus excocta, et ſolis dein ope indurata (BONTII *medicina Indor. p. 6.*), quae pauperum vnice in vſum cedit (BONT.). Dubitarunt quidam, an hodiernum in Europa venale Opium vere ex inciſis capſulis exundauerit, veterum potius Meconium eſſe arbitrantes, parciori, vt illis quidem viſum, prioris prouentu inducti. Inque hoc errore fuerunt LEMERY (*Dict. de drogues, Art. Opium*), LINDESTOLPE (*de venen. p. 588.*) DE LA CONDAMINE (*Mem. de l'Ac. R. d. ſc. 1739. p. 427.*), NEVMANNVS (*Lect. de Op. p. 104.*) aliique. Sed refellunt illum itineratores fide digni, GARCIAS AB HORTO (Arom. verſ. CLVS. *p. 22. ſq.*) BELON (*Obſervations en Grece etc. Lib. 3. c. 15. p. 404.*), KAEMPFER (*Am. exot. p. 642. ſq.*), alii, et recentiſſimus teſtis cl. KERR (*l. c. p. 317. ſqq.*). Imo ſunt, qui in Europa ſimili artificio, quod apud orientales gentes vſu venit, ex capſulis Opium elicuerunt, nec colore, ſapore, odore ab orientali diſcrepans, nec

nec viribus inferius. Experimenta eiusmodi in ſtituerunt cll. viri, FALK, Biblioth. Regius Stockholmiae et LINDESTOLPE (*De venen. p. 588.*) Carliſtadii, ALSTON (*med. Eſſays l. c. p. 166. ſq.*), qui drachmam vnam intra horam collegit (*l. c. p. 120.*), Edinburgi, CHARAS (*Pharm. p. 73.*) in Languedocia, Dux Aurelienſis (GVETTARD *Memoires ſur differentes parties des ſc. et des arts, Paris 1768. p. CXIII.*) Pariſiis, DILLENIVS (*Eph. n. C. cent. 9. et 10. Obſ. 43. p. 114.*), qui huius granum vnum pro doſi ſufficere obſeruauit et largam diapnoen excitare, Gieſſae, HALLERVS (*Hiſt. ſt. helv. n. 1065.*) Gottingae, TRALLES (*De Opio T. 1. p. 6. ad finem*) *in Sileſia. Multis momentis ab hoc differt extractum ſtirpis*, item ſuccus expreſſus condenſatus, ſcilicet vtrique ſapor et odor imbecillior eſt, color etiam compagesque diuerſa, minus etiam haec reſinae quam verum Opium continent (ALSTON in *Med. Eſſ. l. c. p. 119. ſq.*). Longe vero maiori lucro in orientalibus regionibus Opium verum eruitur. Soli enim et climatis benignitate et cultura accedente (V. KERR *l. c.*, qui eam deſcribit) aſſequitur ſubinde ſtirps magnitudinem quadraginta pedum in Perſia (CHARDIN *Voyage en Perſe T. 1. p. 31.*), et capſulae interdum in Arabia ad amplitudinem triginta quinque vnciarum capacem perueniunt (GARCIAS *loc. cit.*). Vt hae tanto magis grandeſcant et ſucco tanto vberius turgeant, in ramoſis plantis ſcite capitula

tula ſuperflua abſcindunt (KAEMPF. *Amoen. exot. p. 643.*). Multum et ad id conferre exiſtimo, quod plantis interſtitia latiora concedant (KERR *l. c.*). Perinde eſt virtutis reſpectu habito, ex nigro, an albo, Papauere colligatur (GARCIAS, BELON, KAEMPFER. Cfr. ALSTON *l. c.*). Colligendi vero ratio ſequens eſt. Capitulum ſemimaturum (KERR.) vel maturitati proximum (KAEMPFER.) veſperaſcente coelo ſauciatur inſtrumento peculiari plagis parallelis vel et ſeſe decuſſantibus ſurſum ductis, ea tantum profunditate, vt ne ad internum capſulae cauum penetrent. Cultello ad id vtuntur vel tribus (CHARDIN *loc. cit. p. 30.*) vel quinque apicibus parallelis inſtructo (KAEMPFER.). *Nouiſſime* deſcriptus conſtat ex laminis binis chalybeatis bicuſpidatis ſibimet oblique impoſitis, filo interpoſito diſtinctis, quibus altero extremo tranſmittitur anſa digito indici infigenda (Vid. *Fig.* cl. KERR in *med. Obſerv. and Inquir. l. c. Tab. 3.*). Lacteus ſuccus mox promanat, qui rore nocturno copia augetur. Poſtridie ineunte mane quod effluxit aëre condenſatum ſcalpro ferreo abſtergitur, et vaſculo terreo inditur. Vulneratio eiusdem capſulae quauis veſpera iteratur, donec ſex vel octo vulnera illi inflicta, quibus factis maturationi ſeminum fructus relinquitur. Quod collectum fuit Opium ſole ſplendente in vaſculo manu tractatur in iuſtam ſpiſſitudinem vel (prout

KAEM-

KAEMPFERVS *p. 643.*) indicat, pauxillo aquae humectatum ſpatha *lignea* ducitur et reducitur ſicque ſubactum in *placentas* formatur, vlterius exſiccandas. Docuit *et lucri* cupido varia corrumpendi illud artificia. Factum id fuit antiquitus (DIOSCORID.) addito ſucco Lactucae ſylueſtris (nonne Lactucae viroſae LINN.) vel Glaucii, et adhuc hodie fit adiecto ſtercore vaccino, extracto Papaueris coctione parato, vel aliis additis, quae arcani inſtar celant (KERR *l. c. p. 319.*). Tanto igitur magis noſtra intereſt, notas probi et integri Opii noſſe. Ab hoc requiritur, vt vniforme, laeue, tenax ſit, pondus conſtituat quoad molem ſuam *leuius*, *nullas interne ſordes prodat*, *diſſectum ſcintillas ſalis volatilis* oleoſi exhibeat, amaritie calore ac acrimonia emineat, empyreuma non ſpiret, candelae admotum mox ardeat, aqua omnino fere ſoluatur, ſolutum rubicundam tincturam praebeat (Conf. IONE'S *Myſteries of Opium revealed.*).

In analyſi chemica tradenda ea experimenta omitto, quae fortioris ignis tortura capta ſunt, quum nihil verae de Opii natura lucis accendant. Gummoſas vero reſinoſas terreasque partes facile eſt et absque vi eruere: ſed in proportione harum chemici variant. Ex vnciis Opii duodecim obtinuit ALSTONVS (*Med. Eſſays Vol. 5. p. 138.*) gummi vncias quinque, reſinae vncias quatuor; reliquae tres vnciae ex indiſſolubilibus partibus conſtiterunt. NEVMANNVS

(*Lect.*

(*Lect. de Opio p. 117.*) plus extracti resinosi quam gummosi Opio tribuit. Spiritus vini tenuior vtramque partem soluit. Tam arctus vero est vtriusque nexus, vt aqua et resinae partem, et spiritus vini rectificatissimus gummi bonam partem, abripiat. An vinculum hisce praebet sal quoddam acidae naturae (NEVMANN *l. c. p. 115. 116.*)? Memorabilis, praeter dictas partes, est materia oleosa, spumosa, pinguis et viscida, graueolens, superficiem aquae, si Opium infusione, digestione vel leui coctione soluitur, petens, cuius drachmas duas, tres vel nonnunquam plus vna libra Opii suppeditat (NEVMANN *l. c. p. 119.*). Sed omnium praecipua in Opio est volatilis et graueolens pars. Haec quidem *reliquis dictis vel maiori vel minori* copia adhaeret, nec ab hisce compedibus diremta seorsim seruari potest: effectus tamen multiplicis in corpore animali emergentis primariam causam continere, multis documentis euincitur. Huic adscribas, quod qui in colligendo Opio occupantur homines, luridi marcidi et tremuli compareant (CHARDIN *l. c. p. 32.*), et quod vel sola translatio Opio crudi recentioris in alia vasa mentis emotionem excitauerit, somno dimidiae horae dissipatam (LORRY in VANDERMONDE *Recueil period. T. 4. p. 70.*). Haec caloris ope sub varia encheiresi chemica vndique per auras dispersa vaporibus graueolentibus sese prodit. Tam ab aqua, quam spiritu vini destillatione abripitur, ita vt vtrumque

que liquidum Opii crudi vires exerceat. Diuturniori eius coctione, per diem vltraque protracta, auolat, ita vt et decrementum ad libram definiri possit, prout asseuerante BÜCHNERO (in *Diss. de genuinis Opii effectibus, resp.* SCHWARZ §. *36.*) vncia dimidia extracti aquosi per *triginta* sex horas cocta grana duodecim perdidit, et vires fere omnino sufflaminentur. Idque contingit, siue spirituosum extractum, quod alias altero efficacius est, siue aquosum, longiori coctione torqueas. Torrefaciendo Opium super lamina ferrea pariter sensim sua efficacia priuatur (Cfr. TRALLES *de Opio Sect. 1. cap. 3. p. 149. sqq.*). Aetate odor debilior fit visque simul minuitur (ALSTON *l. c. p. 146.*). Nec posset effectus Opii in corpore animali tam celer esse, nec tantus ab exigua mole, nec deseruere effectus diu ante, quam pilula opiata euomeretur, nisi dependeret a particulis subtilissimis, quae vim longe prius exerceant, quam Opium solutum massae sanguineae sese insinuare possit.

Quaenam Opii vsus in praxi medica habuerit initia, quos progressus, cll. LE CLERC (*Hist. de la Medecine p. 210. sq.*) ALSTON (*l. c.* inde a *p. 124.*) et TRALLES (*l. c.* inde a *p. 14.*) ex optimis fontibus et proprio iudicio egregie exposuerunt, et vberius, quam heic loci fieri possit. Contractiorem tamen historiam hic legere non pigebit. Vtrum Graecis an Aegyptiis gloria primum cognitae virtutis illius soporiferae debea-

tur, difficile eſt ad definiendum. Probabile autem Graecis deberi, et HIPPOCRATIS aeuo vel non multo ante fuiſſe detectam. Ipſe tamen, ſi Opium nouerit, adhibuiſſe illud vix videtur. Euidens etiam eſt, nomine μήκων, eum ſubinde purgantem plantam intellexiſſe, quae, quantum apparet, Peplus, Euphorbiae ſpecies, eſt, et vocem ὑπνικον in aliud quoque ſomniferum quadrare. Certe iis in caſibus, quibus iam Opium adhibetur, non in vſum ab eo tractum eſt, vt in doloribus, ſpaſmis, profluuiis conſopiendis. DIAGORAS, contemporaneus fere HIPPOCRATIS, nouit viſum obnubilare et ſomnum ciëre, indeque repudiandi illud argumentum cepit. Secta autem empirica de frequentiori vſu medico bene meruit. Ita SERAPIO ſaepe vſurpauit catapotia ex Opio et Hyoſcyamo. Et poſt eum demum HERACLIDES Tarentinus, qui variis vtebatur remediis, quae Opium comprehendebant. Dein poſt empiricorum tempora, quum medicina Graecorum Romam migraret, Opium iterum neglectum eſt, nec in merito pretio habitum. CELSVS nonniſi ſumma neceſſitate anodynis vti ſuadet. Poſt hunc DIOSCORIDES et GALENVS eius in ſcriptis ſuis crebro meminerunt. Poſterior tamen timidus in eo exhibendo fuit, et AËTIVS, TRALLIANVS, PAVLLVS aliique Graeci rariſſime Opium commendarunt. — Attamen antiquiſſima quaedam compoſita exſtant, quae Opium continent, vt Philonium, cuius

cuius inuentor PHILO eſt, cui GALENVS inter antidota primas *tribuit*; Mithridatum DAMOCRATIS, multis a PLINIO laudibus condecoratum; Theriaca ANDROMACHI, Archiatri Neronis; item Maſſa pilularum de Cynogloſſa, quae TRALLIANVM auctorem *habet*. Quum dein ſenſim medicina vna cum bonis litteris ad occaſum vergeret, reſuſcitarunt iterum Arabes, et inter hoſce RHASES, AVICENNA, AVENZOAR rel., meritam Opii exiſtimationem.

Inter Europaeos medicos, vacillante adhuc erga illud fiducia, THEOPHRASTVS PARACELSVS et verbis et felici artis exercitio illud commendauit. Dignior omnino imitatione *et efficacior eius praeco fuit* PLATERVS. *Quae inter Heluetos* parta gloria ad HALLERI et TISSOTI vsque tempora permanſit. Apud Belgas SYLVIVS ab HELMONTIO, praeceptore ſuo vel amore in Opium initiatus, tantum illi tribuit, vt cauillatores inde doctorem opiatum eum vocitarent, nec forſitan omni iniuria. Magis ideo profecit ſubſequo tempore BOERHAAVII moderatio, nec theoriarum fallaciis ſuperſtructa laudatio, cui ſubſcripſit SWIETENII, HAENII totque aliorum, qui ex eius ſchola egreſſi ſunt, auctoritas. In Germania poſt HORSTIVM, SENNERTI, WEDELII, LVDOVICI, ETTMÜLLERI, BOHNII, FR. HOFFMANNI, HEISTERI, WERLHOFII, TRALLESII rel. multorum nomina ſcriptaque illud ornarunt. Ho-

rumque virtute prouisum est, ne quid damni ex STAHLII eiusque assectae IVNCKERI de Opio vituperiis praxi medicae accederet. Nec potuit non ab Anglis, efficaciori medicina in vniuersum delectantibus, celebrari, inter quos SYDENHAMVS Laudano suo liquido praecipue fisus, praecedat, sed nominandi et MORTONVS, IONES, FREINDIVS, MEADIVS, YOVNGIVS, PRINGLEVS, WHYTTIVS, LINDIVS rel. tanquam celebriores Opii fautores, simulque fatendum est, Anglorum experientia multas Opii virtutes antea ignotas in nostram cognitionem primum peruenisse, vt in sequentibus abunde declarabitur. Ex Gallica gente HOLLERII, FERNELII, RIVERII, RONDELETII, item HECQVETI, modo eius audacia fidem non minuisset, LORRYI nomina huius loci sunt. Quid vero inter Suecos medicus solidior quiuis de Opio sentiat, propriam mentem interpretans, ill. A ROSENSTEIN (*Om Barnsjukdomar*, item *Hus- och Reseapoteque*) indicat.

Variant mirifice euentus experimentorum cum sanguine, cui Opium adiectum, factorum. In quibusdam Opio aqua soluto attenuatus et fluidior sanguis apparuit (SCHWENCKE *Haematol. p. 188.*). Animalia, quibus per venam Opium fuit iniectum, in hisce quoque visus est tenuis et rutilus (FREIND *Emmenol.* in *Oper. T. 1. p. 117. sq.*). ALSTONVS e contrario coagulari eo potius et spissari sanguinem arbitratur.

tratur. Lac, cui affusa erat Opii solutio aquosa, post aliquot dies grumosam partem deiecit, cremorem in superficie habuit, serum autem in medio. Sanguinis serum crassius albidum et nonnihil coagulatum euasit. Sanguis vero ipse mox albidum coagulum in fundum demisit, supernatans pars tenacior potius quam fluidior apparuit. Huc et in sententiae suae patrocinium trahit coagula sanguinis circa cor in cadaueribus animantium Opio enectorum (*Med. Essays l. c. p. 160. sq.*), prout et concreti sanguinis grumus ex sinu longitudinali canis extractus (MEAD *de venenis Oper. Gott. T. 2. p. 190.*). Quaecunque vero ab Opio in sanguinis crasi alteratio incidat: non apte satis, arbitror, mutationes in quiescente vel necati copia Opii animalis sanguine obuias applicari ad sanguinem animalis vel hominis viui, largius etsi Opium ingerentis. Etenim animalia per plures hebdomades admista larga copia Opii nutrita, nihil in consistentia sanguinis alieni habuere; et femina post multorum annorum spatium, quo Tincturam Thebaicam abundanter ceperat, vena secta sanguinem saniſſimo similem prodidit (LETTSOM's *med. Memoirs p. 124. sq.*). — Carni additum eam contra putredinem munit, imo longe efficacius quam sal marinum (PRINGLE *Dis. of the army, App. Experim. 10. n. 2.*), sed debilius, quam cortex Peruuianus (*Essay sur la Putrefaction p. 390. sq. 447. sq.*). Vtue vero inde colligas, in

corpore humano viuo idem contingere: mentio facienda eſt cadaueris iuuenis, quod, ex drachma vna Opii ingeſta, paullo poſt mortem tumoribus liuidis artuum, corruptela omnium liquidorum et intolerabili foetore, putredinem enatum manifeſtauit (*Mem. de l'Ac. R. d. ſc.* apud TRALLES, *l. c. Sect. 2. p. 182.*).

In brutis, ſi quod vllum aliud remedium, hoc certe creberrima experimenta ſubiit, quorum praeſertim illa ALSTONI (*Med. Eſſays Vol. 5. p. 152. ſqq. Art. 7.*) WHYTTII (*Works p. 307. ſqq.*) ALEX. MONROI iun. (*Eſſays et Obſerv. phyſ. and liter. T. 3. p. 297. ſq.*) LORRYI (in VANDERM. *Recueil period. T. 4. p. 68. ſq.*), SPRÖGELII (*Diſſ. exper. circa venena p. 28. ſqq.*). WIRTENSOHNII (*Diſſ. Opium vires fibrarum cordis debilitare etc. p. II. ſqq.*) BASSIANI CARMINATI (*de animalium ex mephitibus et noxiis halitibus interitu pag. 132. ſqq. 1777.*) memoranda. Nec negandum, multas inde veritates, quoad partem valde ingenioſe de eius natura nouiter erutas, alias in exercitio artis etiam obuias magis fuiſſe confirmatas. Conſtitit inde, quinam effectus ex nimia doſi ſeſe efferant, quos nonniſi infortunio apud homines obſeruare datur; quodnam praeparati genus alterum efficacia ſuperet; deleri neruorum ſenſilitatem, motusque in muſculis poteſtatem, ſiue ingeratur per os Opium, ſiue per anum vel vulnus in cauum aliquod corporis immittatur, ſiue extrinſecus fluida forma applicetur.

Con-

Conſtitit Opio dato copiam bilis praeter modum augeri, ſecundum experimentum cl. KAAVW BOERHAAVE (*Impet. fac. dict. Hipp. §. 434.*) in cane, in cuius duodeno multa bilis poſtea inuenta, turgente ſimul bile veſicula fellea et ductu choledocho, et ſecundum experimenta cl. COTVNNII (*de Iſch. neruoſa §. 43.*) in coturnicibus. Canes vero maiorem longe quantitatem Opii ferunt, quam alia animalia, antequam afficiantur, quin variis etſi ſymptomatibus grauioribus correpti, mortis tamen ſubiude periculum eluctantur (HALL. *Elem. Phyſiol. T. 5. p. 609.* item LORRY *l. c. p. 77.*). Alia experimenta ſubtiliora quaedam argumenta extricanda pro ſcopo habuerunt, quorſum quaeſtio pertinet, vtrum Opium neruis vnice et quomodo vim ſuam imprimat, an et intrando ſanguinis maſſam operetur, porro vt potentia Opii in viribus cordis definiatur. Qui ſenſum, prout Opium obtundit, ita et cordis vim frangere, ex ictuum eius paucitate vel debili ſiue deleta contractione colligunt, vt ill. WHYTT, prouocant praecipue ad ranas, quarum cordi intra apertum thoracem adhuc relicto circumfuderunt Opium ſolutum, vel per apertam in vicinia eius venam illud immiſerunt (vt ALEX. MONRO *l. c. Exp. 13. p. 330.*), vel per diſſectum abdomen Opium applicarunt. Sed ſcitiſſime et veriſſime regeſſit magnus HALLERVS (*Element. Phyſiol. T. 5. p. 609.* item in *Comment. nov. Götting. T. 7. p. 3.*), difficilli-

mum esse portionem debilitationis animalculi distinguere, quae Opio debetur, ab ea portione, quae violentiae vulneris, alioquin funesti futuri, debetur. Pugnant, contra Whyttiana experimenta, ista cl. CARMINATI (*l. c. Lib. 3. pag. 139. sqq.*) in ranis, quibus per os Opium intrusum fuit. Nam in hisce, dum adhuc viuerent, incisis cordis motus aequabilior et fortior fuit, quam vnquam iisdem illaesis; et tam in ranis quam in aliis quibusdam animalibus motus cordis continuauit, quum musculi et intestina iam dudum motus potestate orbata existerent. Haecce optime conueniunt cum praeuiis ill. HALLERI obseruationibus (in *Comment. Gotting. T. 2. p. 147.* item *Element. Physiol. l. c.*), et nouum fulcrum eius sententiae subdunt, quod Opium, dum sensum neruorum debilitat, vna simulque cordis motum excitet.

Quanta sit vis consuetudinis in naturae legibus euertendis, vix alio exemplo manifestius redditur, quam Opio. Hoc enim Persis, Arabibus aliisque Asiae populis, vti et Africae, praecipue iis, quos Mahumedis religio tenet, vini vsum interdicens, in quotidianum delicium cedit. A magnitudine capitis acus incipientes sensim ascendunt dosi, donec portionem pisi magnitudinis ferant (CHARDIN *Voyages T. 4. p. 203.*). Sunt tamen inter orientales gentes, qui drachmam integram (BELON *Observ. p. 404.* KAEMPF. *Amoen. exot.*

p.

p. 644.), imo tres (ALPIN. *Med. Aegypt. p. 255.*) impune ingerunt. Maxima quantitas memoriae prodita eſt ſtupenda iſta drachmarum decem maiorque, quam homo quidam ſingulis diebus ingeſſit (GARCIAS AB HORTO *l. c. p. 22.*). Mora aliqua poſt (horam ſignificat CHARDIN *l. c. Vol. 4. p. 204.*) captum Opium, hi ipſi hilaritatis ſenſu afficiuntur gratiſſimo, ad omnia munia aptiores ſeſe exiſtimant, quidam inebriati in nugas et petulantiam erumpunt, imagines gratas varias obuerſantes oculis mente concipiunt, omnem mortis timorem deponunt, ferociores ad pugnas ſubeundas euadunt, nec minori impetu ad veneris caſtra ſequenda *pelluntur. Deferueſcit autem intra quatuor vel quinque horas* haec virtus (CHARDIN *l. c.*) citius ſerius pro copia ingeſta, hancque excipit languor, moroſitas, faſtidium omnium, ſomnolentia, donec redeant ad priſtinum ſuum delicium. Quod ſucceſſu temporis res tantae neceſſitatis fit, vt Opii defectus ipſam adeo mortem poſt ſe traxerit (HASSELQVIST's *Reſa p. 183. ſq.*). Ex largiori tamen diuque continuato Opii vſu multa mala enaſcuntur, emaciatur corpus, vires conteruntur, taciturni, triſtes, ſtupidi, ſomnolenti ſedent, nec vix in publicum locum prodire audent, niſi viribus noui Opii portione reſtauratis (CHARDIN, KAEMPFER, item KERR in *med. Obſerv. and Inquir. T. 5. p. 320.*). Moderatiores tamen hodie Arabes ſunt in ingerendo

Opio, quam olim, ita vt celmo NIEBVHR nulla abusus documenta occurrerint, an quod spiritus vini destillatio sensim magis, etsi clam, inualuerit (V. EIVS *Beschreibung v. Arabien p. 57.*)? Chinensibus haud mediocrem voluptatem parit, fumum Nicotianae Opio mistae haurire (KERR *l. c. p. 321.*).

Inter ista igitur consuetudinis blandimenta, narcotica tamen Opii natura vim valetudini inferens satis superque elucet. Hisce si addis, inassuetis exigua adeo dosi nocere posse, maiori necem inferre: venenis annumerare illud licet, tanto magis timendum, quum sub specie salutaris effectus lento damno infestum sit (YOVNG *Treatise on Opium, Pref. p. 6.*). Desiit tamen nostro praeprimis aeuo veneni nomen terribile esse, et multa, quae deleteria vnice olim habita, hodie tanquam dona pretiosissima in vindicias sanitatis diuinitus data veneramur. Horum e numero omnino Opium est, modo in conditionum diiudicatione non hallucinemur. Nec nimium est SYDENHAMI (*Oper. p. 186.*) de Opio iudicium, sine illo in hominis periti manu mancam esse et claudicare medicinam, quum pluribus malis debellandis par sit, quam quis ab vno remedio facile sperauerit.

Ad vires Opii in numerosis istis et grauissimis morbis intelligendas et nouas contra alia mala explorandas, effectus eiusdem generales praemittere quam maxime iuuat. Hi, vtut multiplices, duplicem tamen

men Opii potentiam ſpectant, alteram, qua ſtimulum exercet, alteram, qua ſenſum obtundit, motusque fibrarum pacat. Praecedit illa plerumque hanc poſterius dictam. Attamen pro natura morbi, et pro diuerſa Opii doſi, altera virtus prae altera magis ſeſe effert. Rationes horum aſſertorum ex ſequentibus ſatis eluceſcent. Duplex iſta Opii facultas anſam olim litigandi praebuit, Opium frigus corpori afferret, vt GALENVS ſenſit, an contra, vt HELMONTIVS et ſecta chemica voluerunt, naturae eſſet calidae. A qua controuerſia non multum differt recentius iſta mota, an ne Opium, prout nerui ſenſum obtundit, ita et ſanguinis motum *frangeret, an e contrario ab* Opio *ſanguinis motus concitaretur.* Vtramque ſententiam conciliari poſſe experientia in hominibus, iisque aegrotis capta, arbitror, quae omnino plus ponderis habet, quam ſcrutinia in ranis aliisque animalibus inſtituta, vnde et haecce ſeparatim ſignificaui. Eadem duplex vis, ſuapte natura diuerſa, aliis ſtirpibus quibusdam ineſt, quae acre virus cum ſtupefaciente coniunctum habent, vt Cicutae viroſae (Vid. *Appar. medic. T. 1. p. 273. ſq.*), Belladonnae (*l. c. p. 431. ſq.*), Stramonio (*l. c. p. 461. ſq.*), licet omnino quaedam Opio competant, ab hiſce et affinibus diuerſa. Ad vtrumque effectuum genus ſeorſim cognoſcendum aptiſſima mihi videtur, inter aroma quoddam fortius vel vinum et plumbum, comparatio.

Cor-

Cordis motum Opio incitari et consequenter circuitum sanguinis eodem, cum fortiori impulsu, accelerari, ex sapore acri calido coniicere iam datur, luculentius vero arteriarum ictibus velocioribus et durioribus et amplioribus, et sequelis inde oriundis, cognoscitur. Quum pulsuum frequentia obseruationibus in hominibus aestimari facile posse videatur: dolendum maxime, quod hae ipsae tantopere inter sese discrepent. In homine scilicet ex nimia Opii dosi conuulso pulsus vna cum respiratione valde lentus fuit. (MVZELL's *Wahrnehm. P. 2. p. 131.*). Quidam (SAM. BARD in *Diss. de viribus Opii, Edinb. 1765.* V. censura in *Gött. Anz. 1769. p. 1367.* et cel. TODE *med. chir. Bibl. T. 4. p. 247.*) ex sesquialtero Opii grano ingesto arteriae ictus a 71. post horam vnam ad 69. et post horas quatuor ad 57. in minuto temporis primo decreuisse in se notauit, et alio tempore a 70 ad 62. Similis fuit euentus in amicis auctoris, qui eadem experimenta subierunt; quorum tamen vnus Opio vesperi sumto mane 30 ictibus auctam fuisse celeritatem arteriarum intra minutum pr. obseruauit. Non capio igitur, quo iure alius (WIRTENSOHN *Diss. cit.*), licet in semetipso et amico granum vnum Opii pulsus 76 et 71 post minuta pr. nouem ad 86 vel 84 attolleret, vel in ranis, quarum cor relictum in suo cum neruis et vasis nexu, hoc ipsum Opio velocius sese motitaret, fibras cordis debilitari Opio concludat.

Addo

Addo vnice exemplum ſummi HALLERI (*Comment. Gott. nov. T. 7. p. 13.*) qui, poſtquam ob longum et doloroſum morbum Laudanum liquidum larga quantitate in clyſmate iniici ſibi curaſſet, pulſuum 75 vel 80 numerum (is enim mane fuit), binis poſt applicationem horis ad 86, et plures a paſtu, imo, ſi conſtipata eſſet aluus, ad 100 aſcendere ſenſit. In hiſce porro, quorum pulſus per excretiones nimias valdopere torpuit, fortiorem illum et celeriorem ex Opio ſe animaduertiſſe ſemper alius vir grauis teſtatur (TRALLES *l. c. Sect. 1. p. 64.*). Ob hanc vires vitales ſeruandi et augendi poteſtatem ad efficaciſſima cardiaca, tam ab eo (*l. c. et* EIVSD. *Diſquiſitio de vi Opii cardiaca 1772.*) quam aliis multis refertur. — Quod vero tot alii langueſcere numero et vi cordis motus ſtatuant, vel inde prouenit, quod palparent arteriam, quum iam deferuiſſet cordis impetus, huncque ſolitus eiusdem languor excepiſſet, qui ipſe tanto intenſior ſit neceſſe eſt, quo maior copia Opii antea corpus intrauerit; vel et quod Opium appropinquante morte datum fuerit, quo ſtadio ſponte ſua pulſus rarus debilisque exiſtit; vnde et pulſus debilior ab Opio ſumto mortis ſignum habitum (WALDSCHMIDT *inuent. circa Opium*). Manifeſtum autem eſt vna cum velocitate pulſuum arteriam magis ab Opio expandi (BORDEV in *Recherches ſur le Pouls T. 2. Ed. 2. p. 107. ſqq.*).

Cita-

Citatior hicce ſanguinis circuitus non poteſt non caloris augmentum creare. Idque vere contingere et ſenſu caloris, quem ipſi homines indicant, et ſiccitate linguae fauciumque ſiti et ſaturatiori emiſſi lotii colore, extra dubium ponitur. Calore rarefit ſanguis, ſaltim dum adhuc ille perdurat, vnde turgeſcunt vaſa. Ab vtraque cauſa rubedo et intumeſcentia enaſcitur faciei, grauitas capitis, vertigo, tinnitus aurium, et accumulatio ſanguinis in cerebro, vt in enectis Opio obſeruatur. Et vtrique iunctim tribuas celeriorem ſimulque difficiliorem reſpirationem. Fuit tamen caſus, in quo, Opio licet largius ingeſto, reſpiratio non labefactata apparuit (LETTSOM's *medical Memoirs p. 150.*). Gentes orientales ad exhilarandum animum et conciliandam ſibi audaciam ingerere Opium ſupra indicatum: ſed pari ſucceſſu aegris exhibetur, vt tranquilla et hilaris reddatur mens; vnde et quidam, timoris abiiciendi cauſa, ante encheireſes chirurgicas difficiliores, Opii vſum commendant. Maiori vero copia inebriat Opium, imo deliria vel inſaniam parit. Alius accelerati ſanguinis rurſus effectus eſt excitatus vel auctus ad venerem ſtimulus cum tentigine, qui tantus eſt, vt nec ſenes ab hiſce deliciis alieniſſimi (HALL. in *Comment. Gött. nov. l. c. p. 16.*) excludantur, et erectio penis etiam in trucidatis militibus Turcis poſt praelia perſtiterit (*Eph. N. C. Dec. 1. Ann. 2. Obſ. 69. p. 127.*), et noctu pollutiones

ſub

ſub imaginibus *laſciuis* inſequutae (TRALLES *l. c. Sect. 1. p. 131.*). Nimia contra doſis ad venereum exercitium ineptos viros reddit (GARCIAS AB HORTO *l. c. p. 22.* STALPART VAN D. WIEL *Obſerv. Cent. 2. n. 41.* a drachma dimidia Opii.).

Mirum ſane, quod idem remedium, quod viribus vitalibus tantum calcar ſubdit, neruorum tamen ſenſum et irritabilem fibrarum muſcularium vim infringere quin ſufflaminare poſſit, et quod ſaepe vno eodemque tempore vterque effectus ſeſe exſerat. Imminutio vel iactura ſenſus ſeſe extendit ad vniuerſum neruorum imperium, ita vt tactus, viſus, olfactus inde ſublati *exempla legantur. Animalia, quibus Opium vberius intruditur* vel in venas transfunditur, ſenſu eousque orbantur, vt partes diſcindi poſſint, lacerari, vellicari, alias valde ſenſiles, absque vlla doloris ſignificatione (V. SPRÖGEL *Exper. circa venena* §. 20.). In ſolatium vero ſummum experiuntur hanc virtutem in morbis, qui dolorum tormentis adflicti ſunt. — Quod irritabilis muſculorum natura labem ex Opio contrahat, patet ex abolito ventriculi et inteſtinorum motu periſtaltico apud animalia (vt etiam expertus eſt cl. IO. VIVENTIVS in HALL. *Epiſt. Vol. 5. p. 75.*), ex paralyſi crurum, vel tremoribus, quibus iſta afficiuntur (V. e. gr. experimenta SPRÖGEL. WHYTT. ALSTON.), et ſimilibus in hominibus phaenomenis. Hinc iſta in hiſce iridis ad candelam ante

ocu-

oculos retentam immobilitas, flatus in ventriculo et inteſtinis collecti, appetitus cibi potusque proſtratio, vomitoriorum etiamſi fortiorum inertia, torpor ad motum, ſpaſmorum et conuulſionum reſolutio, hinc et ſine dubio alui tarditas Opio vtentibus adeo moleſta, et excretionum feroſarum per lotii vias vel glandulas ſaliuales, item muci ex naribus et larynge (HALLERI hiſtoria proprii morbi in *Comm. Gott. nov.*) cohibitio. Tanto vegetius autem diaphoreſis vel ſudoris eruptio ſuccedit etiam a paruis doſibus, (ſiue hoc contingat a paralytica cutis relaxatione, ſiue ab impulſu cordis nimio) ita, vt et ſaepe ſudor Opium redoleat (vt in HALLERO) et pruritus cutis cum exanthemate comitem ſe adiungat. Non minus vero vis ſedatiua Opii cerebrum ipſum petit, quam altera ſtimulans, vt ad effectus conſuetos ſomnus inſequens ſit referendus, qui tamen ſaepe inſomniis mox gratis mox terrificis turbatur, et ex iuſto maiori doſi vel frequentioribus praebiis facile in ſoporem degenerat, quin in apoplecticam mortem in conuulſionum ſodalitio. — Addi debet languor iſte, diſplicentia rerum circumſtantium, et ſomnolentia, quae ſolet incidere, poſtquam Opii vis deferbuit (quod in HALLERO poſt horam circiter 26. accidit; *Comment. Gött. nov. l. c. p. 12.*) et fatuitas iſta, ſtupor, triſtitia, memoriae labes, in quam orientales gentes protractiori et copioſo Opii vſu ſenſim tranſeunt, haud ſine praematura morte.

morte. Haec omnia obſeruationibus et experimentis indubiis creberrime factis nituntur, quae vero ad ſingula quaeuis momenta citare, ne acta agerem, neglexi, quum in plerisque huius rei momentis ſatisfecerit ill. TRALLESII (*de Opio Sect. 1.* inde a *p. 56.*) et ill. HALLERI (*Element. Phyſ. T. 5. p. 606. ſq.*) ſollertia.

Et multi horum effectuum ſeſe exſerunt non ſolum Opio per os ingeſto, ſed eodem cuti admoto (LORRY in *Recueil period. 1756. p. 74.*), prout emplaſtrum opiatum largum temporibus applicatum furorem ſpaſmosque oris creauit, (Cfr. MONRO iun. in *Eſſays et Obſerv. phyſ. et lit. Vol. 3. p. 297. ſq.*), vel Opio apud animalia in abdomen ſiue telam celluloſam, (LORRY, MONRO) vel venam apertam iniecto, item eodem naribus intruſo, vel fumi inſtar cum Nicotiana hauſto (V. ſupra *p. 234.*), item in clyſmate (Experimenta WHYTTII et MONROI *n. 3. 4.* in ranis, LORRYI *l. c. p. 77.* in cane), quo adminiculo in praxi medica non raro corpus humanum intrat. Velocius tamen et efficacius effectum ſuum eadem doſi Opium interne ſumtum praeſtat, quam extrinſecus cuti applicatum (MONRO *l. c. p. 306.*). Nec reticendum, Opium neruo immediate admotum ſenſu eum non priuare (MONRO *l. c. p. 327. Exper. 12. ſq.*), quin adeo, de quo infra pluribus, dolorem augere. Contra ea muſculo admotum irritabilem vim eius paullo poſt deſtruit (MONRO *l. c. Exper. 6. p. 309.*).

Multa omnino momenta sunt, in quibus Opium cum vino aliisue spirituosis conueniat. BOERHAAVIVS (*Hist. plant. p. 362.*) ideo eadem illud exigua dosi, quod hoc magna efficere sibi persuasit. Huicque analogiae etiam subscripserunt HALLERVS, ALSTONVS, TRALLESIVS, LVDWIGIVS (*Aduers. med. pract. Vol. I. P. 3. p. 510. sq.*) pluresque alii. Vinum pariter mentem exhilarat, sanguinis motum accelerat, calorem corporis auget, vasa expandit, ad venerem sollicitat, sudorem pellit, vltra modum ingestum inebriat, deliria, somnolentiam, soporem, stupiditatem, artuum languorem parit, quin apoplexiam post se trahit. Eadem iactura virium ventriculi et reliqui corporis, efficacia vini discussa, superstes est, et eadem bibonibus ad redintegrandas vires redeundi ad pristinum suum solatium necessitas. Nec Opii defectum in gentibus illo abutentibus aliud aeque apte ac vinum (ACOSTA *Droghe medicinali p. 317.*), vel quod adhuc praestat vinum aromate stimulatum (ALPIN. *l. c. p. 256.*), supplet. — Nihilominus vereor, ne isti inter Opium et spirituosa cognationi iusto plus tributum fuerit. Nam non apparet ex spirituosis ista excretiones varias supprimendi efficacia, et licet omnino in pedibus reliquisque partibus musculosis aliquid paralytici sese ex spirituosis nimium potis manifestet, dubito tamen, an vere irritabili sua natura iisdem priuentur, donec experimenta id edoceant.

Nec

Nec haec, salua mente, doloris sensum, instar Opii, sedare queunt. Recensetur et maniaci exemplum, per Opii vsum in summum furorem delapsi, cui contra ea vinum quietem conciliauit (LORRY in *Rec. period. l. c. p. 73.*).

Haud ignobilis quaestio est, Opium vim suam vnice exserat extrema neruorum eius, cui applicatur, loci deinque per communionem ipsum cerebrum afficiendo, an potius nonnisi vel integre vel quoad partem in sanguinem resorptum humoribusque mistum virtutem praestet. Celeritas effectus et exigua, qua hunc exhibet, dosis prius videtur extra dubium ponere; nam *subinde pilula Opii post plures horas, dum iam voto satisfecerit, vomitu nondum soluta excutitur*, absque decremento ponderis notabili; prout in cane drachma dimidia in pilulam formata post somnum sex horarum vix grani iacturam fecerat, quod incisione sopiti animalis constitit (KAAV BOERHAAVE *impet. fac. p. 407.*). Et nouimus, colluuie in primis viis *stabulante*, cephalalgiam diriſſimam, *deliria*, furorem, somnolentiam rel. haud raro enasci, quae vero mala fomite per vomitorium electo mox disparent. Experimentis ingeniosis rem euincere voluit WHYTTIVS (*Works p. 310. sq.*); nempe euulso ranis corde aeque cito vidit sensus motusque facultatem ex Opio perire, ac eo relicto, abscisso contra iis capite et medulla spinali destructa, languidius Opii duplicem istam vim

contingere. Contrarius vero euentus in corde euulso obtigit MONROO (*l. c. p. 321.*), ita vt separato corde impressionem Opii etiam in neruos difficiliorem reddi cognosceret. Quod in venas eiusdem infusione eadem phaenomena emergant, ac alia applicatione, a contactu neruorum, quorum extrema in cauis vasorum reperiuntur, repetendum esse videtur. Ita poterant conuulsiones in parte enasci, etsi huius nerui vel in origine vel progressu suo discissi fuerant, sola Opii translatione in sanguinem (MONRO *l. c. Exp. 14. p. 334.*). Laqueorum neruorum circa arterias constrictione explosa istorum in hasce imperium tenebris spissis *offunditur: nihil tamen prohibet*, quin et pars Opii, vtpote acris et *halitus edentis corporis*, largius ingesti vel applicati ab ostiis vasculorum inhalantium resorbeatur, et vel vasorum sanguiferorum neruos afficiendo mutationes in primo contactus loco factas vlterius hic imprimat, vel ad cor cum sanguine delatum hoc ipsum immediate stimulet, item crasin sanguinis mutet, et in vltima adeo eius colatoria pertingat. Certe resolutio sanguinis putrida in cadauere hominis nimia Opii copia enecti (V. supra p. *230.*) et odor sudoris virosus, item lotii, (IONE'S *Mysteries of Opium cap. 12. p. 93. sq.*), probant, Opium per os ingestum non vnice inter primas vias coërceri.

Subsunt vero subinde quaedam corporis conditiones, quae salutiferum alias Opium in timendum vene-

venenum vertunt. Si ingeritur pleno ventre, nauſeam initio creat, quae pergit, donec vna cum contentis ventriculi vomitu excutiatur. Nocet, ſi primae viae ſordibus ſcatent, vt quas retinet, vnde acrimonia ſua irritant et febrem vel accendunt, vel augent (YOVNG *on Opium p.35.*). Liquet inde, quantum officiat, ingeſto emetico vel purgante acri motus effraenos Opio ſopire velle. Abeſſe etiam debet plethora ob ſtimulantem calidamque Opii naturam. Eaque de cauſa cauere ab eo in inflammatoriis morbis plerique practici cautiores neruoſe iniungunt (e. g. L. B. VAN SWIETEN *Comment. T.1. p.372.* YOVNG *on Opium p.140. ſq.* TRALLES *de Opio Sect. 2. p.80.*): laxari vero et poſſe et debere hanc admonitionem ſub quibusdam conditionibus infra docebitur. In debilitate praeterea ſyſtematis neruoſi nimia prouide eſt vſurpandum; vnde in iactura virium poſt exinanitionem vaſorum inſignem praegreſſam, v. c. haemorrhagiam (LVDWIG *Aduerſ. Vol.1. Sect.3. p.516.*) non confert. Diſſuadet etiam Opium excretio quaedam critica ingruens, vt diarrhoea critica, ptyaliſmus vel diureſis. Quoniam inſuper Opium aluum ſtringit, eo continuato clyſmatibus vel catharticis opus eſt, vt haec aperta ſeruetur.

Iam ad varios iſtos morbos tranſeundum, quibus auxilium Opium affert. In hiſce nominatim virtutis eius ſomnum inducendi, dolores mitigandi,

ſpaſmos delendi, et excretiones omnes nimias, praeter ſudorem, ſiſtendi ratio habenda eſt. Latus igitur tam acutorum quam chronicorum morborum patet campus, in quibus ob horum vitiorum aliquod Opii exhibendi neceſſitas ſubeſt.

In febribus acutis continuis generatim, vtrum Opium conferat, an noceat, conſtitui non poteſt, quum ſua natura multis modis differant, item pro ſtadiorum diuerſitate effectus non variare non poſſit. Prouide tamen et circumſpecte in hiſce omnibus adhibere, et ratio et experientia nos iubet. Veteres vſum Opii ad chronicos vnice morbos reſtrinxerunt. Sed a recentioribus ſeculo potiſſimum ſuperiori vſurpari coepit, naſcente malignitatis in morbis idea, quod vitium alexipharmacis et bezoardicis ſubigere et eliminare conati ſunt, in quorum miſcela ſemper fere Opium delituit. Alii efferueſcentiam, quam ſibi in febribus finxerunt, compeſcere eodem ſtudueruntt (V. TRALLES *l. c. Sect. 2. p. 173. ſqq.*). Meum non eſt, horum cauſas agere, vt qui refrigerantis et motus febriles ſedantis virtutis opinione, quam perperam de Opio ſibi conceperunt, occoecati fuerunt, vel ſudoriferae eiusdem vi nimium dederunt. Praeter rem in hiſce datum non poteſt non, accelerando circuitum ſanguinis eumque vna cum vaſis expandendo, effraenos, qui ſponte iam adſunt, motus augere, et ſtagnationes tam nouo impulſu quam exſiccante

cante ſua et liquida per ſudores abliguriente potentia gignere, iamque natas magis compingere. Ita coctiones criſesque turbantur, ſymptomata bene multa intenduntur, et exanthemata varia, petechialia, erysipelacea, phlegmonica pullulant. In putridis et biliosis febribus nocet tanto certius, quum corruptelam humorum augeat, et euacuationes requiſitas per aluum ſiſtat. Febris neruoſa ob virium diſpendium non facile Opium admittit, et exigua huius doſis in iſta ſedatiuam ſuam vim iam declarat (HVXHAM *Oper. Ed.* REICH. *T. 2. p. 84.*).

Peruigilia, dolores et excretiones nimiae vulgatiſſima in febribus ſymptomata ſunt, quarum de cauſa hodie ad Opium confugitur. Sed cum tot aliis et ipſe pluries expertus ſum, in peruigiliis diu protractis ſaepiſſime nos ſcopo excidere, et vel nullum ſomnum vel ſomniis turbatum vigiliisque interpellatum, quin maiorem laſſitudinem poſtea relinquentem, eſſe inſequutum. — Par doloris febrilis eſt ratio, increſcit hic ſaepe Opio dato, ceſſat vero cauſa febris ipſa ſublata. In hominibus tamen ſenſili et irritabili nimium corpore inſtructis, vt hypochondriacis et hyſtericis, vt in quibus ſaepe ſpaſticis ſtricturis haec duo mala originem ſuam tribuunt, remiſſius de noxa Opii ſentiendum, non neglectis tamen venae ſectione et euacuantibus praeuiis. — Indigent etiam ſubinde alui deiectiones, ante tempus criſeos absque fomite pri-

marum viarum incidentes eodem auxilio, ne peruertatur decurſus febris, vires ſufflaminentur, vel exanthema, quod criſin conſtituit, cohibeatur vel retrahatur. — Inſtar cardiaci ſaepius profuit verſus vigorem febris, quando vires diuturnitate febris, peruigiliis, doloribus, excretionibus copioſis conſumtae valde fuerunt (YOVNG *l. c. p. 162.*).

De adminiſtratione Opii in inflammatoriis febribus ſeparatim hic agere conuenit, idque vel ideo, quod nouiſſimo tempore priſtina eius commendatio aucto ſtrepitu reſonet. Officere in inflammationibus internis plures fama et experientia conſpicui viri nobis reliquerunt (e. c. v. SWIETEN *Comment. T. 1. p. 372.* YOVNG *on Opium p. 140. ſq.* TRALLES *de Opio Sect. 2. p. 80.*). Argumenta vituperationis deſumta ſunt a damno ex motu ſanguinis Opio accelerato, ſtaſeos augmento, ſudoris intempeſtiua excitatione, morbi ex ſomno quin naturali exaſperatione, et pergente cauſae inflammationis deſtruendi vi, etiamſi dolor, contra quem praecipue Opium dirigitur, ſopiatur. Generalis igitur normae inſtar inculcat heic Anglus celebris (PRINGLE *Diſeaſ. of the army p. 264.*) abſtinentiam ab Opio, in quod dolorum vehementia diarrhoea et inquietudo aegri iuniores medicos tam facile alliciat, nec illud, niſi plurimis inflammationis ſignis iam ſublatis, capite libero et poſt peruigilia nimis protracta concedit. Sunt tamen, qui primum inflammationis

ſta-

ſtadium in irritamento quodam, quod doloris vehementia declaratur et ab hoc dependente ſpaſmo vaſorum et agitatione praeternaturali liquidorum collocant. Hunc ſtimulum ſi tempeſtiue Opio infringas, tollas, inquiunt, alteri ſtadio, quod inſpiſſatione et ſtagnatione liquidorum continetur, praeuertitur. Ita SARCONE, vir alias grauis iudicio et experientia (*Geſchichte d. Krankh. in Neapel T. 1.* inde a *p. 141.*), ad pleuritidem ſermonem reſtringens; ita generatim de quauis inflammatione loquentes REMMETT (*Diſſ. de Opii vſu in morbis inflammatoriis*, recenſ. in *med. Comment. of Edinb. Vol. 2. p. 19. ſqq.*) WIRTENSOHN (*Diſſ. Opium vires fibrarum etc. p. 32.*) et nouiſſime cl. HAASE (*Diſſ. de vſu Opii ſalubri et noxio in morbis inflammatoriis Diſſert. 1. p. 23. Lipſ. 1777.*) alii. Quod ad pleuritidem ſpeciatim attinet, praeconum Opii inſignis copia exſtat (V. TRILLERI *Diſſ. de ſuſpecta Opii ope in pleuritide p. 4.*). Inter recentiores HVXHAMVS (*Oper. Ed.* REICHEL *P. 2. p. 228. ſq.*) citari meretur, qui prudenti Opii vſu poſt largas venaeſectiones, ad exſtinguendum ſtimulum doloris, qui febrem ipſam excitet, mirifice fauet. HAENIVS (*Rat. med. P. 1. p. 24.*) etiam monet, ſaeuitiem inflammationis ſubinde non niſi vnciis quinque vel ſex Olei Lini cum grano Opii aut vncia vna ſyrupi Diacodii datis ſiluiſſe. Cl^mi SARCONE (*l. c.* inde a *p. 151. ſqq.*) de Opio laus ad eam pleuritidem nominatim ſpectat, cuius praecipuum ſym-

ptoma dolor vehemens lancinans eſt, quem caſu, de quo loquitur, pro cauſa non vero effectu inflammationis habet. Ab hoc initium morbus ſumſit, moxque ſub reſpiratione difficili et valde celeri, pulſu exiguo vel molli et quaſi ſepulto, anxietate, ſudore frigido, tuſſis incidit adeo moleſta, vt conuulſionum metus ſubeſſet; plurima igitur affectorum neruorum et ſpaſmorum indicia adfuerunt, quae poſtea alia verae inflammationis exceperunt. Primo iſti ſtadio vnice Opium oppoſuit, ſed venae ſectione repetita, epithematibus externis emollientibus, item emulſionibus et potulento mucilaginoſo nitroſo, praemiſſis. Opiatorum vero vis tanto maior fuit, quo maturius adhibita, vnde vena intra paucas horas bis ſecta, mox ad Opium confugitur, cuius granum vnum in vncia vna aquae ſolutum in tres doſes diuiditur, quarum vna ſingulo trihorio ingeritur, eo leuamine, vt quarta raro opus ſit, niſi ſub dolore nimis atroci et febre ſpaſmum mox inſequente, ſub qua conditione ad venae ſectiones redeundum, vel cucurbitae ſiue hirudines pectori applicandae. Ita ille; ſicque in ipſo germine ſuffocari morbum poſſe ſibi perſuadet. Id quod vero ſummam difficultatem parit, etiamſi intelligenti et experto medico aſſenſum renuere nolim, eſt, diſtinguere limitem inter vtrumque ſtadium, dum ipſi Opii in hoc morbo patroni ſummam prudentiam requirunt, et altero ſtadio adminiſtrare illud temerarium iudicant.

cant. Imo teſtantur veterani practici, fide digniſſimi, ſe methodo Sydenhamiana et Boerhaauiana difficillimas et numeroſas pleuritides, ne vno quidem Opii grano dato, ſanaſſe (TRALLES *l. c. Sect. 2. p. 210.* TRILLER. *Diſſ. cit. p. 36.*).

Dolor ſpaſmique, qui inteſtinorum inflammationem vel praecedunt vel comitantur, non admittunt modo, ſed expoſcunt ſaepe Opium. Videtur hoc etiam motum periſtalticum languefaciendo conferre ad finem deſtinatum, quum in inflammatis partibus quies maxime neceſſaria ſit. Tutius tamen exhibetur ante inflammationem, quae ipſa tum Opii vi ſaepe auertitur, quam ea *iam vere exorta. Sed et hic prudentia iubet venam prius ſecare*, et emollientibus clyſmatibus aluum probe eluere (SYDENHAM. *p. 533.* SWIETEN *Comm. T. 3. p. 964.* TRALLES *de Op. Sect. 2. p. 248.*). Affine malum ex inflammatione inteſtinorum ſaepe oriundum, vel ſucceſſu temporis illam poſt ſe trahens, ileus, Opio pariter opus habet, tantoque magis, quum purgantia ad curationem neceſſaria ſaepe absque huius adiumento mox euomantur. Miſcela tum vtriusque opus eſt, donec aluus aperiatur, quibus factis alterna praebia ſingulorum pro neceſſitate exhibenda (MEAD *Mon. et praec. med. p. 64.* PRINGLE *on the Diſ. of the Army p. 152.*), vel et, quod quidam praeferunt, quodlibet horum ſeorſim datur (HAEN *Rat. med. P. 3. p. 94. P. 9. p. 137.*

RO-

ROSENSTEIN *Barnſjukd. p. 256.*) praemiſſo Opio, et paucis horis elapſis, antequam deferbuerit vis eius, cathartico ſubiuncto (SYDENH. *Oper. p. 209.*). Hinc et herniae incarceratae, mox ab initio vel paullo poſt inflammatione iunctae, pereximium remedium, quae ipſa ex cauſa ſpaſtica plerumque proficiſci videtur et ſpaſmorum ſodalitium habet. Hiſce ſopitis repoſitio facilior redditur, dolores vomitionesque ſedantur, et inflammatio vel tollitur, vel cum metuenda gangraena auertitur, non neglectis tamen aliis ſolitis ſubſidiis. (V. SWIETEN *Comment. T. I. p. 743.* TRALLES *l. c. p. 265.* WIRTENSOHN *Diſſ. cit. §. 6.*).

Inflammationis in vulneribus vel caſu vel chirurgia *inflictis ex ſtimulo et ſpaſmis natales multo* adhuc quam internae inflammationis manifeſtiores ſunt. Quae in bellis vel inter rixas vulnera fiunt, nonniſi ſub vehementiori mentis commotione recipiuntur, in operationibus chirurgicis metus de futuro euentu ſpaſmos non obſcuros generat. Plagas illatas inſequuntur paullo poſt languor, alternum frigus calorque, mingendi frequentia, celeritas et inaequalitas pulſus, borborygmi aliaque ſpaſtica ſigna, dolorque, qui quo vehementior, eo et validior febris ſubſequutura euadit. Atrociorem inflammationem tam in caeſis quam contuſis vulneribus Opii vſu potiſſimum arceri, et hunc venae ſectione longe efficacius auxilium praebere, Anglorum praecipue experientia compertum

(BROM-

(BROMFIELD's *chirurgical Obſervations et Caſes Vol. 1. p. 9. ſqq.* RANBY *on gun-ſhot wounds l. c. p. 25.*).

Non minus acriter diſputatum eſt de Opii, quorſum et refero ſyrupos Diacodii et Meconii, in variolis vtilitate. Multi in paregoricorum laudibus fuerunt SYDENHAMVS, MORTONVS, WEDELIVS, BOERHAAVIVS, FREINDIVS, HVXHAMVS, WERLHOFIVS, SWIETENIVS, HAENIVS aliique numeroſi viri, quorum haud pauci methodum variolis per antiphlogiſtica medendi exercuerunt, et tamen ad paregorica tanquam ad vnam ex praecipuis curationis partibus confugerunt. Suam ſimulque fere reliquorum Opii in hoc morbo *fautorum ſententiam expreſſit* HAENIVS (*Rat. med. P. 2. cap. 3. p. 42.* et *Rat. med. contin. T. 2.* inde a *p. 84.*), referens (l. proxime *cit. p. 87.*), ſi vſpiam Opii ac paregoricorum immenſa laus ſit, eſſe ſaltem in variolis, exhibuiſſe ſe illud aeque leuiori in morbo quam in grauiori, aeque in leuiſſimo quam grauiſſimo, idque a prima eruptione ad exſiccationem vsque bis nychthemero, experientia ſe edoctum, ſi ob morbi leuitatem non daretur, grauiora ſymptomata in morbi progreſſu prodire, quae dato a principio Opio rarius comparerent. Variolae, pergit, itaque ſi exſpectatae non prodeant, fere ab vncia vna vel duabus ſyrupi Diacodii, ab vncia vna ſyrupi Papaueris albi, ab Opii grano ſe prodere in apricum ſolent. Si inflammationis ſuppurationisque ſtatu ſubterfugiant, paregorico tali bis

bis ter quaterue intra nychthemeri tempus repullulant. Si anxietudines, si peripneumoniam, si anginam minitentur, has vna cum aliis auxiliis mitigant et curant. Et quamuis horum nihil contingat, arbitratur, ad solum tamen somnum, qui ad facilem morbi tam tolerantiam, quam maturationem eximie faciat, blande conciliandum mereri laudem, sic vt non nisi damno ingenti varioloſis denegetur. Atque haec HAENIVS in vltima aetatis linea, quae confirmatam maxime experientiam supponere finit, post tot antea ab aliis expertissimis viris mota contra Opium in variolis dubia. In benignis igitur aeque ac malignis variolis illud exhibuit, stadio suppurationis pariter ac reliquis, et ipsa suppurationis febre. — Paregorica in vniuersum in hoc morbo nociua esse vel superflua qui pronunciet, in obseruantiam tantis nominibus debitam peccat, eodemque iure, an vlla vnquam in praxi medica fides exiſtat, dubitabitur: aſt in quolibet genere variolarum et quolibet stadio et varietate adhibere velle arrogantis est. Quotne varioloſi absque Opio feliciter emerserunt! nec dubium, reliqua auxilia simul adhibita refraenasse saepe mala ex eodem indiscriminatim dato alias redundatura. Tantum illi tribuit SYDENHAMVS (*Op. p. 371.*) in confluentibus, vt aeque dignum titulo specifici in hisce iudicaret, ac corticem Peruuianum in febribus intermittentibus. — Lectu digniſſimae sunt restrictiones aliorum praestantissi-

tiſſimorum virorum, SIMSONI (in *med. Eſſays of Edinb. T. 6. p. 579.*) YOVNGII (*on Opium p. 35.*) TRALLESII (*de Op. Sect. 2. p. 125. ſqq.*) et TISSOTI (*Epiſt. med. pract. Ed. 2.* inde a *p. 186.*), qui omnes in febre ſuppuratoria nominatim infeſtum eſſe agnoſcunt (Vid. ſpeciatim de noxa eius in hocce ſtadio ill. TRALLES *Diſſ. epiſt. de methodo medendi variolis cognita inſufficiente p. 95. ſqq.*). Ad ROSENSTEINII (*Barnſjukd. p. 138.*) mentem in hacce praeſtat omittere, eiusque loco Vitrioli ſpiritum capere, licet ille in ſecundo ſtadio, ad dolores lumborum eruptioni obſtantes leuandos, Opium adhibuerit (*l. c. p. 137.*). Non confert igitur illud porrigere, quando *febris nimis valida eſt, nimia vel tenuitas vel inflammatoria* ſpiſſitudo humores tenet, vel cutis nimium tenſa eſt. Nocet ſaepe, quoniam ſomnum intempeſtiue conciliat, ptyaliſmo et aliis criſibus remoram parit, cutis doloroſam tenſionem et inflammationem auget, vnde ne tranſpiratio quidem cutanea libere ſuccedere poteſt, aluum conſtipat, quam per totum decurſum morbi rite apertam eſſe conuenit, et in ſtadio praeſertim ſuppurationis corruptelam putridam auget. Non defraudandum tamen ſua laude in variolis ſub varia conditione: dolore nempe ex puſtulis nimis vrgente lenimen affert temporarium (SIMSON *l. c. p. 584.*), vix tamen in febre ſuppuratoria vehementiori; vires vitales debilitatas vel ſubito ſubſidentes, calcar ſubdendo

dendo neceſſariae febri, erigit; variolas depreſſas crudas attollit, ad coctionem perducit, et interſtitia pallida laeto rubore ſuffundit; tumorem faciei manuumque reſtaurat, et ſaliuae profluuium iactura virium retardatum reſtituit; diarrhoeam denique tempore eruptionis vel et ſerius vitioſe incidentem, coërcet (YOVNG *l. c. p. 147.* TRALLES *de vi card. Opii p. 35.* HVXHAM *Oper. Ed.* REICH. *T. 2. p. 138. ſq.*).

In morbillis tuſſis vehementia et diarrhoea intempeſtiua Opium interdum requirit. Tutiſſime tamen in tuſſi ea praemittuntur, quae febrem mitigandi vim habent, vnde non ſub initium locus illi eſt (YOVNG *l. c. p. 155.*). — Diarrhoea ſymptomatica primo vel ſecundo ſtadio ingruens hic praecipue intelligitur, vt quae vires dilapidat, morbillorum eruptionem turbat, vel retrocedere eos cogat. In hiſce, quod tranſpirationem promouet, tanto maiori commodo eſt. Sed et illud alui profluuium, quod critice tertio ſtadio erumpit, ſi absque leuamine fit et cum diſpendio virium in diuturnum degenerat, inter alia conſilia Opio indiget.

Varia opiata, Theriaca, Mithridatium, Philonium et ſerius Diaſcordium, prae ceteris autem Theriaca, tanquam potentiſſimum in peſte remedium, inde a vetuſto tempore celebrata fuerunt. Et horum plerique in id praecipue curationis ſollertiam intendi voluerunt, vt miaſma peſtis per ſudores largos ex corpore

pore eliminaretur; nonnulli a veri ſpecie magis abludentes ipſi virus peſtiferi naturae antidoti inſtar aduerſari crediderunt. Errant vero, qui contra miaſma vnice pugnant, pugnandum enim quoque contra noxas corporis, quae, antequam hocce ingrederetur, exſtiterunt, et nouas iſtas vi morbi enatas, et expulſo licet contagio operari pergentes. Stimulantium e genere quum ſint, locum non habent, praeſertim ſi, vt ex praeiudicio ſolitum fuit, absque commodo vehiculo exhibentur, ſanguine ſponte iam exagitato et aeſtuante. Saepe febris peſtilens inflammatoriae naturae eſt, ſaepe putridum inquinamentum ſub ea latet, vel in progreſſu morbi concitatur. In neutro caſu Opium opportunum eſt. Largus praeterea ſudor nimiam virium iacturam parit, imo vtut copioſe prolicitus non ita euoluere et euerrere miaſma valet, vtne bubones et carbunculi prodirent. Expelli vero ſudoribus non poteſt miaſma, niſi adhuc mobile, vagum, vt eſt in aegro. cuius ſolida flexilia, humores meabiles, blandi, copioſi, corporis puri. Quo fine diapnoë ſufficit. Opiata rite temperata hoc ſcopo concedi poſſunt. Sed et eadem commendant affectiones ſpaſmodicae et ſpirituum ataxiae, quae plerumque in peſte ſeſe aſſociant (CHENOT *de peſte p. 121.*) et ſaepe prae metu ſub initium contingunt. Theriacae parua doſis combinata antiphlogiſticis inſignis ſaepe praeſtantiae eſt. Ita et ad drach-

mae pondus commodo vehiculo propinata prophylactico fine, prodromis morbi iam ſeſe exſerentibus, ſolatium affert (*l. c. p. 134.*). Diarrhoea quoque pertinacior, vires profundens opiata aliquando ſibi vindicat (*l. c. p. 155.*), et ſi dolor lumborum nimium vexat, Theriaca emplaſtri inſtar applicata omni ſubinde ſcopo ſatisfacit (*l. c. p. 175.*).

In phthiſi pulmonum tuſſim tolerabiliorem aliquando reddit Opium. Praecipuam adeo opem ab anodynis circa veſperam datis pendere declarat SWIETENIVS (*Comm. T. 4. p. 104. ſq.*), inde ſomnum blandum conciliari, vires refici, et mane ſputa cocta ſub pure bono, lenique tuſſi facillime educi, imo motus pulmonum effraenos pacando ad conſolidationem vlceris facere. Non fidit autem apparenti ſolamini YOVNGIVS (*l. c. p. 98. ſq.*), ſed dum ſtimulum vlceris Opium minuit, obſtructiones ſimul pulmonum augere obſeruauit, inflammationi pabulum praebere, effectum eiusdem licet recondat, tolerabilem quidem reddere tuſſim, ſed accumulare eiusdem cauſam. Hinc, quum pauperiores absque Opii vſu viribus animi et corporis exhauſti vita decedunt, ditiores poſt inducias eodem conciliatas delirioſi moriuntur. Id tamen, dum ad diarrhoeam colliquatiuam morbus iam peruenit, commodi praebet, vt aliquando fatalem horam per tempus differat, ſiue per os ſumatur, ſiue clyſmatis forma iniiciatur, ita e. c. vt Theriacae

vn-

vncia vna tribus vel quatuor vnciis lactis diluta in anum feratur, id quod pro neceſſitate repetendum cures (SWIET. *Comm. T. 2. p. 394.*). — Imo praecauendae phthiſi ſufficere Opium poſt LVDOVICVM cl. SAL. THEOPH. DE MEZA (in *Collect. Hafn. med. T. 2. p. 309. ſq.*) affirmat, ſaepenumero ſe expertum; nempe eius ope in diſpoſitis haemoptyſi occurri, dum, ſi tuſſis per quatuor hebdomades durauit, praegreſſis venae ſectione cathartico et diaetae obſeruatae rigore, pro doſi granum dimidium Opii bis de die capitur, donec tuſſis omnino ceſſet, minuendo doſin pro re nata. Redeunte tuſſi iterare idem remedium ſuadet.

Non noua res eſt, Opium aduerſus febres intermittentes vſurpare. Antiquiſſimo adeo tempore narcoticae variae ſtirpes et praeparata, quae intrat Opium, in hiſce arriſerunt (V. SCHVLZ *Diſſ. de intermitt. curationibus antiquis*). Seriores vero varii medici PARACELSVS, HORSTIVS, ETTMÜLLERVS, WEDELIVS, conſultius duxerunt *in ſolo Opio* acquieſcere, eoque paullo ante paroxyſmum vel ipſo algoris ſtadio ingeſto. Quo iure igitur illud cl. BERRYAT (*Memoires preſentés à l'Acad. R. d. ſc. 1755. T. 2. p. 254. ſqq.*) nouum remedium antifebrile nuncupet, liquet. Hic ipſe Laudanum liquidum SYDENHAMI in dimidio vel integro vitro infuſi Centaurii minoris vna circiter hora ante acceſſionem febris propinauit,

et quidem infantibus trium ad quinque annorum Laudani quinque ad sex vel octo guttas, infantibus decem vel duodecim annorum decem aut duodecim guttas, adultis autem ab octodecim ad triginta; sicque valde rara repetitionis necessitas adfuit. Cl. autem LIND (*Dis. in hot Climates p.316. sq.*) conuenientius deprehendit, semihorium post caloris initium opiatum exhibere, sicque aliquot centenis auxilio fuit. Ingestum tempore apyrexiae nihil praestitit; stadio exhorrescentiae autem datum semel modo vel bis illud leuauit. Ast definito stadii caloris tempore captum breuiorem et mitiorem reddit paroxysmum, et certius, vt refert, quam vncia vna corticis Peruuiani, caput liberat, aestum vincit, sudorem profusum excitat gratumque somnum ciet. Nunquam hydrops vel icterus hac medela vsurpata febres excepit. Eo tempore maiorem solito dosin aegri tulerunt, nec nocuit delirio iam orto, licet differre Opium tum consultius sit. In iis, quibus Opium non immediatum symptomatum lenimen attulit, eum tamen vsum habuit, quod intermissionem plenariam efficeret, et ob sudores excitatos corticis Peruuiani dein longe minori copia opus esset. Haustu quodam Opium continente vsus est auctor in hisce curationibus, quem, vtpote ad pharmacopoeam Londinensem spectantem, per partes describere prolixum nimis foret. Id quod vero miror, euacuantium praemittendorum nulla fere mentio

tio iniecta est. *Aliquoties* sibi Opium sub ipso caloris stadio datum succesisse, mihi ill. DALBERGIVS (*Litt. m. Septembr. a. 1778.* Vid. liber meus *med. pract. Bibl. Vol. 3. p. 321.*) retulit, et reliquis omnibus palmam praeripere ad sedandam cephalalgiam diram quibusdam epidemiis familiarem, et ad febrem ipsam tolerabiliorem reddendam, effectum praeterea esse omnino securum. Secundum experientiam cl. GREGORY praestitit quidem Opium ingerere calore ficco ingruente, sed scopo etiam satisfecit ante paroxysmum vel sub horrorem captum (IOH. BRANDRETH *Diss. de febr. intermitt. Edinb. 1770.*). — Spastica febrium intermittentium natura et crisis harum solita per sudorem, quin suscepta saepe per sola sudorifera curatio, facile ad Opium tentandum inuitare poterat. Nec caruisse successu ex dictis patet, etiam tum, quum tempus illud dandi theoriae vulgari non satis accommodatum esset. Non in qualibet tamen febre intermittente sudorifera admitti possunt, nam saepe manifeste illa nocent, iugulatur quidem inde febris, sed obstructiones generantur vel aluntur, quas abigere studuimus, et saepe hae febres inde in continuas, inflammatorias, irregulares, malignas commutantur. Sunt et haud pauci, qui frustra iis vsu sunt. Idem de promiscua Opii administratione valere, aduersa quaedam experimenta testantur, praeprimis si sub ipso paroxysmo oblatum fuerit. Quod nominatim ad cl.

BERRYAT methodum attinet, inter multos aegros, quibus illam adhibuit, duos modo affirmat *ill.* A STÖRCK (*Ann. med. 1. p. 77. ſq.*) poſt profundum ſomnum a febre *fuiſſe liberatos*, dein vero manſiſſe debiles, *ſtupidos* et appetitu orbos, in vnico aegro paroxyſmos mitigaſſe, non vero febrem integram fugaſſe, reliquis omnibus temulentiam induxiſſe, paroxyſmos prolongaſſe, et aluum conſtipaſſe. — Vt vero commoda Opii in hiſce febribus vna complectar, ſic habeto. Conducit illud, quando febris ex pathemate animi, vt terrore vel nauſea nata (TRALLES *de Opio Sect. 2. p. 70.*). Compeſcit neruoſos varios affectus *ſub ipſo paroxyſmo oriundos*; item tollit febres mere neruoſas, *quales apud hyſtericas et hypochondriacos*, doloribus colicis, pleuriticis, clauo hyſterico, aſthmate, cordis palpitatione etc. ſeſe manifeſtant, ante paroxyſmum ingeſtum (STÖRCK *l. c. p. 78.*). Alibi et ſignificaui (*Appar. med. T. 1. p. 574.*), quam egregiam vim habeat cortice Peruuiano mixtum, ad compeſcendum vomitum vel alui profluuium, ſi praeter conſuetudinem incidunt et beneficium corticis fruſtrantur. Denique ſudorem pellendo, ſaltim ad multorum mentem, vt illam cl^mi LIND, corticis efficaciae ſubuenit.

Tranſeo ad vim Opii in doloribus ſopiendis. Generatim in horum curatione ad cauſas ſemper reſpiciendum eſt, quae in tenſione vel preſſione neruorum varia, ve-

veluti a luxato vel fracto osse, calculo, inflammatione, tumore, a dilaceratione eiusdem quoad partem, denudatione eius, rosione per acria vel acuta corpora, et sympathica saepe affectione consistunt. Hae antea remouendae, nam etiamsi sensus mitigetur vel pereat, causa tamen operari pergit. Hinc dolor sopitus, deferuescente remedii potentia, saepe recrudescit. Nocet aliquando causam ipsam doloris magis intendendo, vt, si plethora vrget, orgasmo sanguinis, quem excitat, item congestionibus ad partem affectam; nocet et subinde excretiones omnes, praeter illam per cutem cohibendo, vnde remanet interdum pars eius, quod dolorem creauit. Nihilominus tamen saepe, causa ipsa doloris etsi uondum deuicta, vehementia eius, vigiliae protractae, et metus, ne grauiora adhuc mala, febris intensa, conuulsiones, quin ipsa mors inde consequantur, necessitatem Opii dandi praebent, praecipue si ex spastico fonte dolor prouenerit. Sed inter haec de causa doloris superanda sedulo dispiciendum. In iis demum casibus, qui veram morbi curationem non admittuut, vt calculo, cancro, forsitan et tussi phthisicorum, saepe vnicum lugendae vitae solatium conciliat. Adeo vero pertinax interdum est dolor, vt nec ingens Opii dosis eum sedare possit. Ita Laudano liquido, licet ad guttas quinquaginta pro dosi et ad ducentas vel trecentas guttas intra nychthemerum capto, non cessauit dolor nephriticus

(BAINE in *med. Obſ. and Inquir. Vol. 2. p. 156.*). Hiſce generatim de vtilitate Opii in doloribus animaduerſis, non opus erit, in ſpecialem eius in ſingulis doloroſis morbis, cephalalgia, odontalgia, otalgia, cardialgia, colicis, variis veſicae vrinariae doloroſis affectionibus, arthritide, rheumatiſmis etc. deſcendere. De quibusdam inſuper ſuis locis iam actum. — De colica pictonum autem, morbo, in quo dolor vna cum ſpaſmis infeſtat, quaedam adhuc ſeorſim monere non ſuperfluum eſt. Plurimam in hac opem exſpectes ab Opio, copia olei commixto, interne et extus adhibito, quo fit, vt non modo inuoluatur acris ſtimulus et fibrae laxentur, ſed et nerui ſenſilitate priuentur, ſpaſmi inteſtinorum, qui feces et flatus intercipiunt, ſoluantur, et motus periſtalticus reſtituatur (HAEN *Rat. med. P. 3. p. 79.*). Eadem ope paralyſi efficaciſſime praecauetur (*l. c. p. 94.*). Scite et in hoc morbo cum Opio copulantur purgantia, quorum vis absque illo alias futura eſſet nulla (HVXHAM *Oper. T. 3. p. 76.* HAEN *l. c.*). Quodlibet horum etiam ſeorſim capi poteſt, ita vt praecedat Opium, quod ſi mitigauerit dolores, purgans lene inſequatur (HILLARY *Diſeaſ. of Barbados p. 191. ſq.*). Ad Opium reuerſio fiat recrudeſcentibus doloribus. In hoc vero malo exiguae eius doſes nullum effectum exſerunt. — Quod ad rheumatiſmos attinet, quorum obiter modo mentionem feci, non reticenda eſt Opii praeſtantia in dolore

lore effraeno iſchiatici mali pacando, (quod expertus in ſe eſt cl. KAAV BOERHAAVE, *Impetum faciens p. 411.*) nominatim iſta huius mali ſpecie, quae in affecto ipſo neruo iſchiatico conſiſtit. Granulum eius id praeſtat ſub veſperam deglutitum vel clyſma opiatum. Non augenda autem Opii doſis, ſi vim eius amplius non perſentiat aeger, ne moleſtus neruo torpor inducatur (COTVNNI *de iſch. nerv. §. 42.*). Pacat praecipue dolores iſchiaticos a venerea cauſa ortos (*l. c. §. 44.*).

In morbis conuulſiuis et ſpaſticis pariter non absque cauſarum ſcita diiudicatione locum habet. Nam *conuulſiones ſpaſmosque quandoque adeo excitat, non magna vnice doſi, ſed intempeſtiue vſurpatum* (V. ROSENST. *Barnſ. p. 61.*). Nocet, ſi qua accumulatio vel ſanguinis vel pituitae vel ſeri vel corrupti humoris, alias per vlcera vel fonticulos excerni ſoliti, in cauſa horum malorum ſunt. Nec admitti poteſt, ſi a iactura ſanguinis vel aliorum liquidorum vel diſpendio virium ex vigiliis vel curis nata fuerint. In hominibus irritabili nimis corpore inſtructis, infantibus praecipue et feminis, exiguus ſtimulus fibrarum muſcularium turbas ſaepe inſignes excitat; vt vermes, acre primarum viarum, dentitio difficilis, exanthemata eruptioni intenta. An in hiſce ad Opium confugies, et ſedando vnice turbas hoſtilem ſtimulum inſidiari vitae impune ſines? Incidunt etiam caſus

adeo immorigeri, vt nonnisi doses eae motus effraenos pacent, quae ipsam vitam supprimunt. Vnde nisi solito multo liberalior dosis spei satisfaciat, praestat abstinere, quam continuatione vel augmento vitam in discrimen vertere (LETTSOM'S *med. Memoirs p. 129. item Cas. 1. p. 135.*). Saepe tamen si ex diathesi peculiari irritabili absque materiali causa homo conuellitur, siue spasmis corripitur, vel causa etsi subacta malum pergit pristina sua ferocia, Opium efficacissimum auxilium erogat.

Agmen ducat spasmus ille vniuersalis, qui vel corpus in lineam rectam tendit rigidumque reddit, vel antrorsum vel retrorsum vel ad latus flectit, tetani, emprosthotoni, opisthotoni et pleurothotoni nomine, cum quo saepe trismus siue maxillae inferioris spasmus iungitur, quod genus malorum in vtraque India intra tropicos apud eos, qui subitae caloris frigorisque vicissitudini obnoxii sunt, endemium est, in Europa autem ex punctura vel dilaceratione neruorum per clauum, acum, festucam ligneam infixam, globulum plumbeum sclopeto iniectum, vel ex pressione fortiori praegressa, aliquando sed valde raro oritur. Sponte patet, si corpora eiusmodi aliena intrusa in causa sint, haec sine mora euelli debere. Maxime et interest, neruum haud procul a vulnere omnino discindere, ne stimulo suo alios neruos in consensum trahat. Sed saepe suppetiae hae non sufficiunt. Opii siue extrinsecus

siue

ſiue per os adhibiti in hiſce anguſtiis praeſtantiam iam dudum medici agnouerunt, ſed veram eo vtendi methodum recentioribus quibusdam debemus, vt fere hodie nulla medicina contra haec mala efficacior iudicetur; inunctio enim mercurialis, de qua alio loco, paucis hactenus exemplis comprobata eſt. Quidam Opium cum balneis calidioribus iunctim vſurparunt. Secundum hanc normam Opium vel in balneo vel paullo poſt exhibeatur; nam absque illo praemiſſo vix deglutire aeger poteſt. Subinde balneum, in quo ipſe aeger leniter perfricetur, quinquies vel ſexies per diem repetere opus eſt. Opium vero iteretur quauis hora dimidia vel aliis interuallis, donec ſpaſmus ſub ſterno ceſſet, et poſtea defectus doloris vlterioris ſignificet, plane deuictum eſſe malum. Induciis apparentibus vero caue ne ſtatim fidas, ſed recrudeſcente dolore ad Opium iterum reuerte. Largior autem longe doſis Opii requiritur in hoc, quam in alio forſitan vllo morbo, et ferri poteſt ſine vel ſopore vel ſenſuum turbatione: initium tamen parciori fiat et minuenda pariter maioribusque interuallis praebenda, ſi curatio ſuccedit. Ad deglutiendi facultatem reſtituendam clyſmata Opio commiſta faciunt. Inſuper eximie dictorum efficaciam adiuuant clyſmata emollientia cum multo oleo, veſica aqua calida ſemirepleta et ventriculo impoſita, et fomentationes cum oleo, cui Opium additum, cum leui frictione, vel fomen-

mentationes ex decoctis emollientibus (CHALMERS in *med. Obſerv. and Inquir. Vol. 1. p. 101. ſqq.* Cfr. DE HAEN *Rat. med. P. 10. p. 182. ſqq.*; MACAVLAY in *med. Obſerv. and Inqu. Vol. 2. p. 130. ſq.* recenſens triſmum cum emproſthotono feminae absque vi externa ortum; WHITE *l. c. p. 382. ſqq.* agens de triſmo cum aliis conuulſionibus a digito vulnerato; GLOSTER in *Transactions of the Society in Philad. Vol. 1. p. 317.* de tetano cum triſmo aethiopis aëre frigido poſt inſudationem dormientis). In balneorum horum locum, ſi qui haec reformidant, vt ſaepe fit, vaporum calidorum applicatio ſurrogari poteſt (CHALMERS in *Account of the Weather and Diſ. of South-Carolina, Vol. 2. p. 23.*). Imo ſunt, qui absque calidae beneficio Opio ſolo potiſſimum ſanati (SILVESTER in *med. Obſ. et Inqu. Vol. 1. p. 1. ſq.*; CLEPHANE *l. c. p. 51.* SIBBERN in cel. TODE *med. chir. Bibl. T. 2. P. 1. p. 160.*; WINSLOW in *Collect. Havn. med. Vol. 1. p. 304. ſqq.*). In hiſce caſibus triſmus violenta cauſa ortus vna cum aliis muſculorum tenſionibus vel contorſionibus adfuit, et vel primarium morbum conſtituit vel tetano demum acceſſit. Viſa quoque eſt miſcela Opii et moſchi effectum et potentius et citius praeſtare, quam Opium ſolum (HILLARY *Diſ. of Barbad. p. 233.* HVCK *med. Obſ. and Inqu. Vol. 3. p. 326. ſqq.* mentionem iniiciens triſmi opiſthotono iuncti apud vulneratos, qui poſt plagas inflictas frigido aëri lacuſtri expoſiti fuerunt.).

runt,). — Largam dixi dosin Opii in hisce malis requiri. Absque noxa et probo successu intra nychthemerum gr. centum et viginti capta (DON. MONRO *Praelect. in* CRONII *instituto* rec. in *Gött. gel. Anzeig. 1778. n. 45.*). Datae adeo tincturae Opii guttae ducentae vna dosi, et quidam vltra huius liquidi vnciam intra nychthemerum absque stupore ingesserunt (CHALMERS *med. Obs. l. c. p. 105.*). Nemo vero audacior fuit quam auctor quidam anonymus (*Pract. Remarks on West-India Diseases p. 106. sq.*), qui homini tetano correpto, inter nychthemerum Laudani vltra vncias viginti propinauit, quae enormis quantitas autem neque spasmum neque peruigilium mitigauit; succedente tamen per continuatum Opii vsum, cui cortex Peruuianus interpolatus, sanatione. Proxime huic exemplo temeritate accedit aliud, quo mille quingenta grana intra septendecim dies ab aethiope Antiguae capta (GLOSTER *l. c.*). Alius Opii puri granum vnum omni bihorio sumsit, vel grana viginti octo intra quadraginta octo horas, vel grana circiter nonaginta intra dies viginti duo; inde nec torpida euasit aluus, nec sensuum vsus turbatus, et vix somnus noctu vltra sesquitertiam horam perdurans successit (CLEPHANE *l. c.*). Alius intra triduum grana triginta tria ingessit (SIBBERN *l. c.*). Item fuit, qui hebdomadibus circiter quinque grana trecenta et septendecim Opii praeter potiones anodynas ingessit (WHITE

(WHITE *l. c. p. 386.*). — Queritur tamen cl. ROWLEY (*Med. Adviſe for the uſe of the army and navy p. 39.*), ſe ne vnicum quidem ſpaſmo maxillae correptum Opio, moſcho et balneo calido ſeruare potuiſſe. — Vt quoque in caloris balnei gradu nihil vitii committatur: ſciendum, ſi tempeſtas calida et pulſus celer cum praeternaturali calore cutis contingit, calorem aquae non excedere gradum nonageſimum ſextum vel octauum thermometri Fahrenh. debere, conditionibus autem contrariis ad gradum centeſimum vel centeſimum et ſecundum augeri (CHALMERS *l. c. p. 102.*).

Minus quidem in oculos incurrit ſpaſtica hydrophobiae natura, ſed deglutiendi liquida impotentiam ſpaſmo vnice faucium et oeſophagi contineri, obſeruationibus conſtat. Vnde efficaciae Opii in hoc rabiei caninae ſymptomate probabilis coniectura. Siſtit cl. NVGENT (*Eſſay on the hydrophobia*) documentum ſingulare huius auxilii, in quo tamen praeter Opium et moſchus aliaque ſimul adminiſtrata fuerunt. Idem fauſtus euentus contigit alii in Northumbria commorſo et methodo cl. NVGENT tractato (WHYTT'S *Works p. 679. ſq.*).

In aſthmate ſpaſtico, quod obſtructionibus pulmonum et pituita illos grauante caret, Opio (iuncta venaeſectione, ſi plethorici eſt habitus aeger) inſultus optime tollitur, ſiue ipſi nerui pulmonum affecti ſint,

ſiue

siue symphatice ex ventriculi vitio malum enatum fuerit. Dicta vero vitia si insint pulmonibus, nonnisi post eadem deuicta Opium conducit (WHYTT *l. c. p. 701. sq.* YOVNG *on Opium p. 115. sq.*). Senes nominatim asthmatici ob collectam, vt vulgo fit, intra pulmones pituitam ab Opio arcendi sunt (YOVNG *l. c. p. 133.*).

Praestantissimum est palliatiuum ad sopiendam nimiam neruorum sensilitatem et inde dependentes motus irregulares. Hinc hypochondriacis et hysstericis tam frequens solatium, dum spasmi vrgent et flatus excruciant, ex quibus fontibus tot aliae molestiae, palpitatio cordis, asthma, anxietas, suffocationis sensus, dolores et calores vagi, obnubilatio mentis, labes memoriae temporaria, peruigilium rel. proueniunt. Frequentem quoque mictum lotii pallidi apud hosce aegros egregie sedat, modo dein in subsidium trahantur, quae renes roborant (WHYTT *l. c. p. 707.*). Quidam tamen horum aegrorum Opium non ferunt, sed languorem, debilitatem, nauseam, vomitum, spasmos ventriculi, pruritum, delirium, quin maniam inde patiuntur. Nec confert apud hosce in nimia virium deiectione, nam etiamsi ad tempus lenimen inde persentiant, exspirante tamen efficacia magis quam ante vires deprimuntur. Nec capi debet nimis copiose vel protracto nimis vsu, ne torpeat sensus et vigor systematis neruosi, vel ipsa animi vis (WHYTT *l. c. p. 644. sq.*).

Haud

Haud pauci illud contra epilepsiam commendarunt. Varietatem autem causarum, vnde haec proueniat, considerantes facile perspicient, non cuiuis speciei coërcendae par esse. Multa promittit in ea, quae a sensilitate et mobilitate nimia corporis, vel pathemate animi proficiscitur. Ita et, causa quadam materiali morbi superstite, aliquando neruos cum systemate neruoso ita mutat, vt irritamentum non sentiatur. Sic siluit epilepsia sexennis ex terrore nata et quotidie fere erumpens (HAEN *Rat. med. P. 5. p. 126.*). Praeuertit Opium aliquoties conuulsionibus mitioribus fixo diei tempore reuertentibus hora vna vel remotius ante paroxysmum captum. Cuidam tamen *epileptico nec largior dosis guttarum quadraginta* Laudani liquidi subuenire valuit (WHYTT'S *Works p. 680.*), Alias et conuulsiones difficiliores instabili tempore incidentes Opium compescit. Hocce ad decem grana intra nychthemerum ingesto senex, conuulsionibus primum musculorum oculi dein faciei tum totius corporis quater quinquies vel sexies per diem correptus, post irrita cum igne electrico, floribus Zinci aliisque ceteroquin commodis capta tentamina, conualuit (LETTSOM'S *Medical Memoirs p. 143.*).

Ex dictis facile eruitur, sub quibus conditionibus in aliis hic, ne prolixitate nimia peccem, reticendis spasmis et conuulsionibus, vomitu, singultu, tussi, pal-

pitatione cordis *etc.* conueniat. — Sequatur morbus duplex, in quo pariter ataxia ſpirituum animalium in vitio eſt, quae vero ipſam mentis officinam turbat, melancholia et mania. Rariſſima ſunt exempla, quod malum ſolo Opii vſu fuerit ſubactum; nec hoc accidit, niſi recente eo, et a commotione animi fortiori ira vel terrore profecto (V. RIEDLINI *Lin.* 1700. *Dec. Obſ.* 12. et YOVNGII *on Op. Sect.* 23. duo caſus.). Quin ne hoc quidem omnibus corporibus tutum ſatis videtur. Praecipue animo irrequieto pacando et ſomno arceſſendo heic deſtinatur. Sed ſaepe doſes inſignes hiſce ſcopis non ſatisfaciunt (MEAD *Oper. T.* 2. *p.* 187.), vt vel maxime *elucet caſu feminae, quae per aliquot veſperas duodecim, viginti ad viginti quatuor grana* Opii ſine ſomno exſpectato ingeſſerat (HAARTMAN in *K. Vet. Acad. Handl.* 1762. *p.* 268. *ſq.*). Alii aegri etiamſi in ſomnum eius ope cadant, turbulento tantummodo terrificisque imaginibus tentato fruuntur, et expergefacti vel inſanire pergunt, vel *longe inquietiores* fiunt, quam antea, vel *ſi quietiores inde euaſerint*, in perpetuum et immedicabilem fatuitatem, redeunte per interualla furore, incidunt (V. TRALLES *de Op. Sect.* 4. *p.* 68.). Sunt et, quorum malum exaſperat (FR. HOFFM. *Med. ſyſt. T.* 4. *P.* 4. *p.* 197. LORRY in *Recueil period. T.* 4. *p.* 73.). Non ideo quidem illud damnauerim, quod inſaniam adeo gignere in ſanis poſſit, nam tum neque in conuulſionibus,

neque in aliis bene multis malis conduceret, quum abusu eadem in saniſſimis creare valeat. Sed nocet omnino in homine plethorico, pulſu duro, forti, vultu rubicundo, inſtructo, vel illo, qui craſſum a veteribus atrabilarium dictum ſanguinem, obſtructionibus plerumque iunctum, vehit, item ſi ex acri quadam materia retenta vel retropulſa, vt arthritica impetiginoſa, prouenit, vel cauſa in ipſum cerebrum vim ſuam exſerit. Proficuum e contrario eſt, ſi turbatio iſta mentis ſine materie contingit, quod valet de illa ex animi affectibus vel dolore nimio. Exhauſtis etiam bonis humoribus, modo non nimia fuerit inanitio, parca doſis in connubio nutrientium et roborantium inſtar cardiaci concedi poteſt. (*Conf. de hoc argumento* LORRY *de melanchol. T. 2. p. 131. ſq.*). Quae de venae ſectionis et primas vias euacuantium neceſſitate generatim monui, ad haec quoque mala attinent, horumque iuncto vſu et in ſpeciebus, in quibus alias minus commodum Opium eſt, leuamen aegris conciliare poteſt. Liberali etiam in dictis morbis manu exhiberi debet. Ad moerorem et anxietatem melancholicorum ſopiendam aliquando ad quindecim eius grana vna vice dare opus fuit (V. SWIETEN *Comment. T. 3. p. 517.*). Laudani liquidi trecentas ad quadringentas guttas per diem melancholica femina ingeſſit, vt diſpelleret animi triſtitiam, ſicque et ſpecie ſana euaſit (YOUNG *l. c. p. 103.*). In maniaco ſimiliter ſubinde quin-

quindecim grana *Opii* pro vna doſi requirebantur, antequam deſideratus effectus inſequeretur (WEPFER. *hiſt. apopl.* in *App. p. 687.*).

In *dyſenteria* nonniſi ſumma cautione adhiberi debet, *licet* non defuerint etiam inter celebratiores viros, SYDENHAMVS, SENNERTVS, BONTIVS, BRVNNERVS, WEPFERVS, RAMAZZINI pluresque alii, qui valde neceſſarium *illud in huius mali* curatione habuerunt, quin quoad partem, vt SYDENHAMVS, iuſto liberalius eo vſi ſunt. Etenim intempeſtiue datum aluum coërcendo acrimoniam vellicantem, quae ipſius morbi cauſa eſt, *retinet*, quae accumulata *redit inflammatque inteſtina*, *et* niſum *in inflammationem*, qui ſponte iam adeſt, auget. Hinc, etiamſi induciae blandae eius ope concilientur, fallaces hae maxime ſunt, ſuppreſſus enim fluxus vel tanto copioſius redit, vel inflammatione correpti aegri pereunt (DEGNER *de dyſent. bil. p. 183.* PRINGLE *Diſ. of the army p. 264.* YOVNG *l. c. cap. 7.* ZIMMERMANN *v. d. Ruhr p. 96. 101. 105. 106.*). — Doloris tamen vehementia, teneſmi moleſtia, ſpaſticae inteſtinorum contractiones, quin ipſa deiectionum copia vires ſubito ſufflaminans, interdum ad Opium confugere nos cogunt. Prodeſtque vel ideo, quod riuum alluentium humorum ad cutem diaphoreſi diuertat. Praecedere autem debet euacuantium per os vel aluum ſollicita adminiſtratio. Vel niſi huic

tempus obtigerit, ſymptomata tamen vrgent, breui poſt Opium datum, euacuantia ſuggerenda, et in interuallo tranquillo mucilaginoſa, demulcentia, diluentia non negligenda ſunt (TRALL. *l. c. Sect. 3. p. 201.*). Plethora ſi ſubeſt, vel febris valida pulſu duro ſtipata, antea minui debet. Minus conducit, ſi morbus iam febrem excitauit, quae vel putridae vel inflammatoriae indolis eſt. Placet maxime ad conſilium ill. DE HAEN intra reliquas ſuppetias Opium cum oleoſis dare (DE HAEN *Rat. med. T. 2. p. 4.* item *T. 3. c. 2. p. 91.*). De connubio Opii cum Ipecacuanha in hoc morbo alibi iam differui (*Appar. med. T. 1. p. 535.*).

Diarrhoea pariter nonnunquam *Opium ſibi* vindicat: ſed et in hac nihil temere agendum. Caue ne ſiſtas eam, quae ſubinde et in ſanis oritur absque notabili vitio et praecauet difficiliori morbo, modo non diuturna fiat, nec vires eneruet. Tanto magis apparet noxa, ſi ingluuies eius cauſa fuerit, quum in beneficium aegri incidat, et ſopita ipſam maſſam ſanguineam inquinet. In critica diarrhoea pariter nocet, et illa, quae a ſuperioribus partibus humorum abundantiam ad aluum deriuat, prout in dentientibus ſalutaris omnino eſt. Roborantia et adſtringentia, non opiata, conducunt in iſto profluuio, quod a relaxato nimium tono inteſtinorum, ſine omni ſtimulo prouenit, vt quae paralyticum eorum ſtatum magis

magis augent. Symptomatica autem diarrhoea totius morbi decurſum turbans vel iuſto protractior, quae nimium relaxat inteſtina et probis humoribus corpus priuat, compeſci debet. Quid in reliquis alui profluuiis Opium valeat, ſolide excuſſit cel. TRALLES (*Op. Sect. 3. p. 230.*), vt ad hunc remittere oporteat, quibus dicta non ſufficere videantur.

Aliud iam profluuii genus, haemorrhagia, conſiderandum, in quo Opio, vt affinibus vi Hyoſcyami feminibus, nimium pretii a multis tributum. Quidam horum ex perperam aſſumta hypotheſi, quod effraenum ſanguinis motum moderaretur, alii, quod coagulum illi induceret, alii aliis ingenii ludibriis ducti illud depraedicarunt. In ea autem haemorrhagia, quae ab aucto ſanguinis motu et expanſione in corpore plethorico erumpit, Opio non eſſe locum, ſed augere illam potius, quis non videt? Nocere ſimiliter in ea, quae a reſolutione putrida ſanguinis oritur, palam eſt, quum illud ipſum putredinem intendat. Reſtringenda igitur vnice Opii laus ad eam eſt, quae vel a ſpaſmis remotarum partium, ſanguinem aliorſum vrgentium, vel a ſtimulo in loco labefactato naſcitur, vel dolorem aliquem ſecum iunctum habet. — Spaſtica cauſa in haemoptyſi ex hypochondriis et iſta feminarum alius cuiuslibet vitii pulmonum expertium locum habet. In hoc morbo in vniuerſum ad ſtimulum, qui ad tuſſim vellicat, poſt praemiſſa alia ſopien-

dum apprime valet, qui nisi obtundatur, sustentat profluuium et cessans recrudescere facit. — In fluxu nimio mensium vel haemorrhagia post abortum, quae in connubio doloris dorsi vel abdominis non inflammatorio *incidit et reuertitur* aucta vehementia, quoties vel dolor redit vel increscit, Opium adstringentibus omnibus est praeferendum (WHYTT's *Works p. 661.*). Abortum quoque auertit in nimium sensilibus feminis (ID. *p. 540.*). Haemorrhagiae vteri prope finem grauiditatis obortae vel isti parturientium succurrit, vt palliatiuum egregie irritationem doloresque vteri sedando, item spasmos abdominis, si qui subsunt, sanguinem ad inferiora determinantes pacando. *In hisce haemorrhagiis* cl^mo GARTSHORE (*Diss. de Papaueris vsu in parturientibus ac puerperis p. 36.*) apta visa est Opii cum spiritu vitrioli coniunctio, cuius commodum in haemorrhagiis grauidarum cl. AASKOW (in *Act. Societ. med. Havn. Vol. 1. p. 51. sqq.*) documentis allatis nuper confirmauit. Sistitur etiam Opio feliciter immodica ista haemorrhagia et periculosa, quae partui nonnunquam statim superuenit, siue haec fiat a residuis placentae portionibus vel grumis sanguineis post infantem natum, siue contingat post vteri contenta omnia iam excluſa (V. casus memorabilis in GARTSHORE *l. c. p. 51.*). Imo si metus futuri sub partu effraeni fluxus incidit, saepissime periculo, antea Opio capto, obuiam ire licet (Conf. SMELLIE

on

on Midwifery Vol. 3. p. 421. ſqq.). Opportunitatem vel noxam Opii in aliis haemorrhagiis exhibendi definiunt regulae praefixae generaliores et addita exempla.

Quum Opium inflammatis locis applicatum gangraenam non arceat, ſed contra ea aduocet, dubitaret merito quiuis, an in vlla gangraenae ſpecie conduceret, niſi experientia id exploratum reliquiſſet. Omitto HECQVETI vagas laudes: nouiſſime vero (POTT *chirurgical Obſervations* inde a *pag. 189.*) inſignis eius praeſtantia in ea ſpecie conſtitit, quae in digitis pedis incipiens ſenſim ad pedem ipſum et malleolum, quin tibiam aſcendit, et aegrum plerumque trucidat. *Extracti nominatim thebaici* tria vel quatuor grana ad minimum intra nychthemerum capta. Nec opus fuit ſimul alio externo remedio, quam pulte ex farina ſeminis Lini et bulliente lacte vel aqua, mixta vnguento ſambucino vel butyro recenti absque ſcarificationibus, quae ſaepe inanes, ſaepe exitioſae apparuerunt.

Pauca hucusque modo exempla externi Opii vſus memoraui. Sed multiplex olim inualuit, vt vel ex formulis linimentorum, vnguentorum, emplaſtrorum, in libris pharmaceuticis obuiis, conſtat, et vlterius elucet, ſi practica cuiuslibet fere aeui monimenta euoluimus. Scopus fuit idem plerumque ac Opii per os ingeſti, frequentiſſimus ad dolores ſopiendos

in arthritide, rheumatiſmis, odontalgia, haemorrhoidibus aliisque doloroſis affectionibus, item in vulneribus et vlceribus; porro ad ſomnum conciliandum et conuulſiuos vel ſpaſticos motus ſedandos. Falli nos vero *in ſpe dolores* compeſcendi Opio extrinſecus applicato, experimenta bene multa docent. Nunquam ſtuporem partis ab applicatione opiatorum ſe obſeruaſſe profitetur WEDELIVS (*Opiol. l. 2. §. 3.*) nec ALSTONVS (*l. c. p. 159.*) emplaſtro opiato per noctem circa digitum annularem vel brachium impoſito effectum vllum percepit. Approbauit et academia chirurgica Pariſina, Opium cuti appoſitum dolorem partis non minuere (LOUIS in *Rec. des pieces, qui ont concouru pour le Prix Tom. 2. p. 127. ſqq.* GVIOT *ibid. p. 205*). Contra ea neruo nudo applicatum vt acre calidumque remedium irritat. Manifeſte hoc contigit ſolutione aquoſa partibus excoriatis et vulneribus ſuperficialibus admota, vt in quibus ardorem et irritationem excitauit, dolore per aliquot minuta temporis prima continuante (ALSTON *in med. Eſſays l. c. p. 159.*). In cancro pariter dolorem auxit (MVRAVLT *chir. Geſch. p. 264.*), quin adeo, vt quum vlceri cancroſo parotidis dextrae illud imponerent, prae dolore aeger conuelleretur (PLENCK *Mat. chir. p. 388.*). Odontalgiae ex carie conſumendo ipſum neruum, vt acria olea vel acida, videtur vnice opitulari in his, qui opiata in dentem caute immiſerunt; ſed nec in

hac

hac ſpecie effectus ſemper conſtans eſt (LORRY *l. c. p. 72.*), in aliis *aperte* noxius, et, ſicuti ex Opio interne ſumto, poſt aliquas ſubinde contingentes inducias dolores poſtea exaſperari ſolent. — Ob ſtimulum hunc varii Opium ad diſcutiendos et emollientidos tophos nodosque arthriticos, ſcirrhos, ſcrophulas, item ad reſoluendos et maturandos tumores adhibuerunt; et in tenerioribus hominibus cutis inde exulceratur, pili exſtirpantur, pruritus excitatur. (V. teſtes citt. in TRALLES de *Op. Sect. 4. p. 189.*). Minus igitur apta nonnullis (ALSTON *l. c. p. 159. ſq.* MONRO *l. c. p. 283.* TRALLES *l. c. p. 191.*) viſa eſt cauſticorum vel veſicatoriorum cum Opio miſcela, doloris inde enaſcituri mitigandi cauſa, a quibusdam, vt HILDESHEIMIO (*Spicil. 1. de affect. cap. p. 14.*) HECQVETO (*l. c. p. 194.*) GVIOTO (*Recueil pour le Prix de l'Ac. d. Chir. T. 2. p. 205. ſq.*) aliisque commendata; vt qui augmentum potius doloris inde metuunt. Hiſce tamen aduerſatur nouiſſima ill. ACREL (*Chirurg. Vorfälle T. 2. p. 445.*) experientia, qui methodo cl^ni ELSE in curatione hydroceles vſus, additamento Opii cauſticum exiguum vel nullum dolorificum ſenſum excitaſſe nobis perſuadet. Ob hunc, quem dixi, ſtimulum in inflammatorii generis morbis valde noxium eſt, vt gangraenae adeo inde originem ſuam ceperint (TRALLES *l. c. p. 218.* TISSOT *Epiſt. pract. p. 196.*). Emplaſtrum opiatum, tempori ad ſedan-

dum dentium dolorem impositum, in femina furorem cum spasmis creauit, non prius cessantem, quam emplastro remoto (LORRY in *Rec. period. 1756. p. 74.*). Delirium pariter succesſit ex binis emplastris opiatis temporibus vtrinque ad cephalalgiam in adolescente domandam applicatis, sensim obrepente somno (KAAV BOERH. *impet. p. 405.*). Ita et alia exempla docent, Opium capiti applicatum somnum subinde impertire (LORRY *l. c.* TRALLES *p. 194.*). Nec in conuulsiuis vel spasticis turbis externum vsum inanem fuisse, ex vsu Theriacae, in vomitu saepe laudato (Vid. e. c. v. SWIETEN *Comment. ad §. 658.*), et dictis supra de spasmis vniuersalibus liquet. Semper vero cautionum circa *vsum internum* Opii obseruandarum subisto quoque externo habenda ratio est. Vberius de eius applicatione externa egit cl. PLENCK (*Samml. v. Bemerk. 1 Th. p. 143. sqq.*).

Clysmate autem Opium excipere, haud rara etiam hodie praxis est. Quin sunt, qui sic illud praestare reliquis exhibendi modis arbitrantur (COTVNNII *Comment. de Ischiade neruosa §. 42.* DONALD MONRO in *Praelect. med. in Cronii instit.* v. *Gött. Anz. 1778. Zug. n. 45.*). De efficacia testantur iam experimenta de animalibus indicata (*p. 230.*). Videtur et in hominibus similis fere intestinorum ac ventriculi structura eundem effectum promittere, siue per os siue per anum illud ingeratur. Maior tamen eius semper

poste-

posteriori via requiritur quantitas, quae si modum excedat, vel extra opportunitatem porrigatur, in eadem pericula, ac Opium ore iusto copiosius captum, hominem praecipitat. Hanc vt praeferrent viam, quidam eo inducti fuere, quod tutiorem crederent, alii rectius, quando ventriculi sensilitas nimia ob nauseam vel vomitum Opium interne non fert, alii iterum vt loco affecto tanto propior esset medicina. Nonne et ideo clysmata opiata praerogatiuam habent, quod sic Opium bilis aliorumque humorum miscela non possit eneruari? Nota est theriacae in dysenteria per aluum applicatio, a SYDENHAMO, SENNERTO, RIVERIO, DEGNERO, HVXHAMO praecepta, quae, nisi illi addatur, quod calidam eius naturam temperet, Opio solo nocentior habenda. Prodest eximie in pertinaci tenesmo alui dysentericorum clysma ex seminibus Lini, vel amylo cum guttis quinquaginta Laudani liquidi (CLARK *Dis. in hot countr.* cap. de dysent.). Colliquatiua phthisicorum diarrhoea a paruula Opii dosi per anum iniecta constanter imminuta, aucta potius per maiorem eius copiam deglutitam (COTVNNI *l. c.*). Nec minus in insultibus asthmatis conuulsiui conducit; nec non ad dolores immanes ischiadis neruosae demulcendos; quibus scopis Opii granulum in lactis aqua diluti semilibra solutum post elota intestina vulgaribus clysteribus e re est immittere (COTVNNI *l. c.*). Obstructionem mensium

ex

ex ſpaſmis vaſorum vteri clyſma ex aqua calida cum triginta vel quadraginta guttis Laudani veſperi tempore eruptionis inſtante iniectum referat. Et idem, iuncto epithemate emolliente tollit dolores, animi deliquia, deliria, conuulſiones, quae nonnunquam tenellas feminas ſub eruptione affligunt (WHYTT'S *Works p. 658. ſq.*). Sic dolores imi ventris varii eius ope conſopiti (*l. c. p. 616. ſq.*). In ſtranguria moleſtiſſima clyſma eiusmodi 40 ad 100, 120, 130 guttas Laudani continens, vnicum immortali HALLERO (*Comment. nov. Societ. ſcient. Götting. Tom. 7. p. 7. ſq.* et *Tom. 8. p. 12.*) ſolatium fuit.

Vſui tam interno quam externo omnino ſufficeret Opium crudum deſcripto ſuperius modo ex capitulis ſtirpis erutum, nec alii praeparationi ſubiectum, quam illi, qua a terra, arena aliisque peregrinis particulis vel ſordibus liberatur. Ita ſenſerunt SYDENHAMVS (*Oper. p. 186.*), WEDELIVS (*Opiol. L. 1. Sect. 2. c. 6. p. 69.*), YOVNG (*l. c. p. 172.*) multique alii ſummi Opii fautores, idemque euicit innumeris vicibus capta experientia. Hocque ſine peregrina vlla miſcela in pilulas vel in puluerem ſacchari ſimiliumue inertium ope redactum, quo tanto facilius in ventriculo ſubigatur, vel ſolutum in commodo menſtruo ingeri poteſt. In definienda eius doſi autem ſponte patet, pro norma eſſe non poſſe ingentem iſtam quantitatem, quae orientalibus gentibus arridet (Vid. ſupra

pra *p.* 232.), nec eam, quam et in Europa quidam eadem consuetudine indurati impune tulerunt; vt drachma integra, quam Rostochiensis quidem pharmacopola ad leuandos arthriticos dolores deglutiuit (SIM. PAVLLI *Quadrip. bot. p.* 466.), et eadem alio exemplo dosis, cui femina Hafniensis initium a granis capiendo, adeo assueuerat (BARTHOL. *Act. Hafn. Vol.* 2. *Obs.* 20. *p.* 50.), vt iterandi illam quotidie necessitas subesset; vel mensura cochlearium paruorum quatuor Laudani liquidi Sydenhami, quam per duodecim annos homo quidam sine somno subsequente quotidie sumsit (YOVNG *l. c. p.* 104.). In melancholia autem vel mania, nec non spasmis vel conuulsionibus dirioribus, tantopere turbata est neruosa vel muscularis natura, vt eae doses Opii et repetitiones ferantur, quae apud alios ipsam vitam necessario pessumdaturae essent. Inassueti omnium maxime eodem afficiuntur, vt in hisce iisque adultis, quarta grani pars, granum dimidium vel integrum insignem effectum exerceat. Raro hisce grana duo vel tria concedi vno praebio possunt. Assuetis adultis grana quatuor, quinque, plura, donec exspectata vis emergat, ALSTONVS (*Med. Essays of Ed. Vol.* 5. *p.* 172.) permittit. Sed praestat, si continuatione eius opus est, nisi mora periculosa, vt in terribili isto spasmorum vniuersalium genere, illud partitis portionibus porrigere, et sperati effectus ratione habita, vel iterare breuiori-

bus

bus ſiue longioribus interuallis praebia, item augere pro neceſſitate quantitatem, vel ſi ſiniſter euentus inde contingit, omnino Opium omittere. Quoniam vero illud, ſi frequenter ſumitur, ſua vi ſenſim exuitur, ſub continuato vſu doſin adaugeat aeger neceſſe eſt. Quantitas, quae inaſſuetos necaſſe obſeruata, varia perhibetur, drachma vna, grana viginti duo, duodecim, imo ſeptem, quatuor (V. HALL. *Elem. Phyſiol. T. 5. p. 612.*). Cauſa effectus aequalis a diſpari mole in peculiari quadam corporis peruerſa diatheſi omnino quaerenda eſt, et ſaepe ſine dubio mors non a mole, ſed intempeſtiua eius adminiſtratione dependit, e. c. in eo, qui, poſt tartari emetici grana quinque ingeſta, *Laudani guttas viginti ad turbas* compeſcendas ſumſerat (STEDMANN in *med. Eſſ. of Ed. T. 4. p. 37. ſq.*).

Significanda iam auxilia, quibus ſuccurritur iis, qui vel malo conſilio vel fortuito caſu vel imperitia quadam Opio abuſi periculoſis variis ſequelis conflictantur. Cauſa horum ſaepe ſtudioſe celatur medico, quae, niſi percontando detegi poſſit, non ambigua tamen euadit temulentia, delirio, ſopore vel et conuulſionibus, pruritu cutis, ſudoribus profuſis, ſaepe Opium ſpirantibus, facie inflata rubente, ſub pulſu veloci et reſpiratione difficili celeri. Haec ſi adſint, quantocyus tentandum, an vomitus ciëri poſſit vel aqua tepida, in qua butyrum vel oleum diſ-

flu-

fluxit, accedente faucium per digitum siue plumam oleo madidam irritatione, vel tartaro emetico, vel, si ventriculus iam sensu fere et irritabili sua vi orbatus fuerit, vitriolo albo (HEBERDEN in *med. Transf. Vol. 2. p. 220.*). Mora autem paralyticus fit ventriculus, vt nec acre remedium vellicet, vel spasmis ita contrahuntur pharynx et oesophagus, vt nihil deglutiri possit, quo posteriori casu per canalem metallicum demitti iubet BOERHAAVIVS (*Praelect. T. 6. p. 388.*) commoda remedia. Tum vena secanda est, vt velocitas visque sanguinis minuatur et caput a nimia eiusdem mole liberetur, quo consilio et maxime interest, hirudines collo et temporibus applicare. In vsum quoque vocanda, si fieri potest, purgantia vel clysmata stimulantia. Confert et reuulsionis fine fricare pedum plantas scopulis, hisque sinapismos imponere. Summa vero infringendi Opium, vt alia narcotica, potestas acidis inest, quo scopo acetum aqua dilutum potare, spongia quoque illud idque calidum ante nares tenere et eodem frontem et tempora fouere e re est. Ad antidota eius quoque referenda Ipecacuanha est, ex obseruationibus Anglorum, de qua vi iam antea (Vid. *Appar. med. T. 1. p. 539.*) notabilem casum recensui, et puluis DOVERI mox fusius persequendus insuper indubium documentum praebet. Imo Coffeae infusum eneruat vim narcoticam Opii experimento Turcarum et Arabum (PERCIVAL'S *med. Essays*

fays Vol. 2. p. 128.). Et licet Laudani liquidi guttae octodecim poſt prandium captae in medico quodam alias ſomnum concirent, hic tamen prohibitus fuit tribus cyathis infuſi ſaturati Coffeae immediate poſt ſuperbibitis. Rediit autem ſomnus ſub alio experimento, omiſſa Coffea (EIVSD. *phyſ. et med. Eſſ. p. 269.*).

PRAEPARATA PAPAVERINA.

OLEVM PAPAVERIS EXPRESSVM *Ph. W. p. 127. Ph. Pariſ. p. 114.* Ex ſeminibus Papaueris albi. De hoc ſupra iam egi *pag. 217.*

SYRVPVS PAPAVERIS ALBI *Ph. W. p. 215.* Ex decocto capſularum (nondum perfecte maturarum) cum ſeminibus et ſaccharo. Vim blande anodynam praeſtat; hinc in tuſſi, vigiliis protractis, inquietudine animi vſurpatur vel ſolus ad vnciam dimidiam, drachmas ſex ſupraque, item in emulſionibus et mixturis. Seminum additamentum ſuperfluum, imo eneruare videtur vim anodynam. Hinc praeferendus

SYRVPVS E MECONIO ſ. DIACODION *Ph. Lond. p. 80.* qui ſemina excludit. Inſtar mitiſſimi paregorici praecipi ſolet, vnde apud infantes crebrius vſu venit, quibus Opium plerumque ſcrupuloſius offertur. Vncia vna tamen huius ſyrupi grano circiter Opii (LEWIS *M. m. p. 430.*) vel guttis ſedecim Laudani

dani liquidi (SYDENH. *Oper. p. 376.*) ſuppar cenſetur. Atque huic in eo praeferendus, quod minus calefaciat (SYDENH. *p. 372.*). Omnes vero eae cautelae, quas Opii felix adminiſtratio requirit, ad hunc etiam ſpectant. Doſis non aegri aetati ſed naturae morbi et ſymptomatum vehementiae adaptanda, et, niſi prima ſufficiat, iteranda alia atque alia, poſt commoda interualla, donec voti compos aeger fiat, et tum minuenda. Ita ad mitiganda incommoda ex dentitione difficili tutiſſimum eſt omni ſemihorio eius ſcrupulum ſemis infanti ingerere, et intermittere, vtprimum tranquillitas reſtituatur; inter quae tamen non topica emollientia negligenda, et Electuario de Manna ſoluenda aluus, ne in detrimentum torpeat. In caſu diriori opus maiori doſi eſt, vel ſyrupi doſi gutta vna vel altera Laudani liquidi inſtilletur (ROSENSTEIN *Barnſjukd p. 36 ſq.*). Ad ſedandos dolores infantum lactantium ab aphthis nutrix ſyrupi drachmas duas capiat, ſi vero lacte mammae turgeant, drachmas tres vel quatuor (IDEM *p. 44.*). Hoc nominatim paregoricum eſt, quod SYDENHAMO (Vid. e. c. *Oper. p. 372.*) totque eius aſſeclis adeo ſeſe probauit in variolis, cuius vnciam vnam ad ſeſquiunciam ille adultis pro doſi conceſſit.

SYRVPVS DIACODION *Ph. W. p. 209.* Ex capitibus Papaueris, Siliqua dulci, radice Liquiritiae aqua coctis, addito dein ſaccharo. *Ph. Danica p. 254.*

omittit iure Siliquam dulcem, ſed capita Papaueris Rhoeados recipit. Tuſſi mitigandae nominatim deſtinatur, licet omnino et alias anodynas vires exſerat. Infantibus lingendus datur ad drachmas duas, adultis ad vnciam ſupraque. Debilior praecedente, hinc et ad vncias vsque duas in variolis propinare illum non dubitauit HAENIVS (*Rat. med. cont. T. 2. p. 87.*).

SYRVPVS, DIACODIVM CROCATVM *Ph. W. loc. cit.* Eſt praecedens Croco mixtus. Calidior igitur magisque anodynus.

PRAEPARATA OPIATA.

Opium crudum licet omnis generis praeparatis praeferri mereatur, tot tamen artificiis luſit humana induſtria in Opio, vel, vt ipſi quidem crediderunt ſe efficere poſſe, corrigendo, vel commodius exhibendo, vt ſigillatim illa omnia enumerare longi temporis negotium eſſet, operam vix rependens. Quidam toſtione vel et fermentatione, quod noxium ineſſe Opio arbitrati ſunt, diſpergere tentarunt, alii, reſinoſam partem metuentes, Opium aqua ſoluendum et dein inſpiſſandum duxerunt, alii contra ſpirituoſa emendando illi optime inſeruire vel efficaciores partes eruere exiſtimarunt. Nonnulli acidis mitigare acrimoniam eius ſtuduerunt, aliis hanc vim ab alcalinis exſpectantibus. Magna medicorum cohors, qui neſcio quidnam glacialis frigoris ineſſe Opio ſomniarunt, acria va-

varia, aromata *calidiſſima*, reſinoſa, ſalia volatilia, Crocum, olea aetherea rel. addiderunt. Vnde portenta iſta *pharmaceutica*, Theriaca, Mithridatium, Electuarium *Diaſcordium*, aliaque ſimilis fecis emerſerunt. *Purgantium*, diureticorum, neruinorum etc. miſcela exiſtimarunt effectibus quibusdam moleſtis cum commodis ex Opio iunctis obuiam iri poſſe. Caſtorei ſeorſim in hoc corrigentium *putatitiorum* catalogo mentio fieri debet, quod iam GALENI, TRALLIANI, AVICENNAE plauſum ferens, inter ſeriores celebratiores viros, SENNERTO et BAGLIVIO ſeſe approbauit, et proxime cl^mo GARNIER (*Rec. period. T. 4. p. 304.*). *Certiſſimum autem eſt, varia hacce praeparationis ſollertia* vel caſtrari Opium benefica ſua virtute, vel miſcela multiplici peregrinas alias vires illi impertiri. Maxime intereſt, ſeruare Opii vaporoſam iſtam ſiue volatilem partem, qua dixi (*p. 224.*) illius vires praecipue contineri, cuius aliqua portio non poteſt non, quamcunque Opium per *ignem* vel fermentationem praeparationem ſubeat, *ſufflaminari*. Acidi autem additamento, vtpote corporis contrariae naturae, debilitatur nimium. Debilitare autem medicamen, an idem eſt, ac corrigere? Qui ſpirituoſa, aromata aliaque *calida*, addunt, manifeſte Opii calidum et acrem genium inſigniter intendunt. Non perinde igitur eſt, quo opiato vtaris. EXTRACTVM OPII SPIRITVOSVM vel ſolutionem eius ſpiritu

vini factam efficaciorem esse Opio crudo, experimenta tam in brutis quam hominibus instituta probant, sine dubio ideo, quod spiritus vna cum resina plurimum volatilis portionis Opii in se recipiat, liberatum quoad maximam partem a gummosis et terreis compedibus. Non facile vero fert ventriculus praeparata ista spirituosa, sed ob acrimoniam eorundem vomitu vel et alui deiectionibus excutiuntur; vnde omnino fere vsus eorum medicus internus hodie repudiatur.

EXTRACTVM OPII AQVOSVM. Si rite paratum fuerit, multum adhuc seruat halituosae Opii partis, et tantillum resinae ob arctam eius cum gummi copulam. Quo minus calida est aqua pro solutione, quo blandior pro inspissatione ignis gradus, et quo angustius vas in quo ista perficiatur: eo efficacius est extractum. Vt praeterea a resina, quantum fieri potest, liberetur: copia aquae eaque frigida requiritur. Multis modis contra hasce simplices regulas a pharmacopolis peccatur, adeo vt valde differat extractum aquosum vnum ab altero, nec mirum sit, quibusdam iusto imbecillius extractum aquosum videri. EXTRACTVM OPII in *Ph. W. p. 94.* descriptum non satis bene aqua succo citri acidulata paratur, maleque omissum, calida an frigida conducat. *Ph. Danica p. 176.* pariter temperiei aquae non meminit. Secundum vtramque formulam, ob aquae copiam, resinae notabilis iactura efficitur. Ad OPIVM

CO-

COLATVM ſ. EXTRACTVM THEBAICVM *Ph. Lond. p. 23.* item *Ph. Suec. p. 112.* bulliente aqua pro ſolutione vtitur, eaque parca. Omnes hae modico igne ſpiſſandum iubent. Duplo maiori doſi, quam Opium crudum, dari poteſt genuinum extractum (TRALLES *de Op. Sect. 1. p. 237.*), ſoletque plerumque ſub hac lege Opio crudo ſubſtitui.

PANACEA LIQVIDA OPII cl. IONES (*Myſtery of Opium revealed*) eſt ſolutio aquoſa colata, liquidam formam ſeruans. Ob formam placet, etiam infantibus ad guttam vnam vel alteram exhibenda.

EXTRACTVM OPII ſ. OPIVM CYDONIATVM PER FERMENTATIONEM *Ph. W. p. 94.* *Succus cydoniorum aquae* pro ſolutione additus, vt acidum, Opium eneruat, quod vlterius facit fermentatio ſubſequens, praecipue in vaſe leuiter tecto. Huic diſpendio virium aliud ex copia ſacchari addas. Mirum ſane, quod Pharmacopoeae dictae auctores exaltari hac praeparatione Opii vires aſſerentes, parciorem longe eius quantitatem quam extracti aquoſi iniungant. Rariſſimi vſus.

LAVDANVM OPIATVM *Ph. W. p. 104.* Conſtat ex extracto Opii aquoſo, Croco et Opobalſamo, quod creditum eſt narcoticam Opii vim vtiliter infringere. Crocus hic ſuperfluus. Doſis a grano dimidio ad tria in *Ph. W.* aſſignatur; ſed ſolidioribus medicis non amplius arridet.

ESSENTIA ANODYNA OFFICINALIS *Ph. W. p. 76.* Est extractum Opii aquosum in nouem partibus aquae Cinamomi spirituosae solutum; ita vt Opii granum vnum in scrupulo dimidio essentiae comprehendatur. *Rarius hodie in Germania frequentatur.* Conuenit fere omnino cum TINCTVRA THEBAICA vulgo LAVDANO LIQVIDO *Ph. Edinb. Ed. nouiss. p. 86.* Nec multum discrepat TINCTVRA THEBAICA *Ph. Holm. p. 200.*, etsi spiritui vini aqua Cinamomi seorsim pro solutione additur. Formula *Ph. Lond. p. 67.* autem Opium colatum, Cinamomum, Caryophyllos in vino albo macerari iubet; Anglis suetissima.

LAVDANVM LIQVIDVM SYDENHAMI *Ph. W. p. 104.* Formula eadem plane illuc inserta est, quam auctor suppeditat in *Opp. p. 185.* et quae conflatur ex Opio, Croco, Cinamomo, Caryophyllis et ea quantitate vini Hispanici, vt eius drachma vna Opii grana decem et Croci grana quinque circiter contineat. Vulgatissimum fere omnium opiatorum, et vel commoda sua forma placens, licet non careat suo vitio ob Crocum et addita aromata, quibus saepe praeter rem iusto calidius redditur. Hinc et compendia ista praeparationis in praecedente articulo recensita. Adultis eius guttae sex, octo, sedecim supraque per os exhibentur, idque commode in frustulo saccharo; mixturisque crebro additur. De vtilitate eius exi-

eximia in clysteribus supra (*p. 284.*) exempla adfuerunt.

PILVLAE DE CYNOGLOSSA *Ph. W. p. 138.* Crebro praecipiuntur inprimis a medicis Germaniae, a granis binis ad quinque. Plura alibi (*Artic. de Cynogloſſo, App. med. T. 2. p. 104.*) iam de iis exposui.

PILVLAE DE STYRACE *Ph. W. p. 140.* Analogae mox dictis, etsi rarioris quam istae praescriptionis. A granis quatuor ad octo capiuntur. Pluribus iam de hisce (*Art. de Styrace, App. med. T. 2. p. 84.*) egi. Simplicior, vti dixi, compositio pilularum huius nominis in *Ph. Lond. p. 96.* exstat.

THERIACA ANDROMACHI *Ph. W. p. 50.* *Electuarii species, luxuriantis ingenii soboles,* quam vna cum multis efficacibus, copia partim inertium, partim superfluorum ingrediuntur. Composita Neronis tempore. Nomen tulit a vi illi adscripta morsus et ictus venenatorum animalium eneruandi, et additis viperarum trochiscis, quos ἀρτισκους θηριακους Graeci dixerunt. Admiscuerunt quicquid theriaco scopo commodum iudicarunt; et quum simul exhilarare animum eodem cuperent, Opium Crocum et aromata addiderunt. Noua vero accessit farrago ob correctionem, qua Opium illis indigere visum est. Sensim in lugendam tot hominum cladem ad miasmata morbosa extensa est eiusdem virtus, et commune malignitatis remedium est repu-

tata. Sic ex vno errore in alterum saepe deuiat humana mens. Plebis panacea in acutis, sed ob calidam et sudoriferam naturam in hisce valde noxia. Potior vis ab Opio, cuius grana sex vnciae cuilibet insunt. Drachmae duae vel tres assignantur pro dosi. Vsus interni varia iam hinc inde exempla suppeditata sunt. Crebrius a medicis extrinsecus applicatur, circumspectione debita obseruata, ad sedandum vomitum, tormina, diarrhoeam, dysenteriam, dum supra alutam extenditur, vel in profluuiis dictis aluo iniicitur. Carere vero in vniuersum potest solidior medicina monstro hocce pharmaceuticae artis. Sicco hinc pede transeo correctionem s. THERICAM COELESTEM QVERCETANI *Pharm. dogm. restit. p. m. 528. sq.* item in *Ph. Brand. p. 201.* repetitam, qui auctor rescindens mellis vbertatem tanto liberalius pro more seculi terrea varia aliaque vix a corpore nostro soluenda adiecit: item THERIACAM COELESTEM WVRTENBERG. (*Ph. W. p. 222.*) compositionis arcanae. Simulacra modo grandaeuae illius ANDROMACHI compositionis sunt THERIACA EDINENSIS *Ph. Ed. p. 78.* et illa *Pharm. Suec. p. 193.* vtquae ad octo modo symbolas formulam contraxerunt, ambae tamen inter se in quibusdam discrepantes.

MITHRIDATIVM DAMOCRATIS *Ph. W. p. 47.* Similis nostrae formula a MITHRIDATE, Ponti rege, profecta fertur, quam inter arcana eius victo-

victorem POMPEIVM inueniſſe narrant. Seriori paullo tempori, nempe DAMOCRATIS, Neronis Archiatri, tribuas adhuc ſuperſtitem. Simili farragine hoc electuarium, vt Theriaca conſtat, ſimilisque efficaciae opinionem prae ſe tulit. Opii autem tertiam modo partem continet, ſcilicet vncia vna grana eius tantum duo. Doſis, drachma vna ad vnciam ſemis (*Ph. W.*). Cenſura vero prior huc redit.

PHILONIVM ROMANVM *Ph. W. p. 48.* Antiquiſſimum omnium opiatorum, quae PHILONEM Tarſenſem, Aſclepiadeae gentis medicum, auctorem agnoſcit. Non tamen hodierna genuina formula eſt. Breuior, quam *reliquorum electuariorum opiatorum. Veteres plurimum virtutis illi tribuerunt*, hodie fere omnino neglectae. Cuilibet eius drachmae granum vnum et ſemis Opii ineſt, vnde doſis conſtitui poterit.

ELECTVARIVM DIASCORDIVM FRACASTORII *Ph. W. p. 46.* De hoc vid. *Artic. de Scordio* ſupra *pag. 117. ſq.*

ORVIETANVM *Ph. W. p. 133.* Omnium dictorum electuariorum ſtolidiſſimum, nam compoſitionem largam et inconcinnam adhuc auget Theriacae et Mithridatii additamentum, Dignum igitur circumforaneo, HIERONYMO FERRANTE, ex vrbe Oruieto, monimentum. Etiam hoc verſipelli alexipharmaci titulo honoratum. Pro doſi drachmae duae ad vnciam dimidiam indicantur.

PVLVIS ANODYNVS DOVERI, *Dr. Dover's Powder.* Frequens Anglorum tam in nosocomiis, quam priuata praxi, eiusdem vsus iniungit, vt praeter pauca ista, antea de eo dicta (V. *Appar. med. T. 1. p. 539.*), vberius illum hic persequar. Formula eius haec est: ℞. Nitr. Tart. vitriol. ana ʒiv. In crucibulum candens iniecta agita donec deflagratio et scintillatio desinat, adde Opii concis. ʒj et in puluerem redige adiiciendo Rad. Glycyrrh. Ipecac. subtiliss. pulueris. ana ʒj. M. probe. Ita variis locis describitur in MONRO's *Account of the milit. diseas. p. 299. Chirurg. Pharmacy p. 344. Med. Pract. of Lond. Hosp. p. 18.* Dosis ibidem a gr. decem ad drachmam dimidiam, scrupulos duos imo ad drachmam vnam, permittitur. Paullum differt formula in nosocomio St. Thomae Lond., sub nomine *Sweating Powder*, vsitata, scilicet: ℞. Opii Ipecac. ana gr. ij Tartar. vitriol. Nitri ana gr. viij. MF. puluis, dandus pro vnica dosi (*Lond. Hosp. p. 69.*); quae miscela tamen sub Doveri nomine in nosocomio St. Georgii vsu venit. Opium et Ipecacuanha praecipua sunt, quae posterior prioris vim ita mitigat, vt puluеris ampla dosis innocue ingeri possit. DOVERI puluis est efficax valde sudoriferum et anodynum (*Lond. Hosp. p. 128.*). Sudor stragulis in lecto et potione diluente calida copiosa ali et augeri solet. Insigne leuamen afferre in inflammationibus topicis magno calore et tensione stipatis traditur (*Chir. Pharmacy*

macy p. 345.). Rheumatiſmum chronicum egregie diſſipat veſperi data ad grana viginti vel viginti quinque (PRINGLE *Diſ. of the army p. 162.*) vel ad gr. triginta (*Lond. Hoſp. p. 18.*), quae doſis adeo bis de die hebdomadis ſpatio exhibita (BROCKLESBY *oec. and med. Obſ. p. 131.*); alterna quauis veſpera porrigitur ſecundum formulam dictam noſocomii St. Thomae. Doſi omnium maxime prodigus fuit cl. BROCKLESBY, qui ſubinde intra nychthemerum eius drachmas duas exhibuit, quae Opii grana ſex et ſubinde plura comprehenderunt. Porro ad finem dyſenteriae quibusdam aegris profuit excitando ſudores et dolores ſopiendo, *alii tamen male inde ſeſe habuerunt* (MONRO *on milit. Diſeaſ. p. 84.*). Hydropem quoque aliquando ſuſtulit ad ſcrupulos duos captus ſudore, qui adiutus decubitu inter ſtragulas per complures horas fuit (BROCHLESBY *l. c. p. 278.*).

Numeroſa, praeter dicta, compoſita in *officinis Germaniae* Opium recipiunt, quorum vero pleraque exoleuerunt. Nominibus ideo ſolis acquieſcere licet, idque eorum, quae Pharmacopoea Wurtenb. recenſet: LAVDANVM HYSTERICVM *Ph. W. p. 204.*; LAVDANVM DIVRETICVM *l. c.*; EXTRACTVM ANODYNVM *p. 39.*; REQVIES NICOLAI *p. 49.*; BALSAMVS ODONTALGICVS *p. 30.*; ESSENTIA ANODYNA LVDOVICI *p. 76.*; TINCTVRA BEZOARDICA LVDOVICI *p. 224.*; TINCTVRAE ALIAE BEZOAR-

ZOARDICAE *l. c.*; TINCTVRA ODONTALGICA *p. 229.*; AQVA THERIACALIS SIMPLEX *p. 23.* COMPOSITA *p. 23.*; SPIRITVS THERIACALIS *p. 199.*; SPIRITVS THERIACAL. CAMPHORATVS *l. c.*; PVLVIS ANODYNVS LVDOVICI *p. 144.*; PILVLAE POLYCHRESTAE STARCKEII *p. 140.*; PILVLAE SOLARES WILDEGANSII *l. c.* TROCHISCI DE CARABE *p. 235.*; EMPLASTRVM ODONTALGICVM *p. 69.*

Ex *Anglis Pharmacopoeis* addenda ELIXIR PAREGORICVM *Ph. Ed. p. 44.* PILVLAE SAPONACEAE *Ph. Lond. p. 95.* PILVLAE PACIFICAE *Ph. Ed. p. 85.* BALSAMVS ANODYNVS ſ. BATEANVS *l. c. p. 94.*

CHELIDONIVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 406. Gen. pl. p. 262.*

279.

Pharm. CHELIDONII MAIORIS *Herba; Radix.*

Chelidonium maius; pedunculis vmbellatis LINN. *Spec. pl. p. 723.* Chelidonium maius vulgare C. B. Χελιδονιον μεγα DIOSC. et aliorum veterum: Icon: *Fl. Dan. Tab. 542.* REGNAVLT *Botan.* la Chelidoine. Pl. perennis, locis ruderatis et ad ſepes copioſiſſima.

Odor

Odor totius ſtirpis recentis ingrate grauis, praecipue radicis, quae eo refert Mucorem ſepticum L. Inſidet plantae amarities, cum acrimonia iuncta, tenax, vt a contrectantibus digitis lotione difficile abſtergatur. Scatet ſucco crocei coloris, qui ſaturatior eſt in radice. Siccando vel extractione acrimonia eius mitigatur inſigniter, odorque herbae in integrum perit. Olim frequentioris in praxi medica vſus, quam hodie, commendatione tamen digniſſima ſtirps. Vires HERBAE et RADICIS ſimiles, modo agnoſcas huic eſſe potiores.

Radix ramoſa, dum recens, bruno rubicunda, ſiccata nigra. *Vtraque pars reſoluit aperitque et abſtergit efficaciter, ita vt in obſtructione* varia viſcerum morbisque ab ea prouenientibus, nec non in cutis variis vitiis, opem haud mediocrem eroget.

Ictteri remedium iam antiquitus reputatum, ſed reſtringendum ad eum, qui absque inflammatione eſt. Radicem cum Aniſo ex vino albo potatum illi mederi notat DIOSCORIDES (*M. m. Lib. 2. cap. 211.*), absque Aniſo autem GALENVS (*de ſimpl. Lib. 8.*) memorat. Eadem FORESTO (*Obſ. et Curat. Lib. 19. Obſ. 40.*) placuit, ſed ex cereuiſia decocta. Arcanum in icttero vocat LENTILIVS (*Miſcell. med. pract. p. 229.*). In hunc quoque finem vel radicis vel foliorum infuſum aquoſum vel radicis puluis ad drachmam dimidiam ſupraque exhiberi poteſt. Suadetur et ſerum lactis, in quo folia frigide

gide macerata, cum cremoris tartari tantillo capere (CHOM. *Vſuell. T. 2. p. 80.*). Commodiſſime extractum eius, vino ad mitem ignem paratum, offertur a ſcrupulo vno ad duos per diem, aqua deſtillata ſolutum. Sicque tam in ictero quam aliis morbis ex obſtructione viſcerum, glandularum meſenterii, vel lymphae ſpiſſitudine prouenientibus, per aliquot hebdomades continuatum, voto ſatisfacit (LANGE *de med. Brunſv. dom. p. 124. ſq.*). Hocce extractum aceto ſcillitico ſolutum infarctos pulmones poſt ſcreatum pituitae praegreſſum liberauit (IDEM.). Lienem dolentem et tumidum ſuccus ex tota planta expreſſus et vino vel cereuiſia et ſaccharo temperatus ſanauit (SENNERT. *Epiſt. Cent. 1. Epiſt. 36.*).

Tranſeo ad efficaciam in febre intermittente. Hanc tollere fertur praemiſſo emetico ſuccus herbae expreſſus ad guttas tres vel quatuor aliquot cochlearibus vini ſumtus, vel et infuſum radicis ante paroxyſmum ingeſtum (WAGNER in *Eph. Nat. Cur. Dec. 2. Ann. 9. p. 60.*). Vereor, ne guttae iſtae paucae ſucci parum effectus praeſtent. Quantitatem autem cochlearis dimidii vel integri cum vino capiendam (HÜNERWOLFF in *Eph. N. C. Dec. 3. Ann. 2. p. 120.*) vix praeterquam robuſtis exhiberem. Binis exemplis eius cochleari dimidio bis per diem dato tertianam profligauit ill. LINNEVS (in TILLAEI *Diſſ. de varia febr. interm. curat. p. 29.*). Plebs Brunſuicenſis eodem fine

fine vel puluere radicis ad drachmam circiter vnam cum aceto vel et ſucco herbae aceto ſimiliter remixto vtitur (LANGE *l. c. p. 122.*). Sudor poſt vſum erumpit copioſus, qui ſollicite lecti fotu alendus (WAGNER, LANGE.). Praebium repetatur bis vel ter pro neceſſitate.

In hydrope, contracto ex abuſu ſpiritus vini, Warſouienſes herbae et radicis ex cereuiſia infuſum potant, vnde lotium copioſe manat (ERNDTEL *Warſauia phyſ. illuſtr. p. 190.*), et ſaepe emerſiſſe feruntur.

Podagricis et calculoſis commendatur inſtar Theae (CRAMER in *Act. Berol. Dec. 2. Vol. 8. p. 45.*).

Sunt et externi morbi, quibus Chelidonium dicarunt. Horum ex cenſu ſunt inde a vetuſto tempore oculorum affectiones. Succum cum melle in aereo vaſe coctum adiuuare oculorum aciem DIOSCORIDES (*l. c.* Cfr. RHASES) monet. Nec minus contra initia ſuffuſionis valere quidam ſibi perſuaſerunt; quo fine extracti quantum aequaret magnitudinem capitis aciculae mane oculo immiſit, item aquam deſtillatam applicauit HILDANVS (*Cent. Epiſt. n. 59.* in *Oper. p. 1003.*). Fateor, me non ſatis fidere topicis iſtis contra cataractam iactatis, et vereri, ne, confundendo viſum imminutum a ſuffuſione cum illo, qui a maculis leuioribus corneae oriatur, varia remedia immeritis encomiis cumularint. Ad delendum oculorum

rum pannum vel nubeculas, extractum pariter applicatum (HILDAN. *l. c.*) vel succus aliquoties de die oculo instillatus (*A. N. C. Vol. 2. Obs. 77.*) profuit. Audiendi tamen *et ii*, qui frustra hocce remedium aliquando tentarunt (LANGE *l. c. p. 125.*). Vim humores oculi effusos resarciendi, quam BVRRHVS de succo hocce iactitauit, iustius vnice aqueo humori, sponte naturae beneficio perfossa cornea confluenti, acceptam referimus, (Cfr. TH. BARTHOL. in *Act. Hafn. Vol. 1. Obs. 132. 133.*), vt manifeste docet cataractae extractio. Aqua eius destillata passim pariter ophthalmica depraedicatur (LVDOVICI *Oper. p. 208.*). Vnde *et collyria intrat*, vt aquam ophthalmicam ST. YVES; sed, *quantum equidem teneo, irrita spe.* — Pauci in recensione virtutum efficaciam succi vel herbae contusae et extrinsecus applicatae in herpete omittunt. Existimo conuenire in ea modo specie, quae topico vitio ab humore acri, cui per vesicantia exitus parari potest, nec labe humorum vniuersaliori consistit. — Nempe adeo acrem succum vehit, vt verrucas molliores, iis illitus, exedat (HEIST. et PLATN. *Chirurg.* in *capp. de Verrucis*). Laus eiusdem in depurandis sanandisque vlceribus ad vetustiora pariter (ARNOLDI DE VILLANOVA *L. 5. Brev. pract. c. 21.*) ac seriora tempora pertinet (LANGE *l. c. p. 124.*).

PRAE-

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

AQVA CHELIDONII MAIORIS *Ph. W. p. 6.*
Vix prae ſimplici aqua deſtillata vllam praerogatiuam habet.

DECOCTVM AD ICTERICOS *Ph. Ed. p. 54.*
Inter alia radicem cum foliis ſtirpis recipit.

ORDO XXII.

PVTAMINEAE.

CAPPARIS.

LINN. *Syſt. veg. p. 405. Gen. pl. p. 261.*

280.

Pharm. CAPPARIDIS *Gemmae conditae; Cortex.*

Capparis ſpinoſa; pedunculis vnifloris ſolitariis, ſtipulis ſpinoſis, foliis annuis, capſulis oualibus, LINN. *Spec. pl. p. 720.* Capparis ſpinoſa fructu minori, folio rotundo C. B. Καππαρις DIOSC. Icon: BLACKWELL *T. 417.* Frutex ſarmentoſus, creſcens in muris petrisque Europae auſtralioris, nominatim Gallo-Prouinciae, Hiſpaniae, Italiae, vti et Orien-

tis. Colitur in Prouincia circa Telonem Martium. Plantae horti botanici noſtri inermes ſunt.

GEMMAE (des Capres) virides, h. e. flores nondum expanſi, qui igitur conſtant ex calyce tetraphyllo, corolla tetrapetala, ſtaminibus numeroſis et piſtillo vno, lentis vel piſi magnitudinis, maxime hanc ſtirpem celebrarunt, ſiquidem rite praeparatae intinctibus carnium piſciumque inſeruiunt. Quo minores, eo magis placent, tantoque carius veneunt. Differt vero magnitudo pro aetate gemmarum varia. In Prouincia ſine delectu maiores minoresque colliguntur: ſed conditae iam per cribra transmittuntur, vt diſpeſcantur ſecundum magnitudinem diuerſam (DU HAMEL *Traité des arbres T. 1. p. 121.*). Ita vero condiuntur: decerptae in vmbra per tres vel quatuor horas reponuntur, donec flacceſcere incipiant, dein aceto per octo dies macerantur, quibus exactis eximuntur leniterque premuntur, et iterum aceto perfunduntur per idem ſpatium, quod et dein tertium fit; tum in doliis ſeruantur cum aceto, cui quidam ſalem adiiciunt. Hac ratione per triennium ſeruantur integrae (RAII *Hiſt. pl. Tom. 2. p. 1629.* item GEOFFROY *M. m. Traité T. 5. p. 431.*). Noxio valetudini artificio, vt gratiori viredine tingantur, aliquando vaſe cupreo macerantur. Conditae etiamſi fuerint, acrimoniam tamen et amaricantem ſaporem retinent, nec cuilibet palato in deliciis ſunt. Dabo, ad ciborum appeti-

petitum augendum et concoctionem facere. An obstructiones hepatis et lienis vere resoluant, vlteriori experientia dirimi debet. Capparidibus vnice et aqua, in qua faber ferrarius saepe ferrum candens exstinxit, septennis induratio et tumor lienis dissipatus (BENIVENIVS *c. 105. de abditis* in SCHENCKII *Obs. medic. p. 427.*). Non male pro vsu cibario hodie gemmae similes Tropaeoli substituuntur.

CORTEX ex radice deglubitur, quae ipsa ampla lignosa. Ille vero crassus albidusque est, conuolutus, calami cygnei amplitudinis, saporis nonnihil aromatici, subamari et subacris. Adstringere auctores tantum non omnes, vt FORESTVS (*Oper. Lib. 20. Obs. schol.*) SIM. PAVLLI, HERMANNVS, LINNEVS affirmant: solutio tamen vitrioli martis inde non nigrescit (ALSTON. *M. m. Vol. 1. p. 371.*). Et quae veteres, quibus insigni in pretio fuit, de eo recensent, ad aperiendi vim potissimum et abstergendi pertinent. Nempe praecipue in obstructionibus lienis, in mensium suppressione, malo ischiadico, in strumis discutiendis, porro in vlceribus expurgandis praeceperunt (DIOSCOR. *M. m. Lib. 2. cap. 204.* GALEN. *de simpl. L. 7.* PLIN. *Hist. nat. Lib. 20. cap. 15.*). Humores deprauatos eius ope per lotium eliminari, quin interdum per deiectiones sanguinolentas (DIOSCOR. GALEN. *loc. citt.*). Seriores varii medici lieni obstructo referando nominatim il-

lum dicarunt, vt videre eſt apud FORESTVM (*l. c. Obſ. 2. et 3.*) et SENNERTVM (*Pract. Lib. 3. P. 4. c. 2. et 3.*), ſed inter tot alia ſeſquipedalibus formulis. Deſpicitur hodie.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

OLEVM CAPPARVM *Ph. W. p. 122.* Complectitur corticem hunc aliaque aperientia, vt creduntur, vino infuſa, dein oleo oliuarum cocta. Reſoluere, praecipue lienem induratum, perhibent.

RADICVM QVINQVE APERIENTIVM MINORVM numerum radix Capparidis intrat.

ORDO

ORDO XXIII.

SILIQVOSAE ſ. CRVCIATAE.

a) SILIQVOSAE *proprie ſic dictae.*

SISYMBRIVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 497. Gen. pl. p. 338.*

281.

Pharm. NASTVRTII AQVATICI *Herba.*

Siſymbrium Naſturtium; ſiliquis declinatis, foliis pinnatis, foliolis ſubcordatis LINN. *Spec. pl. p. 916.* Naſturtium aquaticum ſupinum C. B. Καρδαμινη ſ. Σιον DIOSC. Icon: *Flor. Dan. Tab. 690.* Pl. biennis, ad riuos certe in Germania copioſe creſcens, per totam hiemem viridis. Caue, ne confundatur cum *Cardamine amara* L. ſ. Naſturtio aquatico maiori et amaro C. B. *Prodr. p. 45. c. ic.* quod tanto facilius, quum ſaepe mixtim cum altera occurrat. Sed in Cardamine dicta caulis elatior, corymbus vltra folia prominens, folia magis oblonga et anguſtiora, petioli erectiores, flores maiores, ſapor herbae magis amarus. LINNAEVS addit axillas ſtoloniferas.

Displicet mihi, pharmacopolas Suecos substituere Cardaminen pratensem L. longe mitiorem, licet perinde existimet cel. BERGIVS (*M. m. p. 561.*).

HERBA recens saporem moderate cum amaritie pungentem habet, trita autem digitis odorem volatilem spargit. Sapori pariter ac odori aliquid specifici inest, cum variis tamen stirpibus affinibus, vti et cognatione disiunctissimo Tropaeolo, communis. Tribuerunt hisce multi eximii chemici, vt BOERHAAVIVS (*Chem. Tom. 2. Proc. 33.*): HIÄRNE (*Act. chem. Holm.*), SPIELMANNVS (*Chem. p. 202.*) rel. sal alcalinum volatile, idque non ignis vehementia vel alia vi productum, sed innatum, arte tantummodo separandum. Et huic quidem volatilem et nares vellicantem odorem simulque et vires harum stirpium tribuerunt. Post CARTHEVSERVM (*Mat. med. T. 1. p. 294.*) autem cl. ALTMANN (*Diss. de analysi plantarum antiscorbuticarum, Vienn. 1766.* inde a §. 10.) item nuperius cl. WIEGLEB (*Versuche üb. d. alcal. Salze p. 199.* et antea), alios vt taceam, experimentis (Vid. infra Cochlearia *sub n. 294.*) euicerunt, acre istud olfactus organon vellicans alii cuidam haec vegetabilia intranti parti adscribendum esse, quam ille (ALTMANN *l. c. p. 40.*) spiritum rectorem vocat, hic (WIEGLEB *l. c. p. 149.*) nondum definire audet, vtrum sit acidae, an potius oleosae naturae, licet omnino hic ipse in illis alcali volatilis indicia mox euiden-

dentiora mox obſcuriora detexiſſe ſibi viſus fuerit, experimentis cum aqua ex ſtirpibus iſtis et portione cinerum clauellatorum deſtillata nixus. Ad oleoſam naturam accedere cl. NOSE (*Verſuch ein. Beyträge zur Chemie, Wien, 1778. p. 131. ſq.*) arbitratur, argumenta etiam producens ex phaenomenis in corpore animali ſub vſu horum ſtirpium obuia, ſalis alcalini volatilis genio contraria. — Quod ad Naſturtium aquat. nominatim attinet, ex larga eius, aqua deſtillatae, copia, pauxillum olei eſſentialis ſubtilis, volatilis valde pungentis eruitur (LEWIS *Hiſt. of M. m. p. 396.*). Acre volatile difflatur plane fere ſiccatione herbae vel inſpiſſatione ſucci ſiue menſtruorum, quibus illud elicitum. *Expreſſione* autem vna cum ſucco euoluitur, item deſtillatione aqua vel ſpiritu vini facta (ID.).

Acetarii inſtar herba cruda verno tempore praeſeruatiuo fine editur, praecipue in Germania.

Mitior paullo eſt, quam Cochlearia, cui et proxime accedit contra ſcorbutum virtute, ob quam praecipue communi medicorum laude condecoratur. (V. e. gr. EVGALEN. *de ſcorb. Obſ. 54.* et alibi, LINN. *Fl. Suec. n. 592.*) In iuſculis herba vti, vt quidam ſuadent, improbo, tam ob menſuram incertam, quam ob virium per calorem diſpendium. Plus praeſtat acetarium inde paratum, plurimum ſuccus expreſſus, qui, vt ſuccus Cochleariae, Lepidii, alii calidiorum vegetabilium, apte mitigatur frigidioribus ſuccis, vt

Acetosae, Beccabungae, Aurantiorum rel. Pro dosi eius binae vnciae ad quatuor esse poterunt. Lacte mistus curauit scorbutum in coenobio Bethlehemensi (HASSELQVIST's *Resa p. 154.*).

Eminet praeterea attenuante sua et resoluente potentia. In caro pituitoso frigido vsum Nasturtii cocti vel in acetario impense commendat FORESTVS (*Opp. L. 3. Observ. 39. in schol. p. 366.* item RONDELETIVS *Meth. cur. morb. c. 19. Oper. Ed.* CROCQV. *p. 49.*). Succo ori infuso in febre tertiana soporosa puero scorbutico succurrit EVGALENVS (*l. c.*). Tentantis in hac febre WERLHOFII (*de febr. p. 80.*) spei, quamuis non omnino satisfecerit, forsitan ob defectum *diatheseos scorbuti exquisiti: proficuum tamen* illi visum, sub paroxysmo succum vel solum vel spiritibus salinis volatilibus acidis vel mediis commistum sub paroxysmo in os infundere. — Diuturno vsu obstructiones viscerum referare compertum (HALL. *Hist. st. helv. n. 482.*). Ita cessauit rebellis tussis iusculo, cui succus herbae fuit additus (ZWINGERI *Diss. de plantis nasturc. p. 49.*). In ipsa phthisi purulenta pulmonum solatium attulit planta (BONET. *Sepulchr. T. 1. Ed.* MANG. *p. 686.*). Huc pertinet casus curationis phthiseos solo Nasturtio aquat. ieiuno stomacho sumto, cui superbibitum lac ebutyratum, peractae. (*Eph. n. Curios. Dec. 2. A. 8. Obs. 142. p. 302.*). Exemplum vero restauratae pulmonum substantiae, quod narratur

tur (a BONETO *l. c. p. 693.*), multis momentis dubium redditur. Quae de vi in calculo hinc inde memorata, pondus aliquod nanciſcuntur hiſtoria feminae nephritide calculoſa laborantis, ſed iuſculo, Naſturtio aquatico et Cerefolio cum granis viginti ſeminis Naſturtii hortenſis remixto et per aliquot dies ſumto, ſanatae (ZWINGER. *Diſſ. cit. p. 49.*).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

AQVA DESTILLATA. *Ph. W.* Iners, prout vulgo habetur.

CONSERVA *Ph. W. p. 39.* Eximia.

SVCCI AD SCORBVTICOS *Ph. Ed. p. 67. Edit. nouiſſ. p. 52. Ph. Lond. p. 26.* Differunt formulae, ſed vbiuis ſtirps noſtra conſortium ingreditur.

282.

Pharm. SOPHIAE CHIRVRGORVM *Herba; Semen.*

Siſymbrium Sophia; petalis calyce minoribus, foliis decompoſito - pinnatis. LINN. *Spec. pl. p. 920.* Naſturtium ſylueſtre tenuiſſime diuiſum C. B. Icon: *Fl. Dan. Tab. 528.* Pl. annua, vulgatiſſima in maceriis, ruderatis et arenoſis.

Exoleuit in ſeriori praxi. HERBA tamen olim claruit, vt vulneraria, vnde nomen ſuperſtes. Tota ſtirps conquaſſata et applicata vulnera ſanare et vicera purgare fertur (CHOMEL *Pl. Uſuell. T. 2. p. 295.*). Gotlandi in malo hyſterico ea vtuntur (LINN. *Fl. Suec. n. 595.*). In decocto vel infuſo alui profluuiis oppoſita, prout varia forma contra haemoptyſin, fluorem album et haemorrhagiam vterinam, praecepta (CHOM. *l. c.*).

SEMEN exiguum, ouatum, glabrum, rufum, ſaporis acris. Non omni igitur virtute caſſum. Diarrhoeam ſiſtere ad drachmam vnam oblatum (RAII *Hiſt. pl. T. 1. p. 812.*). Nericii eodem dyſenteriam tam hominum quam boum curant. (LINN. *Fl. Suec. l. c.*). Affectibus nephriticis et calculoſis ſubuenire, ROBINSON (apud RAY *l. c.*) memorat. Ad lumbricos necandos laudatum (CAESALPINVS nomine Accipitrinae in *Lib. 16. de plant. p. 361.*); imo ſemini Santonici hoc ſcopo ſubſtitutum (C. HOFFM. *offic. p. 101.*).

ERY-

ERYSIMVM.

LINN. *Syst. veg. p. 499. Gen. pl. p. 339.*

283.

Pharm. ERYSIMI *Herba; Semen.*

Erysimum officinale; siliquis spicae adpressis, foliis runcinatis. LINN. *Spec. pl. p. 409.* Erysimum vulgare C. B. Ερισυμον Graec. Icon: *Fl. Dan. Tab. 560.* REGNAVLT *Botanique*, le Velar ou la Tortelle. Pl. annua, ad vias creberrima.

HERBAE sapor nonnihil acris, praecipue summitatum florentium; vix vero odora est. Efficacius semen est, quo praecipue vsi sunt veteres, aemulans sapore et rubefaciendo cutem Sinapis semen. Contusa tamen et applicata herba quoque legitur vesicas prouocasse. Haec in tussi inueterata, asthmate, item raucedine ex nimia vocis contentione, incidens et expectorans efficax celebratur, et hodie ea vnice acquiescunt. Ad hanc praecipue partem existimo referendas esse laudes neruosas LOBELII (*Aduers. nou. stirp. p. 69.*), qui fidem fere omnem in dictis malis eam superare ediderit, praeeuntibus RONDELETIO aliisque praeceptoribus suis. Plerique nostro tempore syrupum vnice adhibent. Puluis tamen etiam recentius in pituita pulmones vel viscera imi ventris grauan-

uante, vsu longiori profecit (LENTIN *Obs. med. Fasc. 2. p. 29.*). Nec nocuit praesente febre miti vel transitoria (IDEM.). Confert quoque, in vitiis istis pectoris instar Theae cum melle eam exhibere (BOERH. *Hist. pl. hort. L. 3. T. 2. p. 428.*). Lotium praeterea suppressum herba liberat (BOCCONE *Mus. di fisic. p. 216.*).

Pellit hoc etiam SEMEN ad drachmam vnam pro dosi ingestum (FONSECA *Consil. l. 2. n. 96. 100.*). Cum melle delinctum in thoracis fluxionibus et ipso screatu purulento prodesse, DIOSCORIDES (*Mat. m. Lib. 2. cap. 188.*).

COMPOSITVM.

SYRVPVS DE ERYSIMO LOBELII *Ph. W. p. 210.* Inter alia varia pectori opportuna, partim quoque inania, Erysimum quoque comprehendit. Correctiorem formulam reiectis effoetis suppeditat *Ph. Danica p. 254.* Prae ceteris tamen mihi placet simplex iste ex succo et melle (GEOFFROY *M. m. Traité T. 6. p. 277.*), quem et praefero isti *Ph. Paris. p. 30.* qui infusione feruidae aquae paratur, sub qua, ob calorem, iacturam volatilis partis nasturcinis communis metuo.

284.

Pharm. ALLIARIAE *Herba.*

Erysimum Alliaria; foliis cordatis LINN. *Spec. pl. p. 922.* Alliaria C. B. Icon: REGNAVLT *Botan.* l'*Alliaire.* Pl. annua, ad sepes et locis vmbrosis frequens.

Exoleta. Odor HERBAE recentis contritae idem ac Allii, sapor similis modice acris, subamarus. Sapor alliaceus ipsum adeo lac vaccarum, quae plantam deuorarunt, inficit (*Vet. Acad. Handl. 1750. p. 103.*). Siccando perdit plurimum odoris et saporis nonnihil. Succus expressus efficaces partes continet, quae vero inspissatione eius difflantur. Destillatione herbae recentis cum aqua tantillum olei essentialis ascendit saporis odorisque fortis. Elicit quoque spiritus vini virtutis plurimum (LEWIS *M. m. p. 27.*).

Olim recentia folia ad condimenta ciborum, intinctus et salsamenta, Allio substituta, item embammata introiuerunt. Sed desueuit hic vsus non minus, quam ille medicus. Nec curamus amplius decoctum herbae in asthmate (CAMER. ad MATTHIOLVM,) nec semina (TABERNAEMONT.) ad pituitam pulmonum incidendam. Quidam pro externa applicatione Scordio supparem agnouerunt, quo in numero fuit HILDANVS (*Cent. 2. Obs. 94.* in *Oper. p. 172.* Cfr. *Oper. p. 1038.*), Scordio tamen praerogatiuum concedens.

cedens. Sed ſuccum eius vel liquidum vel inſpiſſatum vnguentis item cataplaſmatibus refert ſummo cum fructu ſeſe ad coërcendam gangraenam et vlcera mali moris abſtergenda et a putredine vindicanda addidiſſe. Hiſtoriam curatae pariter gangraenae ex tibia cum ſibula fracta et conquaſſata per herbam contuſam cum vino narrat BOERHAAVE (*Hiſt. pl. T. 2. p. 437.*). Contra vlcera cancrum minantia adeo extendit CAMERARIVS eius efficaciam; et vlceribus carcinomatoſis folia contuſa applicuiſſe ſeſe probo ſucceſſu teſtatur CHOMEL (*Pl. Uſuell. T. 2. p. 378.*). Praecipua momenta de priſtino Alliariae vſu congeſſit c. BAVHINVS in *Reſponſ.* ad HILDANVM *Obſ. cit.* addita. Vtinam *in vniuerſum vera eſſent, quae de ſingularibus caſibus in dubium vocare cell.* horum virorum auctoritas non ſinit.

285.

Pharm. BARBARAEAE *Folia.*

Eryſimum Barbaraea; foliis lyratis extimo ſubrotundo LINN. *Spec. pl. p. 922.* Eruca lutea latifolia ſ. Barbaraea c. B. Icon: REGNAVLT *Botan.* l'herbe de St. Barbe. Pl. perennis, copioſa ad margines foſſarum.

Similis eſt Siſymbrio Barbaraeae LINN. (*Spec. p. 921.*), ſed huic folia non pinnatifida, vel, vt LINNAEVS

NAEVS maunlt dici, lyrata, sed indiuisa, oblonga, acute dentata, competunt, et duratio tantum biennis.

Nostra non inefficax, etsi rarioris vsus. FOLIA ingrate amara et leniter acria, vt cognationem cum nasturcinis agnoscas, odoris herbacei. Viret tenella planta etiam hieme. Apud Anglos in hortis seritur, foliisque vere et hieme pro acetario, vel crambis instar vescuntur: culta stirps nisi suppetat, feram colligunt (KALMS *Resa T. 1. p. 407.*). Recens herba inter antiscorbutica meretur locum, tantoque iustius, quum deficientibus ob anni tempus aliis succosis praesto sit.

CARDAMINE.

LINN. *Syst. veg. p. 496. Gen. pl. p. 338.*

286.

Pharm. CARDAMINES *Flores.*

Cardamine pratensis; foliis pinnatis foliolis radicalibus subrotundis, caulinis lanceolatis LINN. *Spec. pl. p. 915.* Nasturtium pratense magno flore C. B. Σισυμβριον ἕτερον DIOSC. Icon: REGNAULT *Botan.* le Cresson des Prés. Pl. perennis, in pratis vdis copiose vere florens, flore vel albo vel pallide purpureo.

HERBAM male surrogari aliquando Nasturtio aquatico, supra (sub *n. 281.*) iam conquestus sum; etsi

etsi omnino odore saporeque quadantenus illud referat.

Medicis vix notata, donec ante decennium fere fama de efficacia FLORVM in spasticis et conuulsiuis affectionibus enasceretur. Amari hi et acres sunt. Binis modo verbis laudari in conuulsionibus ex schedis TANCREDI ROBINSON manu scriptis retulerat DALE (*Pharmacol. p. 225.*). Sed cl^mo BAKER (*Medic. Transactions T. 1.* inde a *p. 442.*) teste fidem suam probarunt feminae hystericae in asthmate conuulsiuo et musculorum abdominalium spasmo, reliquis omnibus frustra tentatis; item puero et puellae in chorea St. Viti; nec non feminae conuulsionibus artuum cum deglutitione difficili laboranti. *Alii feminae, spasmis* et contorsionibus pedum paralysin excipientibus, initio modo auxilio fuerunt, nam vehementia mali, cuius intra cranium variae causae post mortem apparuerunt, succubuit. Intra quadriennium post primam editionem obseruationum noua colligere documenta eorum praestantiae in conuulsiuis morbis cel. viro datum fuit (*l. c. p. 459.*). In puluere mane et vesperi capti a scrupulo vno ad drachmam dimidiam vel sequialteram. In epilepsia autem tollenda nec BAKERO duobus vel tribus exemplis (*l. c. p. 443.*), nec cl^mo LYSONS (*practical Essays p. 173.*) in singulari casu sufficerunt, in quo ipso quaelibet dosis sudorem copiosum mouit; in vno huius generis aegro leuamen cl^mo GREDING praestiterunt,

in

in omnibus reliquis autem iisque numerosis spem eius, etiamsi diu et large exhibiti, fefellerunt (LVDWIG. *Aduers. medico-pract. Vol. 3. P. 3. p. 564.*).

RAPHANVS.

LINN. *Syst. veg. p. 504. Gen. pl. p. 343.*

287.

Pharm. RAPHANI HORTENSIS h. e. α, RADICVLAE β, RAPHANI NIGRI *Radix.*

Raphanus sativus; siliquis teretibus torosis biloculariBus LINN. *Spec. pl. p. 935.* α, Raphanus minor oblongus C. B. Pl. annua. β, Raphanus niger C. B. Pl. biennis. Vtraque, in China sponte crescens, in Europa vbiuis in hortis colitur.

RADICES hae succosae, quarum α, subglobosa, epidermide alba, rubicunda, vel subnigra, β, fusiformis epidermide nigricante, frequentius a sanis, quam aegris, vsurpantur. Nempe lotae in orbiculos recens dissectae saleque consperSae ingeruntur, idque plerumque in mensa secunda, sicque non solum grate linguam vellicant sed et ventriculum stimulant, pituitam eiusdem soluunt, appetitum augent. Labefactato tamen ventriculo flatulentia infestae sunt. Sapor iste acris

nasturcinus cortici praecipue radicum inhaeret. Medico scopo Raphanus niger magis idoneus est, vtpote acrior. Huius aqua destillata alcali volatile latens reagentibus, quae vocant, prodit (WIEGLEB *v. d. alcal. Salzen p. 196. Exper. 78.*).

In calculosis affectionibus succus prodest. Hicce calidus, vel et decoctum radicum calidum calculum immissum in arenam dissoluit (LOBB *de dissolv. calc. p. 88. sqq.*). Nec inconcinne miscela succi vnciarum trium vel quatuor et mellis vnciae dimidiae calculosis offertur (CHOM. *Pl. usuell. T. 1. p. 292.*). Leuata et incommoda calculosa succo ad semicochleare quotidie cum oleo oliuarum sumto (HAEN *Rat. med. P. 6. p. 205. 292.*). Diuresis insuper, quam excitat, dignam eum tentamine, sabulo renum praesente, reddit. — Succus in syrupum redactus raucedinis remedium est (LANZONI *Oper. T. 2. p. 416.*). Idem ille saccharo vel melle mitigatus (ETTMÜLL. *Oper. Ed.* MANG. *T. 1. p. 683.*) asthma pituitosum soluit. Simile sine dubio asthma fuit, quo infans ex esu orbiculorum Raphani sale consperforum liberatus fuit (SCHROECK *Eph. N. C. Dec. 2. Ann. 4. p. 345.* — Scorbuticos solatur, vt familia, cui adscribitur, quantum vero sentio, praeuertendo potius quam curando malo par existit.

Orbiculi saliti, cuti applicati, instar sinapismi illam rubefaciunt et reuellunt.

PRAE-

PRAEPARATVM.

AQVA RAPHANI HORTENSIS *Ph. W. p. 6.* Haec pariter calculosis commendata (RVLANDI *Cent. 1. curat. 44. et Cent. 4. curat. 63.*). Vires statione facile perdit.

SINAPIS.

LINN. *Syst. veg. p. 503. Gen. pl. p. 342.*

288.

Pharm. SINAPI NIGRI *Semen.*

Sinapis nigra; siliquis glabris racemo appressis LINN. *Syst. veg. l. c.* Sinapi rapi folio C. B. Σινηπι Graecorum. Icon: REGNAVLT *Botan.* la Moutarde. Pl annua locorum ruderatorum et aggerum; copiose colitur.

Sinapis alba L. eiusdem virtutis est, etsi rarius adhibeatur (ALSTON *M. m.*).

SEMEN nigrae exiguum, rotundum, nonnihil compressum, rubicundo-brunum, striis concentricis notatum, saporis subamari, acris, in puluerem redactum nares nonnihil feriens. Contusum et feruenti lacti additum, illud coagulat, et serum sua acrimonia imbuit. Contritum aceto acerrimo efferuescere BOERHAAVE obseruauit (CHEM. *T. 2. Proceff. 34.*), sed non successit experimentum cl^mo^ ALTMANN (*Diss.*

de pl. antiſcorb. p. 34.) quamuis acetum vitrioli acido acueret. Potuit facile quibusdam ebullitionem dictam ſtatuentibus imponere copia bullarum, quae ex pulueru*lentis* poroſisque ſubſtantiis affuſo liquido alias quoque erumpere ſolent.

Deſtillatione ſicca erogat particulas, quas ſimili encheireſi tractatum Cornu cerui (BOERH. *Chem. T. 2. Proc. 33.*), ſcilicet ſpiritum, oleum et ſalem volatilem. Ill. SPIELMANNVS (*Chem. p. 202.*) eruit circiter $\frac{1}{5}$ ſpiritus alcalini, $\frac{1}{3}$ olei, $\frac{1}{20}$ ſalis alcalini fixi. Non mirum igitur ſpiritum hunc ebullire cum oleo vitrioli (WALLER ad HIÄRNE *II. p. 63.*). Sed magis ad *veram eius naturam* inueſtigandam facit analyſis mitiori igne inſtituta. *Scilicet ſemen deſtillatum* aqua largitur oleum aethereum aqua ſpecifice grauius, intenſe acre naresque valde afficiens; reliqua eius pars extractum ſubdulce mucilaginoſum erogat. Extractum ſpirituoſum amaricans et oleoſum eſt. Differt ab oleo dicto aliud expreſſione eliciendum, vt quod *blandum* et inſipidum, remanente acrimonia in paſta (LEWIS *M. m. p. 544.*). Vera tamen etiam veſtigia ſalis alcalini volatilis ſemini ineſſe viſa, quae mitiori igne per deſtillationem eiusdem cum cineribus clauellatis et aqua ſeſe declararunt (WIEGLEB *v. d. alcal. Salzen p. 197. Exper. 79.*).

Notiſſimum ciborum, carnis praecipue et piſcium, ad intinctus condimentum eſt; quo fine Angli-

glicum semen, in puluere transmissum, reliquis praefertur, acrius longe, vt et in os receptum titillationem narium excitet et lacrymas excutiat. In puluerem post cautam siccationem contritum vulgo solet aceto commiscéri, sed inde Sinapi non mitescit. Sufficit illud aqua feruida vel et iure carneo calido, vel et, quod multi praeferunt, musto commistum, per aliquot horas seponere. Si breui modo ante vsum mora sic praeparatum fuerit, amaritie sua displicet. Ita adiuuat cibi concoctionem, ventriculo sensum gratum impertit, mentique, certe in memet hilaritatem haud mediocrem, forsitan ex äere fixo quod extricatur, conciliat. Frequentiorem Sinapi vsum ad naturam putridam disponere humores, et morbos acutos perniciores reddere arbitratur ill. HALLERVS (*Hist. st. helv. n. 465.*); an praeceptoris sui, BOERHAAVII, placitis de harum stirpium natura alcalina ductus.

Sed non recreat modo sanos semen, verum etiam in vario morborum genere opportunum est. Scorbutus horum e numero est, cuius curati memorabilis narratio legitur de obsidione Rupellensi, in qua multis centuriis hominum languentium, et oris foeditate dirisque aliis morbi symptomatibus correptorum, semen tritum et cum vino albo mixtum subuenit (RAII *Hist. pl. p. 803.*). Hinc et lege nautis Belgicis iniunctum, sibi Sinapi debita quantitate prospicere (*Traité du Scorbut p. 115.*).

Veteri (DIOSC. *M. m. L. 2. cap. 184.*) laude a recentioribus quibusdam repetita ad febris intermittentis curationem facit semen hocce integrum deglutitum. Cochleare adeo eius alternis horis vel quater s. *quinquies* de die sub apyrexia absque masticatione deglutiri iubetur (FAXE in ODHELII *Tal om K. Lazar. i Stockh. p. 25.* et BERGIVS *M. m. p. 581.* Experti et illud inter Suecos cll. FAGRAEVS item ODHELIVS.) abstinerique postea a potu. Quartanae vero autumnali sistendae non suffecit. In protracta et recrudescente intermittente corticis Peruuiani cum hoc semine connubium proficuum (BERGIVS *l. cit.*). Male vero cessit in robustissimo rustico quartana laborante *experimentum, dum magnam copiam seminis* contriti et spiritu Iuniperi *diluti, tribus horis ante* paroxysmum ingereret, vnde in febrem ardentissimam lethalem incurrit (SWIETEN *Comm. T. 2. p. 31.*). Causa tam diuersi euentus an temporis, quo semen ingestum, diuersitati, an potius nimiae quantitati et vehiculo spirituoso tribuenda? Sudoriferis obuiam ire paroxysmo, ambiguam praxin esse, alia documenta edocent.

Plura itidem tentamina caute capta requiruntur, antequam de eius in hydrope *efficacia rite* statuatur. Domesticum esse hinc inde, noui. Fuit femina nobilis ex hydrope ouarii ascitica, quae post frustra tentata purgantia et diuretica et post ter institutam ab-

abdominis puncturam, suasu aniculae mane et vesperi cochleare seminis Sinapi non contusi ingessit, superbibita decocti summitatum viridium Genistae semilibra, vnde et aluus soluta et lotium ad aliquot libras manauit, eo successu, vt persistens in hisce per annum valetudinem perfecte recuperaret (MEAD *monit. et praec. med. p.* 77.).

Masticatum hocce intra linteum semen humores ad os potenter allicit.

Omnium vero suetissimum est, illud pro *Sinapismo* s. cataplasmate epispastico adhibere. Simplicissime ex semine trito cum aequali quantitate micae panis et aceto vino, q. s. vt cataplasma inde fiat, paratur. *Non opus est, Allium contusum addere*, vt in *Ph. Ed. p. m.* suadetur. Conducit et, illud ex fermenti panis acerrimi vnciis quatuor, seminis Sinapi contusi et aceto macerati vncia vna et aceto vini, quantum eius pro iusta spissitudine opus est, parare, addito, si maiori adhuc stimulo aeger indiget, salis gemmae vncia dimidia; hoc, linteo inunctum, applicetur, et cataplasma aceto humectetur. Inde rubescit, inflammatur et exasperatur cutis cum leuiusculo dolore, quin ex diutius ibidem relicto in vesicam attollitur. Eximie stimulat torpescentibus viribus et efficaciter reuellit. Prae vesicatoriis saepe praerogatiuam habent sinapismi; nam illa sanguinis circuitum longe magis accelerant cum augmento caloris, putredinem

humorum, si qua adest, augent, et vlcera vitio humorum subinde gangraenosa gignunt. Valet igitur sinapismus languente eruptione variolarum et morbillorum ex febris inertia; vel et iisdem exanthematibus retropulsis. Felici auso ad arcendas variolas a facie plantis siue suris pedum vel brachiis sinapismus imponitur; quod b. Equit. A ROSENSTEIN (*Barnsj. p. 128.*) consilium male quidam (VOGEL *Mat. med. p. 169.* CRANZ *Mat. med. P. 2. p. 84.*) ita interpretati sunt, ac si ipsi faciei imponendum iusserit. In angina, pleuritide aliisque inflammationibus internis loco affecto ex aduerso vtiliter applicatur. Alias si stimuli ratio habeatur, plantae vel surae vulgatissima applicationis loca constituunt. Tam diu autem relinquendum cataplasma, donec cutis rubescat et aspera fiat, et iterandum pro necessitate.

Suppuratio tumorum si aegrius succedit, stimuli causa Sinapi semen illis imponitur. — Farina eius aqua cocta lauare perniones proficuum (TISSOT *Avis au peuple p. 570.* Cfr. CHOM. *pl. usuell. T. 1. p. 187.*). — Balnea hoc semine impraegnata arthriticos dolores mitigant (Ex ore ill. et meritiss. A BERGER cl. TODE in *Collect. Havn. Vol. 1. p. 285.*).

PRAEPARATA.

CONFECTIO *Ph. W. p. 38.* Inusitata.

OLEVM

OLEVM *Ph. Lond. p. 30. Edinb. p. 91.* Eſt expreſſum illud, de quo ſupra egi.

BRASSICA.

LINN. *Syſt. veg. p. 502. Gen. pl. p. 342.*

289.

Pharm. 1. BRASSICA CAPITATA ALBA.
2. - - - RVBRA.

Braſſica oleracea; radice cauleſcente tereti carnoſa LINN. *Spec. pl. p. 932.* Κραμβη DIOSC. Ραφανος THEOPHR. 1. *capitata* L. Braſſica capitata alba C. B. Nomine *rubrae* apud auctores intelligitur Variet. γ. rubra L. Braſſica capitata rubra C. B. vti et Var. θ ſabellica L. Braſſica fimbriata C. B. Planta biennis. Maritima Angliae Braſſicae patriam ill. A LINNE' aſſignat.

Omitto copiam Varietatum (etenim ſecundum ill. praeceptoris mentem hoc vnice nomine dignae ſunt), quarum vel folia vel caules vel effloreſcens corymbus, vel in Napobraſſica radix, gratum cibum conſtituunt, quoniam non de cibaria ſed medica vnice penu ſcribo. Facile computreſcit Braſſica cruda cum intolerabili foetore, in primis capitata alba, et cocta in tricliniis, vbi per prandium comeſta, foetoris

ris ſpeciem pertinacem relinquit. Nec minus teter fuit odor, qui ex ſucco, poſt ſtationem ſub calore gr. 59 Fahr. per noctem in vitris ſeruato, ſubere demto emerſit, et qui in miſcela ſucci cum oleo tartari per deliquium ad raphanaceum ſiue illum ſpiritus ſalis ammoniaci acceſſit (ROSENBLAD *Diſſ. de viribus Braſſicae in ſanitatem humanam, Lond. Goth. 1776. p. 33.*). Aqua quidem cum Braſſica cocta mercurium, acido nitri ſolutum albo colore deiicit, quod idem aqua eius deſtillata efficit; et Braſſica per ſe deſtillata ſpiritum ammoniacalem transmittit (SPIELM. *M. m. p. 46.*). Non obſcura haec alcali volatilis latentis veſtigia videntur eſſe. Interim ebullitio fit ſucci neque cum acido nec alcali, nec mutatio ſyrupi Violarum eidem affuſi vlla (ROSENBLAD *l. c. 32. ſq.*), nec decoctum aliam praeter dictam alcalium notam prae ſe tulit. (SPIELM. *l. c.*). In vitris putredinem carnis non accelerat Braſſica, ſed retardat (PRINGLE *Diſ. of army App. Exp. 20.*).

Succo omnes ſubdulci aquoſo, refrigerante, ſaponaceo, inodoro ſcatent. Nec ingratum cibum, iam a Pythagora depraedicatum, praebent, ſed parce, ob inopiam gelatinoſarum partium, nutrientem. In debilibus hic flatus et tormina facile parit; hinc hominibus durioris compagis et exercitio corporeo aſſuetis conuenientior, quam aliis; hinc et aromatum additamento non palati vnice ſed et ventriculi cauſa opus habet.

habet. Quo tenerior eſt Braſſica, eo facilius concoquitur; vnde palmam reliquis praeripit tam hac de cauſa, quam ob ſaporis gratiam, *Br. Botrytis* (Blumenkohl). Difficillima eſt concoctu *Br. Sabellica* (Suec. Blåkåhl, Germ. Braunkohl), niſi gelu tenereſcat.

BRASSICA CAPITATA L. omnium vſitatiſſima vel cocta, vel *muria condita*. Haec poſterior Suecis nomine Surkåhl et Germanis nomine Sauer-Kraut ferculum frequens conſtituit. Paratur capita eius, remotis caulibus craſſis, vel cultro vel dolabra peculiari multiplici acie inſtructa, concidendo, ſicque comminuta alternis cum ſale veſco ſtratis in dolium immittendo, et violentis piſtilli lignei ictibus arcte compingendo, donec dolium repleatur. Quidam Anethi vmbellas et Carui ſemina gratiae cauſa addunt, quae proxime dicta et fermentationem adiuuant (V. *App. med. T. I. p. 293.*). Braſſica tum orbe ligneo, cui ſaxum imponitur, tecta loco moderate calido (vltra gr. 50 vel 60 Fahr.) ſeruetur, donec ex bullis emiſſis et ſapore grate acido ("Et cum Braſſica corrumpatur in dolio vini ſapor" PLIN. *Hiſt. nat. Lib. 19. c. 7. p. 913.* ED. DALECH.) fermentationis indicia appareant. Quo lentius haecce ſuccedit, ad tres vel quatuor hebdomades vsque, eo melior fit hic cibus. Si dolium adhibendum antea vinum vel ſpiritum vini vel acetum comprehenderit, tanto facilius fermenteſcit Braſſica et tanto magis vinoſum ſaporem acquirit. Dein transferatur dolium in cellam probeque cure-

curetur, vt succi iusta copia superemineat, ne aëris accessus Brassicam mucore et putredine perdat. Si longis itineribus maritimis destinatur, eximenda ex succo suo et *in doliis* arcte compingenda. Ita ferculum *grato quidem* acore multis placens paratur, sed difficilius tardiusque adhuc, quam alia ex Brassica, digestu, vt et tormina, anxietates, vomitus aliaque mala subinde contrahat, et aliquando supra triduum in intestinis immutatum permaneat (ROSENBLAD *l. c. p. 32.* — Et eadem ad efficaciſſima medicamina pertinet, quae contra scorbutum in itineribus marinis tuetur, et enatum iamiam mirifice coërcet. Tanto vero magis commendabilis, quum vltra octo menses *in naui integram* seruari sese passa sit (LIND *on the Scurvy p. 172.*); imo per annos aliquot, vt constitit explorata ista medio a. 1775. Brassica, quae Octobri a. 1771. praeparata fuerat (IOHN REINHOLD FORSTER'S *Observations during a Voyage round the world p. 631.*). Virtus eius, tot exemplis extra dubium posita, comprobata etiam fuit in itinere inclyti istius nauigatoris COOKE circa terrarum orbem, cum PORSTERIS susceptо, in quo libra eius vna singulo nautae bis vel pluries per hebdomadem multum contulit, ad vitam hominum, (mirabili exemplo!) centum et nouendecim per triennium seruandam (PRINGLE'S *Means for preserving the health of mariners p. 29. sq.*). Consumta vero per iter hoc sexaginta dolia, Brassica

hac

hac repleta (FORSTER *l. c. p. 630.*). Similis efficacia manifesta fuit, scorbuto exercitum Anglicanum in America ante biennium deuastante, donec ex Anglia remedii hoc genus aduenirent. Hoc enim tam instar acetarii cum aceto vini vel et cum alia esca coctum copiosissime ingesserunt. Sicque tam auertit morbum eximie, quam praesentem deuicit (*Medical and phil. Comment. Vol. 4. p. 237.*). In explicanda virtute hac antiscorbutica respectus non solum acoris eiusdem habendus, sed vel maxime aëris fixi, qui ex Brassica sub esu extricatur.

Succus vel decoctum Brassicae vulgaris (intelligo capitatam) emollit calculos, qui iisdem immerguntur (LOBB *de dissolv. calculum p. 62. sq.*). Folia huius vel alius Brassicae conquassata vlceribus subinde imponuntur, ad eadem abstergenda. In locis vesicatorio erosis profluuium serosum alunt. Tepide forma cataplasmatis mammis puerperarum applicata, coagulis lactis praeuertunt et effluxum nimium lactis arcent. Nec minus calida applicatione ad dolores in pleuritide mitigandos faciunt (BVCHAN *domestic medicine, Vers. Germ. p. 272.*).

Brassicae rubrae (Sabellicae LINN.) caules versus autumnum secundum longitudinem incisae et loco non calido repositi exundant succum melleum (HOFFM. *Diss. de remed. domest. §. 17.*), qui vim blande laxandi habet. Decoctum foliorum huius

huius raucedini et tussi medetur, imo ad detergendum vlcus pulmonum commendatum. Quosdam calculos vrinarios non omnes sub experimento extra corpus humanum soluit (LOBB *l. c. p. 63. sq.*). — Similiter in tussi a siccitate, vt apud senes, item phthisi purulenta, succus ex capitibus Brassicae rubrae contusis, clauso vase in clibano pistoris per quadrantem horae, exstillans et cum addito melle vel saccharo gelatinam formans, proficuus est. Decocti eiusdem non minus in eundem scopum magna vis est, vt singulari historia pectoris vtrinque perfossi et suppurantis BOERHAAVIVS exponit (*Hist. plant. Hort. L. B. P. 2. p. 423.*).

290.

Pharm. RAPAE vel RAPI *Radix recens.*

Brassica Rapa; radice caulescente orbiculari depressa carnosa LINN. *Spec. pl. p. 931.* α, Rapa satiua rotunda C. B. Icon: BLACKWELL *Tab. 231.* Pl. biennis, in Belgii et Angliae arenosis sponte crescens, copiose in aruis colitur.

RADIX odorem singularem fortem habet, saporem initio amaricantem, dein adulta dulcem. Hic ipse se communicat cum carne animalium ea pastorum. Cocta radix vel sub cineribus assata cibus est hominum robustiorum, quorum stomachus et difficiliora

liora digeſtu et flatulenta concoquere valet. Succum vehit leniter reſoluentem et detergentem. Quod in aphthis, etiam iis, quae febris progenies ſunt, conſtat, in quibus vel decoctum raparum ſaccharo edulcatum (KETELAER *de aphthis p. 32.*) eximie prodeſt; vel et ſuccus expreſſus modice coctus et melle dulcefactus, qui ipſe tanto efficacior, ſi rapae cortice, vt qui acrior magisque detergens eſt, adhuc veſtitae radantur (SWIETEN *Comment. T. 3. p. 213.*); vel ſuccus raparum aſſatarum expreſſus et tantillo mellis roſacei commiſtus (ROSENSTEIN *Barnſjukd. p. 45.*). Hiſce ſaepius os tepide colluatur vel horum aliquod cochleatim in aphthis internis deglutiatur. — *Decoctum tuſſim et aſthma ſanauit* (LANZONI in *A. N. C. Vol. 1. Obſ. 62. p. 116.*).

Pernionum medela raparum decoctum calidum celebratur. Meminit eius iam CELSVS (*Cap. 28. p. 323.* Ed. KRAVS.) et repetita eiusdem laus etiam hodie (CHOMEL *Pl. uſuell. T. 1. p. 133.*). Quidam corticem vnice decoquunt (TISSOT *Avis au peuple p. 569.*). Pluries huic decocto per diem immergere ſuadetur membrum, idque tanto maiori ſucceſſu, ſi decima ſexta pars aceti vini affunditur (TISSOT.). Fateor me reformidare eiusmodi calidas in pernionibus applicationes, quae relaxata iam antea vaſa non poſſunt non magis adhuc relaxare.

291.

291.

Pharm. NAPI vulgo, BVNIADIS Ph. Pariſ.
Semen.

Braſſica Napus; radice cauleſcente fuſiformi LINN. *Spec. pl. p. 931.* α, Napus ſylueſtris C. B. β Napus ſatiua C. B. Icon ſylueſtris: BLACKWELL T. 224. REGNAVLT *Botan.* le Navet; ſed ſuperior modo pars plantae depictae huc pertinet. Pl. biennis, creſcens in inſula Gotlandia, Anglia, Belgio in arena littorali. Colunt copioſiſſime eam Belgi, Angli, Galli, Germani.

Culturae modum deſcribunt cl. LIEDBECK (in *Vetenſk. Acad. Handl. 1756. p. 27. ſqq.*) et cl. ROZIER (*Traité ſur la meilleure maniere de cultiver la Navette et le Colſat, à Paris 1774.*), qui et varios modos exprimendi ex ſeminibus oleum tradunt.

SEMEN rotundum eſt, brunum, nucleum album oleo farctum includens. Olei praecipue cauſa colitur, (nomine Roſolja Suecis, Rübenöhl Germanis notiſſimi). Quomodo exprimatur, ex indicatis fontibus petas. Vilius et parcius eruitur, niſi ſemen probe maturuerit. Nec vltra dimidium annum differri debet expreſſio, ne mucilago, quae ineſt, ficceſcat. Frigida preſſio praeſtat omnino, rancoris euitandi cauſa, (ROZIER *l. c.*) calidae. Maxime hoc oleum in vſum lampadum a plebe conſumitur, ſed ar-

ardens fuligine ſua grauat pectus et inquinat ſuppellectilem, ſtupaque dum exſtinguitur, grauiter foetet. Saponi inſuper viliori et opificiis laneis inſeruit.

Sylueſtris ſtirpis ſemen magis acre altero, vnde a Pariſienſibus praefertur. Sine damno vero vtrumque ex apparatu medicaminum exulat. Exoleuit merito eius graſſantibus variolis et morbillis vſus, quo virus eorundem in aqua Cardui benedicti vel alia auertere olim tentauit plebs Danica (SIM. PAVLLI *Quadrip. bot. p. 451.*). In eneruandis venenis, quibus illud oppoſuit antiquitas, nihil prae aliis oleoſis praerogatiuae habet.

Radices Napi ſylueſtris in Gotlandia ſponte edules et ſapidae, etſi graciliores, quam cultae, modo euellantur, antequam caulis emergat (LINNEI *Gothl. Reſa p. 238.*). Alibi cultura eſculentae fiunt. Ex denſius ſatis ſeminibus exiliores fiunt, et ſic quidem ad quorundam palatum ſapidiores. Ob dulcem ſuccum leuare tuſſim, non abſimile vero eſt.

292.

Pharm. ERVCAE *Semen.*

Braſſica Eruca; foliis lyratis, caule hirſuto, ſiliquis glabris LINN. *Spec. pl. p. 932.* Eruca latifolia alba C. B. Ευζωμον DIOSC. Icon: REGNAVLT *Botan.* la Roquette des Jardins. Pl. annua Heluetiae calidioris, ad vias et in ſcrobibus creſcens.

FOLIA recentia contrita foetent inſtar aduſtorum pilorum, et acris ſaporis ſunt, vnde inter condimenta ciborum et acetaria apud Italos (RAII *Hiſt. pl. p. 806.*).

SEMEN ouale et nonnihil compreſſum, coloris rubicundo lutei. Saporis acris et amariuſculi, vt referat Sinapi, etſi debilius. Simili ratione ad condienda obſonia antiqui illud adhibuerunt, et in paſtillos cum aceto lacteque ſubegerunt, vt diutius ſeruari poſſet (DIOSC. *L. 2. c. 170. p. 146.*). Saliuam prolicit maſticatum et cuti applicatum eandem rubefacit. Sparſim memoratur vis eius in ſcorbuto, pituita humorum et hydrope incipiente. Semen praeterea, vt folia, veteres veneri dicarunt, ad ſalacitatem exiſtimantes idoneum, (DIOSCORIDES, COLVMELLA, MARTIALIS). Vnde ſerius Confectionem magnanimitatis Mynſichti, Confectionem Diaſatyrii, aliaque id fecis plura, ſemen intrauit. Sed non alia a ſemine exſpectari poteſt vis aphrodiſiaca, quam ab aliis plantis acribus volatile vehentibus, quae, vt ſtimulantia quaeuis, nihil valent organiſmo ipſo generationis partium labefactato. Superfluum medicis.

CHEI-

CHEIRANTHVS.

LINN. *Syst. veg. p. 499. Gen. pl. p. 339.*

293.

Pharm. CHEIRI *Flores.*

Cheiranthus Cheiri; foliis lanceolatis acutis glabris, ramis angulatis caule fruticoso LINN. *Syst. veg. p. 500.* Leucoium luteum vulgare C. B. Icon: REGNAVLT *Botan.* le Giroflier jaune ou Violier. Pl. biennis, in ruderibus et aggeribus australiorum Europae regionum spontanea. Crebro in hortis colitur.

FLOS recens grato odore suo et fragrante violaceo recreat, et Varietas eius colore aurantio, praecipue si plenus est, oculos oblectat. Sapor eius ingrate amarus et subacris, odor vero siccando perit. Destillatione aquae odorem impertit; decoctum, odorifera parte dispersa, praeter amarorem, salinas partes manifestat (LEWIS *M. m. p. 210.*).

In obliuionem fere sensim apud medicos stirps transiit, licet tam flos quam aliae eius partes veteribus Graecis in pretio fuerint. Vim neruinam a multis flori adscriptam frustra a sicco isto exspectes, quum odora pars figi non possit; rectius resoluens potentia et pellens in censum venit. Nam referare menstrua et lochia

chia pellere vbiuis notatur, non diſſentiente ratione, pellere etiam partum perhibuerunt (WELSCH. *Mi-ſcell. p. 43.*). Viſcerum itidem obſtructiones et humorum coagula ſubegiſſe, et ipſam maniam, vitio huiusmodi hepatis ortam, curaſſe in femina, lego (SCHVLZ *Diſſ. de ment. alienat. p. 11.*). Huic quidem ſuccus ex floribus expreſſus vino dilutus, et ſyrupo Capillorum veneris gratiae cauſa permixtus, ingeſtus fuit, iuncta ſimul Emplaſtri reſoluentis ad regionem hypochondriacam applicatione.

Poteſt exhiberi flos in puluere vel in infuſo aquoſo, inſtar Theae, vel in vinoſo, item in ſucco expreſſo, quae forma fine emmenagogo praeprimis placet FR. HOFFMANNO, prout ad obſtructiones hepatis in inueterato etiam ictero recludendas praeſtantius nihil nouit, quam hunc ſuccum bis de die cum cereuiſia calida potum (Vid. EI. *Diſſ. de praeſtantia remed. domeſt. §. 26.*).

PRAEPARATA.

AQVA FLORVM KEIRI *Ph. W.* Obſoleta.

OLEVM *l. c. p. 123.* Coctione paratur. Extrinſecus in vterini ſanguinis emanſione et doloribus poſt partum inunctum.

b) SILICVLOSAE.

COCHLEARIA.

LINN. *Syst. veg. p. 491. Gen. pl. p. 334.*

294.

Pharm. COCHLEARIAE HORTENSIS *Herba.*

Cochlearia officinalis; foliis radicalibus cordato-subrotundis, caulinis oblongis subsinuatis LINN. *Spec. pl. p. 903.* Cochlearia folio subrotundo C. B. Icon: *Flor. Dan. Tab. 100.* REGNAVLT *Botan.* l'herbe aux cuilliers. *Pl. biennis ad littora maris Angliae, Belgii et regionum* Europae magis septentrionalis, crescens, sed et alibi a mare remotius, vt in rupibus paludosis et aggerum fossis Helvetiae (HALL. *hist. st. helv. n. 503.*). Colitur vero in hortis pharmaceuticis facili negotio, sponte quoque sese disseminat.

Et hacce culta acquiescere plerumque oportet extra solum natale stirpis, idque fit absque vllo virtutis dispendio. Nam quae Hafniam in conserua ex Grönlandia transfertur (V. cl. LANGE versio Germ. libri LIND's *Essay of preserving the Health of Seamen pag. 152.*), paucis modo sufficere potest. Differt tamen a praefixa specie ad mentem quorundam illa, quae remotissimis septentrionis

regionibus in Spitzbergen (MARTENS *Spitzb. od. Grönländ. Reiſe-Beſchr. p. 45.*) Grönlandia (EGEDE *gamla Grönland p. 48.*), creſcit, et gratior ſapore, amaro-dulcis atque mitior deſcribitur, vt et inſtar acetarii oblectamenti cauſa ibidem ingeratur.

HERBA recens noſtrae, h. e. folia cum petiolis decerpta, acris cum amaritie, et, ſi conteritur, naribus volatile aliquid offert, vt affines. Oues auide quidem in Islandia herbam deuorant, indeque valdopere pingueſcunt, ſed caro inde acquirit ingratum ſaporem (OLAFSEN *Reiſe durch Island T. 1. p. 257.*). Expreſſione efficaces partes vna cum ſucco eruuntur. Tranſeunt hae in aquam et in ſpiritum vini maceratione praegreſſa. Sed ſiccatione foliorum vel euaporatione menſtruorum diſſipantur. Opus igitur recente ſtirpe, quod optimum, vel praeparatis poſtea ſignificandis. In oleo autem eſſentiali latet volatile iſtud fugaxque, a quo tota fere ſtirpis virtus dependet. Hoc exigua quantitate deſtillatione cum aqua ſurgit. Adeo ſubtile eſt, vt vnica eius gutta ſpiritu vini ſoluta vel ſaccharo excepta vnciis ſedecim vini vel alius liquidi odorem et ſaporem Cochleariae impertiat. In aqua autem fundum petit (CARTHEVS. *M. m. T. 1. p. 473.* LEWIS *M. m. p. 225.*).

Quae ſupra (ſub *n. 281.*) aduerſus alcali volatile, cui adſcribunt multi virtutem ſtirpium naſturcini ſaporis odorisque, monui, ad Cochleariam etiam pertinent.

nent. Nam aqua eius destillata concentratissima syrupi violarum colorem nullo modo mutat, succus eius expressus hunc obscure rubrum reddit; nulla ebullitio ex aqua eius destillata cum acido quodam minerali vel aceto mixta enascitur; nec cornu cerui vstum spiritu vitrioli solutum ex affusa aqua destillata praecipitatur; affuso licet aquae spiritu salis odor pristinus seruatur; ita et solutio mercurii sublimati corrosiui ex instillata aqua nullam mutationem subit (ALTMANN *Diss. de pl. antiscorb. Exp. 1-8.*). Imo Cochlearia cum carne bubula mixta intra quinque horas fermentationem etsi modicam subit, quin triginta horas post mixtionem et diutius seruat acorem, qui coagulo lactis quod inducit extra dubium ponitur, et carnem diu a putredine tuetur (PRINGLE *Dis. App. Exper. 35.*). Hoc tamen acidum, fugax, nuncupat ill. DE HAEN (*Rat. med. P. 8. p. 235.*) in alcali mox degeneraturum.

In scorbuto primaria stirpium omni consensu est. Multae in itinerariis cll. v. LINSCHOTEN, MAARTENS, EGEDE, ANSON rel. leguntur historiae hominum teterrimo scorbuto per longinquas peregrinationes marinas correptorum, sed eorundem, postquam in terram delati fuerint, sanatorum. Puriori aëri, quo in terra gauisi sunt, merito partem curationis tribuas; sed hi copiosissime simul stirpem comederunt, vel potius deuorarunt vel instar acetarii in-

geſſerunt. Mira omnino naturae prouidentia, quod iis locis, in quibus ſcorbutus quam maxime affligit, et ſub iis conditionibus, quae illi opportunitatem praebent primariam, medicinam tanti mali vltro offerat: prout in inſulis maris auſtralis FORSTERI (*Reiſe um die Welt p. 151.*) ſtirpem, Lepidium oleraceum illis dictam, ſuppar illi virtute experti ſunt. Fuit nauta adeo iam morbo fractus, vt, quum ſocii pertaeſi conſortii eius eum in littus Groenlandiae proieciſſent, ne manibus quidem Cochleariam decerpere valeret, vnde pecoris inſtar ore depaſcere eam coactus, breui temporis ſpatio conualuit (BACHSTRÖM *de ſcorb. p. 8.*). Magis vero arti conforme eſt, ſuccum expreſſum ingerere, vel ſolum, vel in connubio ſeri lactis, vel deficiente recens decerpta herba, conſeruam. Ad acria et calida antiſcorbutica merito refertur, vt mitigare eam additis aliis, ſalua virtute, conſultum ſit. Hoc fine connubium acidorum eximium eſt, quae et ipſa ſcorbuto aduerſantur; vt vel inde pateat, diſcrimina in ſcorbutum acidum, alcalinum etc. infirmo fulcro niti. Groenlandi Cochlearia et Acetoſa iunctim vſi ſunt, inuitante ipſa natura, quae vtramque mixtim inter illos copioſiſſime profert (BARTHOL. *Act. med. Hafn. T. 1. p. 35.*), ſed quod minus probo, vt condimentum iuſculi, quod ex carne cum auenacea vel hordeacea ptiſana pararunt. Placet vtriusque herbae miſcela et exercitatis medicis (V. SWIETEN *Com-*

Comment. T. 3. p. 630.), nec minus faciendum additamentum ſuccorum Limoniorum vel Aurantiorum. Eiusmodique miſcelae ſtirpis cum Acetoſella vel pomis aurantiis varia forma memoriae prodidit SYDENHAMVS (*Oper. p. 631.*). — Quum ſaepe praeterea neceſſitas incidat, integris familiis idque egenis ſuccurrendi, cereuiſia commendabilis, cuius dolio aliquot Braſſicae rubrae capitatae minutim conciſae, Naſturtii aquatici vel Cochleariae manipuli duodecim et Raphani ruſticani libra vna immiſſa; et hocce quidem liquido pro potu communi vtantur (SWIETEN *l. c. p. 625.*). Islandis ferculi genus eſt Cochlearia conciſa et ſero lactis vel lacte, inſtar Braſſicae comeſta. In aliud tempus ſeruant herbam per ſtrata in magnis vaſis conditam (OLAFSEN *l. c.*).

In rheumatiſmo vago, ſiue vt SYDENHAMVS eum vocat, ſcorbutico plurimum praeſtitit eo auctore (*Oper. p. 278.*). Electuarium ex conſerua Cochl. hort. rec. ℥ij Acetoſell. ℥j, pulv. Ari compoſ. ʒij (vel Rad. Ari rec. Gi Arab. ana tantum, LEWIS) cum ſ. q. Syr. cort. Aurant. vt F. Elect. cuius drachmae duae ter de die per menſem integrum capiendae cum aqua antiſcorbutica et aromatica. Efficaciam eiusdem confirmat cl. LEWIS (*M. m. p. 224.*) multiplici experientia. Ad celandum ingratum ſaporem herbae nux moſchata maxime opportuna eſt. — In exulceratione oris ſcorbutica confert ſuccum applicare tantillo aluminis miſtum.

Verus licet ſcorbutus in vrbibus rarior morbus ſit, quam empiricorum vulgus putat, vi tamen ſua aperiente, et per ipſa neruorum ſtamina penetrante et antiſeptica, ſuppetias in aliis quoque morbis fert. Nec parum potentiae in lotio pellendo habet. In paralyſi nominatim et extrinſecus in gingiuarum affectionibus, praeparatorum varia forma, egregio auxilio eſt.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

CONSERVA *Pharm. omn.* Hac forma ſtirps ſine magno virium diſpendio ſeruatur.

SPIRITVS *Ph. W. p. 190.* Deſtillatione herbae recentis cum ſpiritu vini et aqua paratur. Recipit vires plantae et ſeruat, modo vaſa bene obturentur, nam valde volatilis eſt. In ſcorbuto tamen pro vſu interno poſtponendus herbae recenti; calidus enim nimium eſt. Flatus etiam diſſipat et vrinam mouet. Triginta ad ſexaginta guttae aqua dilutae dantur. Ad vlcera oris melle miſtus confert. Intrat varias eſſentias, vt ESSENTIAM ANTISCORBVTICAM *Ph. W. p. 77.* et ESS. ANTARTHRITICAM I. M. HOFFMANN, *l. c. p. 76.*, obſoletas.

SPIRITVS ANTISCORBVTICVS ſ. MIXTVRA SIMPLEX ANTISCORBVTICA DRAWIZII *Ph. W. p. 198.* Deſcriptus ab auctore in libro *vom ſchmerzmachenden Scharbock p. 159.* Fit ex ſpiritu Tartari

tari et ſpiritu Cochleariae, quibus Vitriolum ad rubedinem calcinatum irroratur, ſuccedente digeſtione et deſtillatione. Valde volatilis eſt neruosque vellicans, vt olfactus ſternutationem moueat, et ſapor vix feratur, niſi eandem quantitatem ſyrupi grati, vt Cinamomi, admiſceas. Praeter vim in ſorbuto, cui auctor praecipue adhaeſit, laudabilis maxime in paralyſi recente, contra quam et pretium aſſignauit ſummus WERLHOFIVS (*Obſ. de febr. p. 145.*) exemplis in medium prolatis. Ipſe in nobili iuuene hemiplegia ſubito cum iactura loquelae correpto, praemiſſis neceſſariis eximium eius effectum vidi, vt nonniſi balbuties et leuis claudicatio pedis ſupereſſet. *Prodeſt et in febribus intermittentibus* ſpleniticorum et ſcorbuticorum, languente digeſtione ciborum a ſaburra viſcida, bilioſa, putrida (WERLHOF *l. c.*); item in vomitu habituali bilioſae materiae, quae et in homine ſeptuagenario maiori, eodem ſupra octo menſes afflicto, ceſſauit (WERLH. in *Comm. Nor.* Vid. *Oper.* Ed. WICHM. *p. 738.*). Miſcelae cum ſyrupo guttae triginta omni trihorio dari poterunt cum aqua ſimplici. DRAWIZIVS largiorem doſin propinauit.

295.

Pharm. RAPHANI RVSTICANI ſ. ARMORACIAE *Radix.*

Cochlearia Armoracia; foliis radicalibus lanceolatis crenatis, caulinis inciſis LINN *Spec. pl. p. 904.* Raphanus ruſticanus C. B. Icon: REGNAVLT *Botan.* le Raifort ſauvage. Pl. perennis, locis humidis ad foſſas, piſcinas, riuulos creſcens.

An ſit Ραφανις ἀγρια DIOSC. nondum conſtat.

RADIX cylindrica, brachium craſſa, ramoſa, alba. Recens tam acris, vt guſtata linguam faucesque moleſte pungat, lacrymas excutiat, nares fortiter feriat, ſed effectu fugaci; cuti impoſita eandem rubefaciat. Odore inſtruitur volatili, ſtimulante. Amittit, vt commune in hac familia eſt, haſce dotes ſiccatione vel coctione; inuoluitur et acrimonia eius oleoſis. Hinc ſi raſa tyrocneſti intinctui ciborum, carnis, piſcium inſeruire debeat: mitigatur coctione, vel butyro liquefacto vel lacte vel amygdalis. Sic crebro in menſes transfertur, flatulentia ſua et ructibus ſuballiaceis imbecilli ventriculo moleſta.

Acris et volatilis eius pars tam deſtillatione quam infuſione aquam vel ſpiritum vini ingrediuntur, et vna cum aqua deſtillando aſcendit olei exiguum ſcil. $\frac{1}{25}$, ſed valde acris odori et penetrantis, quod ipſum in aqua fundum petit. Aqua deſtillata ſigna

alcali

alcali volatilis contenti manifestauit cl^mo WIEGLEB (*Ueb. d. alcal. Salze p. 196.*), eaque plura, quo saturatior fuerit.

Redeunt hic vires, incidens, antiscorbutica et diuretica, toties de affinibus laudatae.

Antiscorbutica eminet, innumeris experimentis confirmata. Sufficit illam vino vel cereuisia solam infundere (BARTHOL. *Act. med. Vol. 4. p. 130.*). Cereuisiam magis compositam paullo ante indicaui. In Suecia serum lactis inde fit, Armoraciae rasae et aceto irroratae lac coctum affundendo, caseumque auferendo (LINN. *Fl. Suec. n. 580.* et litt. ad cl. LIND in *Treatise on Scurvy p. 264. sq.* — *Syrupum frigide factum in asthmate thoracis scorbutico diuinam medicinam* vocat ill. vir (LINN. *loco* proxime *cit. p. 265.*). — Scorbuticae naturae sine dubio fuit rheumatismus, qui succi cochleari mane capto curatus fertur (LANGE *misc. verit. med. p. 40.*). Russi oleum eius in rheumatismis, affectionibus scorbuticis et vlceribus pertinacibus ad guttas triginta *ingerunt, et extrinsecus* illinunt (SAM. GOTTL. GMEL. *Reise T. 1. p. 11. sq.*). — Arthriticis quoque solatio est. Decoctum eius lacte paratum et per quatuor hebdomades in lecto potatum, vt sudor probe erumperet, dolores artuum vagos diuturnos sopiuit (RAYGER in *Eph. N. C. Dec. 3. Ann. 3. p. 244.*). Magis discrepat a vulgari modo radicem exhibendi is, quo eius in exiguas particu-

ticulas sectae omni mane per mensem cochlear vnum maiusculum absque masticatione deglutiatur, insuper bibendo decocti summitatum Iuniperi libram dimidiam. Crebra experientia sic succesisse in arthritide et scorbuto narratur. Quod metuisses, ne ventriculo rosionis sensum inferret, expresse negatur, nisi sub finem curationis (Auctor eius est cel. BERGIVS in *Mat. med. p. 559.*).

Lithontripticis quidam Armoraciam annumerant. Non quidem huic rei fauent experimenta cum decocto radicis et calculis e corpore humano exemtis a cl. LOBB descripta (*de dissolv. calculos p. 89. Exper. 96. 97.*) vitio forsitan, vt opinor, menstrui non satis commodi, vel quod ea calculi species experimentum casu subierit, quae sua natura Armoraciae vim eludit, nam non omnes eodem remedio subigi sese patiuntur. Nec magis fauet experimentum cl. HALES (*Stat. Eff. Vol. 2. p. 215.*), qui calculum in pulte ceparum emolliri vidit, licet Armoracia in alterum vnius eiusdemque hominis calculum plane nullum effectum exsereret. Casus tamen senis calculosi huc pertinet, qui poculo vini, in quo haec radix intra linteum macerata, mane et vesperi epoto intra triduum eo peruenit, vt nullo amplius dolore ex hacce causa vexaretur (IO. BAVH. *Hist. pl. T. 2. p. 852.*).

In hydrope deobstruendi sua et diuretica potentia multum valet. Confert eo fine itidem vel succus

cum

cum ſaccharo vel vino remixtus (HEIST. *comp. med. pract. p. 212.*) vel et cereuiſia fortior acida Armoracia impraegnata (*Vet. Acad. Handl. 1766. p. 231.*).

Raſa demum radix recens ad vnciam dimidiam cuti impoſita epiſpaſtica efficacia eminet. Poteſt etiam eo fine cum ſeminibus Sinapi contritis et aceto maceratis miſceri, addito fermento panis, q. ſ. ad conſiſtentiam cataplaſmatis. Vt ſimilia ſtimulat reuellitque in ſoporoſis morbis, odontalgia, rel. Locus conſuetiſſimus, cui imponitur, plantae pedis ſunt. — Eadem lege operatur in odontalgia rheumatica ſedanda fruſtum radicis recentis gingiuae applicatum.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

AQVA RAPHANI RVSTIC. *Ph. W. p. 6.* Recens omnino efficax.

AQVA COMPOSITA *Ph. Lond. p. 57. Edinb. p. 30.* Diuerſa quodammodo vtriusque compoſitio, vtramque vero intrat Armoracia, Cochlearia, flauedo corticum Aurantiorum, digeſta cum ſpiritu vini; vt igitur ſua efficacia non careat.

LE-

LEPIDIVM.

LINN. *Syst. veg. p. 489. Gen. pl. p. 333.*

296.

Pharm. NASTVRTII HORTENSIS *Herba; Semen.*

Lepidium satiuum; floribus tetradynamis foliis oblongis multifidis. LINN. *Spec. pl. p. 899.* α, Nasturtium hortense vulgatum C. B. Est haec Varietas foliis planis Καρδαμον. Icon: REGNAVLT *Botan.* le Cresson Alenois. Pl. annua, ignotae adhuc *patriae; nisi forsitan in insulis freti Magellanici* (V. SCHOVTENII *noui Freti detectio*) crescat. *Ast colitur* in omni horto culinari.

Grate enim in mensis pungit linguam recens HERBA in Lactucae connubio, quam per se insipidam, vt Dracunculus aliaque addita, sapidam reddit et concoctu faciliorem. Sapor odorque idem, qui in huius familiae plerisque, et pariter cum viribus siccatione ignisque vehementia fugax. Ea vero acrimonia illi inest, vt et inflammet et exulceret cutem. Nec discrepat a sociis vi antiscorbutica. Quin in eo praeferenda haec stirps, quod semina quouis anni tempore et facillimo apparatu germinent. Fieri hoc potest in gossypio supra aquam in vase plano tenuiter expanso, qua

qua arte et ipsa aqua odore saporeque stirpis imbuitur et scorbuto aduersa redditur (LIND'S *Means of preserving the health of Seamen p. 35.*). Exoptatissimos effectus contra hunc morbum edidit in itinere GVILIELMI CORN. SCHOVTEN in freto Magellanico haec vel similis planta, quam persimilem Nasturtio nostrati vocat editor itineris Schouteniani (*noui freti detectio p. 35. 40. 41.*) quae fortassis fuit Lepidium oleraceum cll. FORSTERORVM. WEDELIO (*Misc. Nat. Curios. Dec. 2. Ann. 6. n. 89. p. 178.*) in hoc malo arrisit, herbam recentem carni vel suecum embammatibus addere, praeprimis autem panem butyro oblitum foliis recentibus obtegere. — *Pituitam praeterea primarum viarum et pectoris* herba soluit, et appetitum cibi comesta excitat.

Vlteriori experientia explorandum, an tineae capitis infantum herba vel trita vel frixa cum axungia porcina sufficiat (PARAEVS *Lib. 16. p. 462.*). Videtur morbus mere esse topicus, et notum, quam saepe optima alias quaeuis eludat.

SEMEN exiguum, rufescens, ouatum, lineatum. Acrius est herba, et aemulatur sensu Sinapi semen masticatum. Vix vnquam vero praecipitur.

Lepidium latifolium L. cuius icon in REGNAVLT *Botanique*, la Passerage, praecedente specie longe mordacior, vt et inde Germanis Pfefferkraut dicatur. Plura vero licet medicinae promittat, ad intinctus

ctus tamen vnice hinc inde perennis haecce planta colitur.

THLASPI.

LINN. *Syst. veg. p. 490. Gen. pl. p. 334.*

297.

Pharm. THLASPEOS *Semen.*

Thlaspi aruense; siliculis orbiculatis foliis oblongis dentatis glabris LINN. *Spec. plant. p. 901.* Thlaspi aruense siliquis latis C. B. Icon: BLACKWELL *Tab. 68.* Pl. annua, vitium frequens agrorum.

HERBA *Allium spirat sapitque, et huius sapore* inficit carnes, lac, butyrum, caseum, boum et vaccarum, vti et ouium, si ea vescuntur, qui vero sapor intra triduum alio pabulo dispellitur (HAGSTRÖM in *Vet. Acad. Handl. 1750. p. 100.*). Recens in cameras et lectos sparsa cimices lectularios fugat (TIBVRTIVS *l. c. p. 1766. p. 269. sq.*). Amplius adhuc commodum praestat in granariis, in quibus seruata vermes frumento infestos fugat (GADD *systematiska Inledning i Svenska Land-skötselen T. 3. p. 560. sq.*).

SEMEN exiguum, nigrum, subrotundum, nonnihil compressum et striis concentricis notatum. Acre nonnihil et amaricans, odoris alliacei. Angli plerum-

rumque illi ſubſtituunt ſemen *Thlaſpios campeſtris* L. (MILLER'S *Botan. p. 437.*). Carere poſſumus vtroque, quum proſtet Sinapi ſemen, nec niſi in THERIACA prius dictum hodie vſurpatur. Spondet tamen aliquam vim in ſcorbuto et ad pituitam incidendam.

298.

Pharm. BVRSAE PASTORIS *Herba.*

Thlaſpi Burſa paſtoris; ſiliculis obcordatis, foliis radicalibus pinnatifidis LINN. *Spec. pl. p. 903.* Burſa paſtoris maior folio ſinuato C. B. *Icon: Fl. Dan. Tab. 729.* REGNAVLT *Botan.*, le Tabouret. Pl. annua, vbiuis in ruderatis, ad vias, et in muris obuia.

Mitior licet HERBA affinibus, non diſſimulat tamen cognationem. Nam manifeſte extremi ramuli acres ſunt calorisque ſenſum linguae imprimunt, recte iam annotante LOBELIO (*Aduerſ. p. 76.*). Non nigreſcit ſolutio vitrioli martis eius connubio. Cadit igitur vulgaris opinio, quod refrigeret et adſtringat. Nec poſſum memet de adſcripta iſti in haemorrhagiis cuiuscunque generis, vteri, pulmonum, renum, narium, etiam externi corporis, poteſtate conuincere, auctores etſi fere omnes (e. c. SCHRÖDER *Theſ. ph. p. 544.* SIM. PAVLLI *Quadrip. p. 254.* BOERH. *Hiſt.*

plant. CHOMEL *Uſuell. T. 2. p. 145.* GEOFFROY *M. m. Traité T. 5. p. 400.*) eandem referunt; quae tanta adeo deſcribitur, vt herba axillis ſubdita vel nuchae applicata vel manu retenta ſtillicidium narium cruentum ſiſtat. Par dubitatio animum ſubit circa diarrhoeas et dyſenterias, quas compeſcere iisdem fontibus traditur. Effectus in gonorrhoea (SIM. PAVLLI *l. c.*) eodem ſine dubio fulcro imbecilli ſuperſtruitur. Itaque ſuperflua.

ORDO XXIV.

PAPILIONACEAE ſ. LEGVMINOSAE.

LVPINVS.

LINN. *Syſt. veg. p. 545. Gen. pl. p. 371.*

299.

Pharm. LVPINI *Semen.*

Lupinus albus; calycibus alternis inappendiculatis, labio ſuperiore integro, inferiore tridentato LINN. *Spec. pl. p. 1015.* Lupinus ſatiuus, flore albo C. B. Icon; BLACKWELL *Tab. 282.* Pl. annua pa-

patriae adhuc ignotae, sed in areis hortorum vulgare ornamentum.

SEMEN grande, orbiculatum, compressum arillo albo, medulla flaua. Sapor eius amarus ingratus, qui vero maceratione in aqua calida perit. Tempore iam GALENI (*Alim. 13.*) et PLINII (*Lib. 18. cap. 14.*) vulgare cibi genus fuit hominum, quod hodie fere omnino negligitur. In Catalonia et Italia saginandis bobus inseruit (CHOMEL *Usuelles T. 3. p. 57.*). Vanus itaque metus, ne interno vsu noxam pariat, quem quidam aluerunt (C. HOFFM. *de offic. L. 2. c. 135. p. 403.* SIM. PAVLLI *Quadrip. p. 89.*), tantoque magis, quum vix vlla inter papilionaceas exstet venenata planta: flatulentiam autem gignere et copiosiori esu obstipare aluum facile largior. Lumbricos necare intestinales in puluerem contritum vel decoctum vel et in linimento extrinsecus applicatum plures recensent; quorsum et refero SIM. PAVLLI (*l. c.*) historiam, quam ad probandam venenatam eius naturam profert. Verior eius indoles farinacea est, vt affinium, vnde farina eius aqua in cataplasma cocta, vel varie mixta aceto melle aliisque pro resoluendis vel emolliendis tumoribus commoda. Amarities simul semen ad abstergendum idoneum reddit. Vnde et decocto eius cutis purgatur. Sed inter tot alia similium virtutum haud iniuria superfluum semen censetur.

DOLICHOS.

LINN. *Syst. veg. p. 547. Gen. pl. p. 372.*

300.

Pharm. SILIQVAE HIRSVTAE *Setae.*

Dolichos pruriens; volubilis, leguminibus racemosis, valuulis subcarinatis hirtis pedunculis ternis LINN. *Spec. pl. p. 1019. Syst. veg. l. c. Mant. 2. p. 441.* Phaseolus americanus folio molli lanugine obsitis, siliquis pungentibus, semine fusco punctato PLVK. *Phyt. p. 214. fig. 1.* Conf. JACQV. *Hist. stirp. amer. p. 201. Tab. 122.* et KERR in *Med. Comment. Vol. 2. p. 202. sqq.* vbi descriptio accuratissima Anglice concinnata. Crescit in syluis et fruticetis Indiae orientalis e. c. Bengalia, item Americae australis, vt in Guiana Belgica, item insulis Caribaeis.

Legumen eius coriaceum, quatuor vel quinque pollices longum, crassitie fere digiti in formam litterae S tortum, obtegitur SETIS densis e ferrugineo subfuscis et nitidis. Hae vento detritae pruritum molestissimum et vrentem cuilibet animali, quod tangunt, excitant, vt et aethiopes et barbari, quorum cutis densissima, eas reformident (JACQVIN, KERR). Hinc et Bengalensibus Cadjuct, Gallis in Caribaeis Pois à grater, Anglis in Bengalia Couhage vel Cowitch vocatur.

Non

Non dubito virtutem anthelminticam ad hanc ſpeciem referre, nixus ill. JACQVIN et cl. KERR deſcriptionibus, quae et optime congruunt inter ſe et cum iſta cl. BANCROFT (*nat. Hiſtory of Guiana in Southamerica p. 53. ſq.*), qui poſterior quidem ſolus inter hoſce virtutem dictam memorat. Nec veriti ſunt auctores libri *medical Commentaries* Dol. prurienti adſcribere illam. Ill. BERGIVS autem et in *Materia* ſua *medica p. 605.* et in litteris ad me datis, (*m. Martio a. 1778.*) declarauit, ad Dol. vrentem LINN. ſe iudice vermes necandi vim pertinere. Equidem pro pharmaceutico nomine elegi id, quo apud iſtos venit, qui ſyſtema non curant.

Quae cl. BROWNE (*nat. Hiſtory of Jam. p. 291.*) de effectu plantae Cowitch contra vermes narrat, nullius fere vſus ſunt, quum ſpeciem non definiens modo ſignificet, in inſulis Americanis ad ventum ex leguminibus ſyrupum anthelminticum parari. Setae vero eorum vnice adhibentur, frequentiſſime in Guiana et alibi, praecipue ab aethiopibus, infantibus non excluſis. Hae ipſae rigiditate et acumine ſuo mechanice lumbricos, nam ad hoſce vnice hic reſpicitur, irritant et magna copia per aluum eliminant. Nam neque tinctura neque decoctum inde paratum eundem effectum praeſtat (BANCROFT *l. c. p. 393.*). Ne vero iniuriam ſimilem ventriculo et inteſtinis, quam cuti, inferant, easdem cum ſyrupo vulgari commiſcent,

ſcent, ad compagem electuarii liquidi, cuius cochleare pro Thea infanti bienni vel trienni, et dupla quantitas adulto, mane ieiuno ventriculo datur, iterando hanc doſin diebus ſubſequentibus, ſubiuncta demum doſi Rhabarbari (BANCROFT *l. c.*). Sunt et, qui veſperi tantum ſetarum harum infanti ſeptenni vel octenni exhibent cum ſyrupo, quantum vnum legumen erogat, et mane purgans ſubiungunt (COCHRANE in *med. Comment. T. 2. p. 83.*). Millena vero experimenta docent, tutiſſime hanc medicinam ingeri, quod tanto magis mirandum eſt ſub empirica iſta praxi, qua plantationum domini ſemel intra tres vel quatuor menſes ſeruis ſuis omnibus et ſingulis, et infantibus praecipue, absque vlla neceſſitatis inquiſitione exhiberi dictum medicamen curant (BANCROFT *l. c. p. 391.*).

SPARTIVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 553. Gen. pl. p. 368.*

301.

Pharm. GENISTAE *Herba; Flores; Semen.*

Spartium ſcoparium; foliis ternatis ſolitariisque, ramis inermibus angulatis LINN. *Spec. pl. p. 996.* Geniſta anguloſa et ſcoparia C. B. Icon; *Fl. Dan. Tab.*

Tab. 313. Fruticulus in locis arenosis et elatis temperatioris Europae crescens.

Hanc speciem loco *Genistae tinctoriae*, quam officinis dicauit LINNEVS, multique alii post eum, vt CRANZIVS, VOGELIVS, BERGIVS rel. propono, praeeunte HERMANNO, CHOMELIO, GEOFFROY, SPIELMANNO, medicis Edinburgensibus (etiam hodie in *Ph. Ed. nouiss. p. 17.*), et indubia experientia cum Spartio capta. Non tamen repudio, sal vtriusque incineratione paratum, prout alia similia vegetabilium earundem virium esse.

In oeconomia non despiciendus fruticulus, pro sepibus viuis, quas ornat floris elegantia, ad alliciendas apes, *pro foco, praeter mox dicenda de floribus.*

FOLIIS et CAVLIBVS sapor amarus nauseosus inest, quem tam aqua quam spiritus vini contrahit. Et hae quidem partes lotium copiose mouent, vnde in hydrope aqua coctae valde prosunt (MÖHRING *Act. N. C. Vol. 5. pag. 32.*). MEADIVS casus hydropis pertinacis *decocto summitatum eius viridium*, seminibus Sinapi superbibito, curati meminit (V. supra de semine Sinapi *p. 326. sq.*), quo ipso tam lotium quam aluus vberrime mota. Sed frequentior est cinerum vel salis inde eliciti in hydrope vsus. Cinerum horum drachma vna in tres doses per diem diuisa, dein ad vnciam dimidiam aucta, per lotii vias hydrope anasarca magnae molis liberauit feminam

grauissime affectam (MONRO *on Dropsy p. 64.*). Praestat vero lixiuium ex iisdem parare. Quod, praeeunte eximio SYDENHAMO (*Oper. p. 497.*), commode fit ex cinerum eius libra vna, vini Rhenani libris quatuor, infuso pugillum vnum vel alterum foliorum Absynthii vulgaris addendo; cuius liquoris vnciae quatuor ter de die potentur, donec tumor disparuerit, sicque hydropes, pro deploratis habiti, deuicti fuerunt, qui ipsi etiam ob aegri debilitatem purgantia non tulerunt. Inferioris sortis hominibus sufficit lixiuium saturatissimum aqua factum, ad libram vnam vel duas per diem potatum, quo ipso copia militum exercitus Suecici hydropem eluctata est (ODHELIVS *in Vet. Acad. Handl. 1762. p. 82.*). Subiungenda autem hisce resoluendo et lotium mouendo egregiis, vel interpolanda commoda roborantia sunt. Quum cinerum efficacia a sale fixo, quod continet, dependeat, sal Genistae purum vino acidulo solutum eodem successu hydropicis offertur.

FLORES. Obsoleuit fere plane hodie eorundem vsus. In Auernia et Aquitania iam dudum acetarii instar a plebe copiose esitati sunt, et apud Brabantios nondum explicati, sale et aceto conditi, capparidum in modum (LOBEL. *Aduers. p. 407.*), item apud Noricos (C. HOFFM. *offic. p. 307.*). Haec non bene conciliantur cum aliorum effatis, quod per se ingesti vomitum cieant, in decocto autem aluum moueant

ueant (SIM. PAVLLI *Quadrip. bot. p.* 72. BÖCLER in HERM, *M. m. T.* 1. *p.* 321.). Quae ignominia huic ſtirpi illata inde videtur proueniſſe, quod eadem cum Spartio DIOSCORIDIS habita fuerit. Nec infuſum ſummitatum florentium copioſe potum apud aſthmaticos quondam aliud effecit, quam lotii excretionem et ſcreatum liberiorem (LEWIS *M. m. p.* 292.). Reliquas virtutes adſcriptas ſilentio praetereo, vtpote fidis teſtibus deſtitutas.

SEMEN ſubcylindricum, ſplendens, flauum, ſaporis dulcis, deſiit ſerius vſurpari. In decocto blande vomitum mouere LOBELIVS (*l. c.*) auctor eſt.

GENISTA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 536. *Gen. pl. p.* 368.

302.

Pharm. RHODIVM *Lignum.*

Geniſta canarienſis; ſoliis ternatis vtrinque pubeſcentibus ramis angulatis LINN. *Spec. veg. p.* 536. β. Cytiſus canarienſis ſemperuirens et incanus COMMEL. *Hort. T.* 2. *p.* 103. *Tab.* 52. Arbor Hiſpaniae et Canarienſium inſularum.

Incertum adhuc eſt, ex quanam ſtirpe hoc lignum ſit (LINN. *Diſſ. Obſerv. in Mat. med. p.* 7.), quamuis

uis ill. praeceptor Geniſtan. n dubitanter in *Materia medica* LINN. (*Ed. 1. p. 347.*), confidentius in *Speciebus pl.* (*p. 997.*), et poſtea (*Diſſ. de Opobalſ. p. 2.*) ex Aſpalato quadam BROWNII eſſe, propoſuerit.

LIGNVM, h. e. lignoſa radix, ex *inſulis* Canariis, Antillis et orientalibus quibusdam regionibus transfertur fruſtis nodoſis incuruis duris, vnius vel *alterius* pollicis craſſitie. Extrinſecus coloris albidi, interne luteo rufeſcentis, odoris roſei, quem raſum praecipue ſpargit, ſaporis ſubamari reſinoſi. Flammae admotum facile ardet. Quo grauius eſt, et quo profundiorem colorem prae ſe fert, eo praeſtantius. Analyſin chemicam etiam CHAMBERS (*De Ribes Arabum et ligno Rhodio, Lugd. 1724. 4.*) praeſtitit. Aqua deſtillatione fragrante eius odore imbuitur, et ſimul abripit etſi lente olei aetherei ſumme odori circiter $\frac{1}{32}$ (CARTHEVS. *M. m. T. 2. p. 168.*) vel $\frac{1}{50}$ (LEWIS *M. m. p. 354.*) quodſi modo lignum integrae notae fuerit. Infuſione tam aqua quam ſpiritus vini adſciſcit odorem ſaporemque eius. Extractum aquoſum nonnihil pungens et amaricans eſt, ſpirituoſum vero et de fragrantia participat.

PRAEPARATVM.

OLEVM LIGNI RHODII DESTILLATVM *Ph. W. p. 129.* Coloris initio eſt aurei, ſenſim rubicundi. Vt deſtillatione elici poſſit, lignum aliquot hebdomades

des antea aqua emolliatur, dein raſpando ſuper rota ferrea cuſpidibus acutis inſtructa, et ope machinamenti, quod equus circumagit, voluta, comminuatur (FERBERS *n. Beyträge zur Mineralgeſch. 1. B. p. 365.*). Ob *odoris* gratiam pomatis, balſamis rel. additur. Vim analepticam coniectura promittit, nondum autem experientia euicit. Inter aliam farraginem in PVLVERIBVS STERNVTATORIIS *offic.* quibusdam occurrit.

ONONIS.

LINN. *Syſt. veg. p. 541. Gen. pl. p. 370.*

303.

Pharm. ONONIDIS ſ. RESTAE BOVIS *Radix*; *Herba.*

Ononis aruenſis; floribus racemoſis geminatis, foliis ternatis, ſuperioribus ſolitariis, ramis inermibus ſubuilloſis. LINN. *Syſt. veg. p. 541.* Si verum eſſet LÖSELII aſſertum, cui poſt *Florae Suec. Ed. 1.* ſubſcripſerunt ill. LINNEVS, HALLERVS aliique magni botanici, ſtirpem iuniorem inermem eſſe, adultiorem ſpinoſam: referendae huc eſſent Varietatis nomine α, Anonis ſpinis carens purpurea C. B. β, Anonis ſpinoſa, flore purpureo C. B. Sed RAIVS, GOVANVS aliique, et nouiſſime cl. REZIVS

ZIVS experimentis ductus (in *Phyſ. Sällſk. Handl. P. 1. p. 128. ſq.*), diuerſas ſpecies declarant. Officinis vero ſpeciatim dicata Ononis ſpinis inſtructa; cuius icon: REGNAVLT *Botan.* l'Arrête-Boeuf ou Bugrande. Pl. perennis vel fruteſcens, vulgaris ad vias et in aridis.

RADIX pedem ſupraque longa, cylindrica, pollicaris craſſitiei, extus fuſca, intus alba, deſcendens, adeo tenax, vt, quod iam antiquis notum, aratro remoram pariat, ſaporis ſubdulcis; quidam nauſeoſum et ſubfoetidum deſcribunt (*New Diſpenſ. p. 171.*). Cortici eius maior vis inſidet (SIM. PAVLLI *Quadrip. p. 224.* CHOMEL *Uſuell. T. 1. p. 284.*).

Rarius quidem hodie praecipitur radix, ſed hinc inde tamen ſeriori quoque tempore efficaciam ſuam, quae in dubium vocari omnino coeperat, probauit; quin moleſte quidam aegri ex eadem affecti ſunt (PFISTER. BERGIVS *Mat. med. p. 601.*). Nempe aperiens et diuretica praedicatur, imo in calculo opportuna, praeeunte veterum (GALEN. *de ſimpl. L. 8.* DIOSC. *M. m. Lib. 3. cap. 21. p. 180.*) laude. Inuoluntarium adeo lotii profluuium ex manipulo eius vno in vini libra vna cocto, et caſu ſingulari ob dyſuriam capto, legitur exortum (LENTIL. *Miſcell. medico-pract. p. 277.*), quod nimium mihi videtur. Vix ſuppar remedium in veſicae vel renum calculo nouit SIM. PAVLLI (*l. c.*), cui praeconio etſi non adſentior, non du-

dubito tamen fabulum pellendo dolores a calculo mitigare posse. Et memorabile, medicum experientissimum (cel. BERGIVM in *M. m. p. 600.*) saepe in ischuria ex calculo vesicae leuamen decocto attulisse, vbi alia non profecerant. Efficacia, quam quidam (MATTHIOLVS in DIOSCOR. *L. 3. c. 18. p. 501.* SCVLTETVS in *Obseruat. n. 74.* NEBEL in *A. N. C. Vol. 2. Obs. 3. p. 12.* sed hic posterior quidem in connubio purgantium et emplastri discutientis, item BERGIVS *l. c. p. 12.*) pulueri tribuerunt in sarcocele, maiori iure ad hydrocelen referri arbitror, cum altero malo forsitan confusam. Animaduertit et in eam laudem PFISTERVS (*de Hydrosarcocele §. 50.*), qui non in omnibus lotium mouisse queritur. Hydrosarcocelen tribus casibus omnino dissipare contigit ill. ACREL (BERGIVS *l. c.*). In puluere igitur ad drachmam vnam vel et in decocto aquoso conducit, praecipue cortex eius.

HERBA rarius adhuc decernitur. Decoctum huius ex pugillo vno et aquae libra dimidia modico igne paratum, et longa primum serie dein per interualla mane potatum, homini diu calculoso tam felicem praestitit opem, vt quaeuis pristinarum molestiarum silerent. An ipsa diathesis calculosa eo sublata, dici nequit, certe nullum calculi vestigium postea in cadauere exstitit (DE HAEN *Rat. med. P. 6. p. 289.*).

VI-

VICIA.

LINN. *Syſt. veg. p. 552. Gen. pl. p. 376.*

304.

Pharm. FABAE *Semen; Stipites; Flores.*

Vicia Faba; caule erecto, petiolis absque cirrhis LINN. *Spec. pl. p. 1039.* Faba C. B. Κυαμος Graec. Icon: REGNAVLT *Botan.* la Fêve de Marais. Pl. annua, in Aegypto et ad mare caſpium in confiniis Perſiae (LERCHE in LINN. *Syſt. veg. p. 554.*) ſpontanea, colitur in hortis agrisque copioſe.

SEMEN reniforme, compreſſum ex arillo craſſo giluo et medulla alba, dum ſiccum eſt, conſtans, callo lineari inſidens. Maximum eſt indigenarum vel apud nos hoſpitantium plantarum. Varietas ſemine minori menſas etiam delicatiorum intrat. Altera vero ſemine maiori aegrius concoquitur et flatulentior, praecipue arillis nondum exuta. Vtriusque ſemen tam ante maturitatem quam ſiccatum coctione praegreſſa editur. Praeſtat vero ſeminibus tenellis veſci, vtpote tenuioribus longe, et horum quidem legumina conciſa nonnulli ſimul comedunt. *Farina* ſeminum in officinis occurrit, et vt aliae ſimiles Lupini, Erui, Foenugraeci, Lentium, Orobi, frumentorum, caleſacta reſoluit, cocta aqua vel lacte emolliendis et maturandis

dis tumoribus inſeruit. Sordes abſtergere cutaneas decoctam quidam volunt. Additur FARINIS nomine QVATVOR RESOLVENTIVM venientibus.

STIPITES. Incineratione copiam ſalis fixi largiuntur, quod, vt ſupra (*p. 361.*), ſub Spartio de eiusmodi ſalibus generatim dictum, lotium potenter pellit. Confert eo fine cineribus infundere vel vinum vel aquam.

FLORES. Recentes gratum, ad illum Lilii candidi accedentem, odorem ſpirant, qui vero ſiccatione perit. Aqua deſtillata olim inde parata, quam coſmeticam habuerunt, ſed immerito.

ERVVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 554. Gen. pl. p. 376.*

305.

Pharm. LENTIVM *Semen.*

Eruum Lens; pedunculis ſubbifloris, ſeminibus compreſſis conuexis LINN. *Spec. plant. p. 1039.* Lens vulgaris C. B. Φακος Graec. Icon: RIVIN. *Fl. irreg. tetrap. T. 35.* Pl. annua, in Gallia inter ſegetes, et in Valeſia in vineis ſponte creſcens, alibi in Europa copioſe in vſum culinarem in agris colitur.

Duplex eius varietas: femine α, maiori et β, minori (Icon vtriusque: RIVIN. *l. c.*). Vtrumque orbiculare compreſſum margine acuto arillo cinereo bruno, *medulla* fuſca. Piſorum *inſtar* coquuntur *lentes*, non ingrati quidem ſaporis, ſed *flatibus* moleſtiſſimae et difficillimae concoctu, ita vt iis, *quos* debilitas primarum viarum tenet, integrae ſecedant, *hinc* nonniſi laborioſae vitae hominibus concedendae. Flatulentia adeo equos necaſſe legitur (ELLIS apud HALL. *ſt. helv. n. 421.*).

Abeſſe poſſent lentes commode ex foro medico. Merito hodie ridemus Arabum et ſequiorum quorundam *in pellendis variolis, et morbillis* laudem, quae ſi quid veri *inuoluit, hoc decocti vnice calore, quantum* capio, continetur. Plus omnino intereſt, ad foedas poſt variolas cicatrices a facie arcendas, hanc decocto lentium, dum ſiccari incipiunt, crebrius fouere (CHOMEL, *Uſuell. T. 3. p. 61.*).

Farinae ſeminum pretium ſub *n. 304.* iam ſtatui; ſed vix vnquam hodie curatur.

306.

306.

Pharm. ERVI ſ. OROBI *Semen.*

Eruum Ervilja; germinibus vndato-plicatis, foliis impari-pinnatis LINN. *Spec. pl. p. 1040.* Orobus ſiliquis articulatis, flore maiori C. B. Icon: RIVIN. *Fl. irreg. tetrap. Tab. 61.* Pl. annua auſtraliorum Europae regionum et Orientis.

Alimentorum pro hominibus numerum olim auxit, ſed vetat eius inſalubritas, nam panis ex ſemine vel ſolo vel cum Tritico coctus crurum imbecillitatem produxit, vt ſcipionibus binis inniti opus eſſet, vitio extenſoribus muſculis inducto (BINNINGER *Obſ. et Curat. med. Cent. 5. Obſ. 70. p. 571. ſqq.* Conf. VALSINIERI in *Galer. di Minerva T. 4. p. 240.*). Ipſos equos, qui plantam integram deuorauerant, tanta crurum et tibiarum imbecillitas corripuit, vt vix inſiſtere pedibus poſſent, ſed per longum temporis interuallum contremiſcerent (BINNINGER *l. c. p. 574.*). Gallinas diſtenſione ingluuiei ſemen necat (ROSSI *de plant. venen. p. 39.*). Nihilominus in Heluetia cum Lentibus et Viciis ſeritur (HALL. *ſtirp. helv. n. 420.*).

Superfluum inter medicamina, vt tamen *Farinae* eius virtus ſecundum *n. 304.* pariter diiudicetur. Haec ſimiliter FARINIS QVATVOR RESOLVENTIBVS adſcripta.

CICER.

LINN. *Syst. veg. p. 554. Gen. pl. p. 377.*

307.

Pharm. CICERIS *Semen.*

Cicer arietinum; foliolis serratis LINN. *Spec. pl. p. 1040.* Cicer satiuum C. B. Ερεβινθος Graec. Icon: REGNAVLT *Botan.* le Pois Chicke; item in CLEWBERGII *Diss. de variis frumentorum et leguminum speciebus vet. test. Vps. 1760.* Pl. annua, in agris Palaestinae, Hispaniae, Italiae spontanea.

Arilli SEMINIS color variat; vnde distinctio inter Cicer *album, rubrum, nigrum;* ad quam non video in vsu respici. Est subrotundo-nodosum, cuspide incurua, magnitudinis pisi, medulla flauicante. Tam escae nomine, quam medelae, iam antiquitus cognitum. Sunt (BOCHARTVS in *Hieroz. P. 2. p. 46.* SHAW *Travels p. 222.* item CLEWBERG *l. c. p. 38.*), qui per vocem Kali in *2. libro* SAMVEL. *cap. 17. v. 28.* secundo loco memoratam Cicer tostum intelligunt; nam in vniuersum illa in sacris litteris tostum frictum siue torrefactum esculentum quoddam significat (IO. GESNER *Diss. Phytogr. sacr. Spec. P. 2. p. 10.*). Quicquid sit, fricti Ciceris tam Graeci varii quam Romani meminerunt, tanquam cibi speciei (GALENVS. BOCHART *l. c.*). Et adhuc hodie in plateis orientalium

vr-

vrbium copioſe in cupreis ſartaginibus et furnis ſemina haec torrentur (SHAW *Travels l. c.*); nam coquendo non ſinunt ſeſe in pulpam redigi. Toſta Coffeae non diſſimilem potum ſuppeditant (REICHART *Gartenſchaz T. 5. p. 163.*). Farinam quoque eorum in lacte elixatam, vel Cicera in aqua elixa vel alio modo praeparata antiqui comederunt; valentius adeo nutrire, quam fabas, GALENVS (*de alim. facult.*) affirmat, ſed itidem flatulenta. Tum quoque iam moris fuit, immatura et virentia ingerere, qui et hodie in Italia obtinet, vbi, vt in aliis Europae auſtralis regionibus, pro vſu cibario feritur. Praeſtant vero omnino in iuſculis decocta. — *Lotium pellere ſemina notatum*, vt et exulceratam veſicam renesque laedant (DIOSC. *M. m. Lib. 2. p. 126.*). Hac vi vnice niti videtur illis adſcripta, ſed non experimentis fidis confirmata, in calculo frangendo potentia. Nec illam euincit Augerianum remedium (Vid. SCHVLZ *Diſſ. an dentur medicamenta calculum etc. p. 24. ſqq.*), quum decoctum Cicerum non ſolum, ſed inſtar vehiculi efficacioris remedii captum fuerit.

Farina ſeminum, vt ſimiles aliae, pro diuerſo externae applicationis modo, reſoluit, maturat. Sed obſoleuit fere omnino in medica praxi.

GLYCYRRHIZA.

LINN. *Syſt. veg. p. 557. Gen. pl. p. 380.*

308.

Pharm. GLYCYRRHIZAE ſ. LIQVIRITIAE *Radix.*

Glycyrrhiza glabra; leguminibus glabris, ſtipulis nullis, foliolo impari petiolato LINN. *Syſt. veg. l. c.* Glycyrrhiza ſiliquoſa et germanica C. B. Γλυκυρριζα THEOPH. Γλυκυρριζα rel. Graecorum. Conf. deſcriptio amplior ill. PALLAS in *Reiſe durchs Ruſſ. Reich T. 1. p. 498. n. 120.* Icon: REGNAVLT *Botan.* la Regliſſe. Pl. perennis in Franconia, Hiſpania, Gallia inferiori, Italia, item in auſtraliori deſerto ad Iaikum Rutheniae ſponte creſcens. Sed in Anglia, Lotharingia aliisque locis copioſe colitur. In horto noſtro botanico floret quidem quotannis, ſed raro legumina format. Translatio eius difficulter ſuccedit ob fibrarum paucitatem.

Quum fructum referre Platani pilulas et aſperiorem ſignificet DIOSCORIDES (*M. m. Lib. 3. cap. 7.*): de *Glycyrrhiza echinata* LINN. eum loqui vero ſimile eſt, et hanc nominatim veteribus vſitatam. Cuius etſi radicem alterius vinci dulcedine et gratia LOBELIVS (*Adverſ. p. 405.*) affirmat, copioſe tamen ad Volgam effoditur, ac ex eadem in pharmacopo-

copolio Aſtrachanenſi tanta copia ſuccus paratur, vt imperio toti Ruthenico ſufficiat (LERCHE in GMEL. *Fl. Sibir. T. 3. pag. 32.*). Litteris d. 10. Nov. a. 1778. etiam L. B. DE ASCH certiorem me fecit, vtramque in Ruſſia iam pari paſſu et praeſcriptionibus medicis et effectu ambulare. Quod et confirmat, quae nouiſſime in lucem prodiit, *Pharmacopoea Ruſſica p. 25.*

RADIX Gl. glabrae repens, ſed profunde deſcendens, tenax, pollicem vel infra craſſa, extrinſecus bruno fuſca et, dum ſicca eſt, rugoſa, interne flaueſcentis coloris. Transuerſim ſecta, etiamſi ſicca, radios et vaſa ſuccoſa prodit, quae maiora et diſtinctiora ſub microſcopio in Hiſpanica radice, quam Franconica, apparent. Vnde argumentum capitur haud improbabile, iſtam huic praeferendi (WEDELII et SCHMIDII *Diſſ. de Glycyrrh. p. 9. ſqq.*) quae, ſiue Hiſpanica, et dulcedine reliquis antiſtat (SPIELM. *M. m. p. 456.*). Sapor radicis dulcis, inprimis parte corticali, et nonnihil mucilaginoſus; diutius guſtata leuem amaritiem prae ſe fert. Coctione ingrate amareſcit. Aqua extractum dimidii fere ponderis radicis eruitur; ſpiritu vini autem extractum, quod modo quartam circiter eius partem conſtituit; quod ipſum prius dicto dulcius longe eſt, vtpote non inſipida mucilagine commiſtum (LEWIS *M. m. p. 297.*). Ab aliis dulcibus Glycyrrhiza in eo differt, quod difficile fer-

mentationem ſubeat. Ore retentam ſedare ſitim vetuſtiſſima obſeruatio eſt (THEOPHR. *l. 9. cap. 13.*), vt ideo ἀδιψον dicta. Succum eliquatum idem facere (DIOSC. *l. c.*). Vnde hydropicis grauiter ſitientibus eximium ſolamen radicis maſticatio affert, vetuſta pariter experientia (PLINII *Lib. 22. cap. 9.*), quam hodierna laete confirmat. Stimulos praeterea acres inuoluit, fibras relaxat, exulcerata abſtergit, et aliorum dulcium in modum blande reſoluit. Frequens igitur eius vſus eſt in tuſſi, raucitate, ſcreatu in affectionibus pectoris imo inflammatoriis languente, in nephritide, ſtranguria, eroſionibus faucium. Pro hiſce ſcopis vel pulueri locus eſt, vel conciſa radix in infuſo theaeformi cum aliis propinatur. Si decoquenda, nonniſi ad finem coctionis reliquorum addenda, ne amarities faſtidium pariat. Proſtat et copia praeparatorum, in quibus crebrius, quam per ſe, aegris offertur. Additur ſubinde radix aliis ad celandum ingratum eorundem ſaporem, prout pilulis puluis vel eo fine inſpergitur, et ne inter ſeſe cohaereſcant. Quantum conferat, vt cortex Peruuianus gratius ingeratur, alibi iam ſignificaui (*App. med. T. 1. p. 570.*).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

SVCCVS vel EXTRACTVM *Pharm. omn.* Iſti in Hiſpania parato praerogatiua vulgo conceditur. Ibi

Ibi in Catalonia praecipue ex radicibus ſiccatis aqua coctis expreſſione eruitur ſuccus et in extracti tenacitatem coctione ſpiſſatus vlterius ſolis vi denſatur. Forma ſubcylindrica venditur longitudine ſex pollicum, craſſitie vnius vel maiori foliis laurinis obuolutus, in fractura ſplendens. Dulcis ſaporis cum leui amaritie. Reiiciatur empyreuma ſapiens vel olens, et qui lingua diffluens foeces relinquit. Liberatus ab hiſce noua ſolutione et decantatione SVCCVS LIQVIRITIAE DEPVRATVS (*Ph. Dan. p. 249.*) audit. Hac extracti forma omnium creberrime radix in vſum vertitur. In tuſſi et reliquis pectoris affectionibus dictis non priuandum ſua laude, vel per fruſtula ore liquatum, vel in linctu oxymelle commixtum, vel aqua deſtillata ſolutum et aliis commodis mixtum. Pauperes vtiliter decoctum auenae, in quo ſolutum fuit, potant. Larga vero eius copia requiritur, ad ſeſquiunciam per diem (TISSOT *Avis p. 181.*). Inſtar ſuppoſitorii vſurpatum in haemorrhoidariis ardorem ani leuat (STÖRCK *Unterricht für Feld- und Wundärzte T. 2. p. 81.*).

PASTA LIQVIRITIAE *Ph. W. p. 135.* Ob decoctum radicis Gummi Arabici et ſaccharo a. l. iunctum lubricandis faucibus et acri ſtimulo ad tuſſim vellicanti inuoluendo inſeruit. Pertinaciori autem tuſſi non ſufficit.

BACILLI DE LIQVIRITIA ALBI ſ. LIQVIRITIA ALBA COCTA *Ph. W. p. 27.* Conſtat ex G. Arabico, *Speciebus diaireos* et *diatragacanthae*, radice *Liquirit.* et Amylo, addita demum copia Sacchari et mucilagine Tragacanthae. In mitioribus faucium et pectoris affectionibus pariter locum habet.

BACILLI DE LIQV. CITRINI *l. c. p. 28.* Ex radice Liqu. Ireos Florent. Amylo, Croco, Saccharo cum mucilagine Tragacanthae in ſuam formam redactis. Croco ob exiguam quantitatem nonniſi color, nec vlla anodyna efficacia, in hiſce debetur. Ob mucilaginem parciorem minus inuoluunt, quam praecedentes.

TROCHISCI BECHICI ALBI *Ph. W. p. 234.* Eiusdem fere compoſitionis, ac bacilli de Liquir. albi, et valor idem. Sed omitti hic poſſent ob defectum radicis Glycyrrhizae.

TROCHISCI BECHICI CITRINI *l. c.* Proxime accedunt ad nuperrime dictos ſelectu partium, ſed loco Amyli radix Liquiritiae et Crocus adduntur. Prioribus efficaciores.

TROCHISCI BECHICI NIGRI *l. c.* Accedunt ſemina aromatica Aniſi et Foeniculi et ſuccus Liquiritiae, vnde color nigricans. Efficacius reſoluunt, quam reliqui.

SYRVPVS GLYCYRRHIZAE *Ph. W. p. 211.* Compoſitus iuſto magis, radicem Glycyrrh. herbasque

que capilli Veneris et Hyssopi comprehendit. Dictis pectoris vitiis dicatus, rarioris hodie vsus.

VNGVENTVM DE LIQVIRITIA *Ph. W. p. 244.* Obsoletum. Plurima vis a Nihilo albo, Cerussa et Camphora in excoriationum et fissurarum sanatione, contra quas laudatur, deriuanda.

ELIXIR PECTORALE REGIS DANIAE *Ph. W. p. 54.* Simplicius occurrit in *Ph. Dan. p. 149.* ELIXIR PECTORALE WEDELII *Ph. W. l. c.* SPECIES TRAGAC. FRIGID. *Ph. W. p. 180.*

309.

Pharm. Ruth. GLYCYRRHIZAE *Radix.*

Glycyrrhiza echinata; leguminibus echinatis, foliis stipulatis, foliolo impari sessili LINN. *Syst. veg. p. 557.* Glycyrrhiza capite echinato C. B. Conf. prolixior descriptio cel. PALLAS in *Reise durchs Russ. Reich T. 1. p. 498.* Icon: JACQV. *Hort. Vindob. Tab. 95.* Pl. perennis, cr. in australioribus regni Ruthenici et Apulia. In horto nostro quotannis flores maturaque semina fert.

Commode substituitur in Ruthenia praecedenti speciei; de qua re vide supra *p. 374.*

ASTRA-

ASTRAGALVS.

LINN. *Syst. veg. p. 566. Gen. pl. p. 385.*

310.

Pharm. TRAGACANTHAE *Gummi.*

Astragalus Tragacantha; caudice arboreſcente, petiolis ſpineſcentibus LINN. *Spec. pl. p. 1073.* Tragacantha C. B. DU HAMEL *Traité des Arbres T. 2. p. 343. cum fig.* Icon: REGNAVLT *Botan.* la Gomme adragant. Frutex exiguus Gallo-Prouinciae, Italiae, Siciliae, Candiae, vbi in monte Ida creſcit, et aliarum Orientis regionum.

GVMMI hoc ſponte aeſtate adulta erumpit per corticem ex trunci et ramorum medulla, vti et interſtitiis fibrarum radiatim diſpoſitarum ipſius ligni, vbi coaceruatum nouo vrgentis a tergo riuo vlterius propellitur. Qui mora et calore coiit gummoſus ſuccus, vlterius contactu aëris denſatur. Sicque laminarum rugoſarum, lineam plus vel minus craſſarum, inteſtinulorum inſtar contortarum, vel granorum forma ſaepe cauorum ſtirpi adhaeret, vt ex icone TOVRNEFORTII (*Voyage du Levant T. 1. p. 21.*) cognoſcere eſt. Colore variat, vnde diſtinctio in *Tragacantham albam* et *flauam* ſ. *rufam.* Prior vtpote purior vnice in medicum ſcopum ſeruari debet, altera ſordibus variis inquinata opificibus relinquenda.

Trans-

Transfertur vtraque magna copia ex Turcia. Nam arbores Europaeae vel nihil vel exiguum modo gummi ſuppeditant. Gummi probae notae ſubperlucidum, fragile, odoris ſaporisque expers eſt.

Longe difficilius ſoluitur aliis gummatibus aqua et vix perfecte, nempe intumeſcit quidem et in maiori copia aquae agitatione ſeſe commiſcet cum eadem, ſed illa inde turbida euadit, et conciliata iſti quiete mucilago fundum petit, et aqua priſtinam limpiditatem recuperat. Hinc et mucilago eius difficilius longe et minus conſtanter agitando oleum cum aqua copulat, quam illa Gummi Arabici, et ad combinanda balſama cum eadem per trituram largiori quantitate opus eſt, nec tam diu connubium iſtud perdurat. Nec tam apte acidum vitrioli obuelat (FRENCH in *med. Obſerv. and Inquir. Vol. 1. p. 423. 425.*). Fruſtra et tentatum, triturando illam cum mercurio viuo coniungere (PLENK's *Art d. Queckſilber zu geben, Exper. 9. p. 28.*). Frigida tamen aqua Tragacantham absque praeuia eius in puluerem comminutione perfecte intra quinque vel ſex horas ſolui poſſe, cl. RVTTY (*Obſervations on the Lond. et Edinb. Diſpenſatories p. 179.*) aſſeuerat. Drachma eius vna librae vni ciuili aquae ſyrupi ſpiſſitudinem inducit (*New Diſpenſ. p. 136.*). Vix vnquam ſola exhibetur, ſed commiſta aliis, idque plerumque ſoluta, licet in puluere minus faſtidii pariat. Aegre tamen in puluerem

rem redigitur. Acrem ſtimulum, diarrhoeam vel dyſenteriam ſuſcitantem, vt alia gummoſa, inuoluit, humores tenues incraſſat, iacturam glutinis naturalis cauorum, vt in ſtranguria inde orta, reſarcit, fiſſuras labiorum vel papillarum conſolidat. Mucilago eius ad compingenda varia in trochiſcos, bacillos, pilulas, crebri vſus eſt. Additur et aliis, quae acrimonia ſua infeſta eſſe poſſent, exemplo Trochiſcorum Alhandal, pilularum WERLHOFII contra rabiem caninam, rel.

Simile Gummi ſuppeditat *Pterococci aphylli* PALL. (*Reiſe d. Ruſſl. T. 2. p. 322. Tab. 5.*) radix recens inciſa.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

SPECIES DIATRAGACANTHAE FRIGIDAE *Ph. W. p. 180.* componuntur ex G. Tragacantha, Arabico, Amylo, Glycyrrhiza. Si ſemina quatuor frigida, ſuperflua, addantur, id pro deſiderato fiat, ne rancore, in quem iſta inclinant, puluis noceat. PVLVIS DIATRAGACANTHAE *Ph. Ed. p. 73.* omittit G. Arabicum, vtpote ſuperfluum. PVLVIS E TRAGACANTHA COMPOSITVS *Ph. Lond. p. 89.* praeter dicta e *Ph. W.* Saccharum recipit. Species hae demulcent, inuoluunt, et in tuſſi et diarrhoea crebro praecipiuntur.

TROCHISCI etc.

GA-

GALEGA.

LINN. *Syst. veg. p. 565. Gen. pl. p. 384.*

311.

Pharm. GALEGAE *Herba.*

Galega officinalis; leguminibus strictis erectis, foliolis lanceolatis striatis nudis LINN. *Spec. pl. p. 1062.* Galega vulgaris C. B. Icon: MILLER'S *Figures of plants Tab. 137.* REGNAULT *Botan.* le Galega ou la Rue de Chevre. Pl. perennis, in Hispania, Italia, item in Rhaetia et Scaphusia crescens.

HERBAE *odor saporque vix vllus*, vt nec inde multas vires exspectes. Nec experientia fidem assignat. In Italia folia loco acetarii sunt (CHOMEL. *Usuelles T. 1. p. 400.*). Eneruare morsum venenatum serpentum perhibitum, a quo veneno extenderunt efficaciam ad miasma malignarum febrium, quin ipsius pestis, in succo vel decocto cum aceto vel sudoriferis (Conf. de hisce CASP. HOFFM. *in med. offic. Lib. 2. p. 305.*). Et huius in peste virtutis exempla duo de conserua ex foliis recentibus narrantur (BOYLE *Works Vol. 4. p. 292.*). Memoratur et succi vis anthelmintica (C. HOFFM. *l. c.*). Hinc inde experientia clarus Anglus (BISSET in *Med. Essays p. 163. 170.*) nuperius, obliuione fere data planta, infusum Galegae

gae praecipit tanquam vehiculum aliorum remediorum, licet ſcopus ab illo non ſignificetur, in dyſuria chronica et chorea St. Viti.

TRIFOLIVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 1077. Gen. pl. p. 387.*

312.

Pharm. MELILOTI *Herba c. Floribus.*

Trifolium Melilotus officinalis; leguminibus racemoſis nudis diſpermis rugoſis acutis caule erecto LINN. *Spec. pl. p. 1078. α*, flore luteo; ſ. Melilotus officinarum Germaniae C. B. Icon: REGNAVLT *Botanique*, le Melilot. Pl. annua vel biennis, ad vias et in collibus creſcens.

Varietas flore luteo manifeſte magis odora altera, albo inſtructa. Odor in ſiccata planta longe fragrantior, ſapor ſubamarus herbaceus. Acrem plantam contra ſuetam ſententiam habet HALLERVS, ita vt caſu ſeſe admiſcens feminibus Lini in angina nocuerit (*Hiſt. ſtirp. helv. n. 362.*). Flores praeferuntur vi foliis. Iumenta delectantur Meliloto, et horum in vſum in Anglia feritur (RAII *Hiſt. T. 1. p. 951.*). Vix vnquam vſurpatur hodie interne, vnde ſparſas laudes decocti in colica, inflammationibus imi ventris,

tris, retentione lotii, doloribus post vel ante partum, tympanite, fluore albo, non moror. Discutere extrinsecus applicatum, verius praeconium; de anodyna autem vi et emolliente dubito. Sicca igitur epithemata vel fluida, vti et cataplasmata, intrat. Addi clysmatibus non repudio, si flatus sint discutiendi. Praecipue vero pro emplastro sui nominis colligitur.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

AQVA DESTILL. *offic.* nonnihil odora. Obsoleuit.

EMPLASTRVM DE MELILOTO *Ph. W. p. 67. Antiquae originis formula*, GALENI tempore prioris, sed a MESVE aliisque postea multipliciter mutata. Hinc et maximi in eius compositione dispensatoriorum dissensus obtinent. Simplicissimum et vere nomine suo dignum est EMPLASTRVM DE MELILOTO SIMPLEX *Cod. med. Paris. p. 145.* ex summitatibus Meliloti, sebo bouillo, resina et cera. Prolixiora reliqua in *Ph. Dan. p. 159. Ph. Suec. p. 102.* et *Ph. W. l. c.* obuia, quae omnia, etsi inter se diuersa, complectuntur varia discutientia et emollientia. Odorem grauem in vniuersum spargit. Ad tumores discutiendos, vel emolliendos, praecipue glandularum maxillarium et parotidum, imponi solet. Quae vires vero admixtis aliis potius quam Meliloto videntur

adſcribendae. Emplaſtro veſicatorio additum dolorem ex eiusdem effectu mitiorem reddit.

TRIGONELLA.

LINN. *Syſt. veg. p. 576. Gen. pl. p. 388.*

313.

Pharm. FOENVGRAECI *Semen.*

Trigonella Foenum graecum; leguminibus ſeſſilibus ſtrictis erectiuſculis ſubfalcatis acuminatis, caule erecto LINN. *Spec. pl. p. 1095.* Foenum graecum ſatiuum C. B. Icon: REGNAVLT *Botan.* le Fenu-grec. *Pl. annua, creſcens in Galliae auſtralis aruis.*

SEMEN oblongum, tereti compreſſum vtrinque truncatum, bruno luteum, ſulco obliquo, Melilotum olens, amarum. Mucilaginem includit, tam copioſam, vt ſeminum vncia vna aquae vnciis ſedecim lentorem et mucilaginoſam naturam caloris ope conciliet (CARTHEVS, *M. m. p. 177.*). Extractum aquoſum $\frac{3}{4}$ circiter totius ponderis conſtituit, eſtque amaricans et odore ſeminum imbutum. Magis tamen ſaporem odoremque ſeruat ſpirituoſum (LEWIS *M. m. p. 278.*).

Rariſſime ore capitur in decocto vel infuſo, etſi mucilaginoſa natura et odor indicet praeter vires muci-

mucilaginosis communes resoluentem semini competere. Acquiescunt vero fomento vel cataplasmate ex farina eius parato, quando emolliendi vel maturandi sunt tumores, et clysmate ad eluendam blande aluum. Et ne in hosce scopos quidem crebro vsurpatur.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

Recipitur hoc semen in VNGVENTA et EMPLASTRA varia, vt OLEVM E MVCILAGINIBVS *Ph. Lond. p. 106.*; VNGVENTVM ALTHEAE *Ph. W. p. 239.*; EMPLASTRVM DIACHYLON SIMPLEX *Ph. W. p. 63.*

ORDO XXV.

LOMENTACEAE ſ. PAPILIONACEIS AFFINES.

CASSIA.

LINN. *Syſt. veg. p. 326. Gen. pl. p. 206.*

314.

Pharm. α SENNAE ALEXANDRINAE *Folia; Folliculi.*

β SENNAE ITALICAE *Folia.*

Caſſia Senna; foliis ſeiugis ſubouatis, petiolis eglandulatis LINN. *Syſt. veg. p. 327.* α, Senna alexandrina ſ. foliis acutis C. B. MORIS. *Hiſt. pl. T. 2. p. 201. Sect. 2. Tab. 24. fig. 1.* β, Senna Italica ſ. foliis obtuſis C. B. MORIS. *l. c. p. 200. ſ. 2. t. 24. f. 2.* Monographiam huius, cum icone eximia, praeſtitit SALVADOR SOLIVA in *Diſertacion ſobre el Sen de Eſpanna, Madrid 1774.* Planta annua. Prior creſcit ſponte in Aegypto ſuperiori (HASSELQVIST), etſi, quod mirum, ab ALPINO non memoratur, et teſte BLONDELIO (in SAVARY *Dictionn.*

ction. 2. p. 1537.) etiam in Arabia circa Mocham. Alteram, quae in Italia, item Gallo-prouincia crescit, ex priori fieri cultura affirmat cl. GOUAN in litteris ad SOLIVAM *l. c.* qui ipse rei subscribit.

Breuius perfungar consideratione *Sennae Italicae*, quae quidem aliquando a mercatoribus alteri substituitur. Praerogatiuam FALLOPIVS (*de simpl. purg. c. 59.*) Italicae iam tribuit, vtpote vtplurimum recentiori et pro nostra temperie aptiori. Plerique tamen auctorum virtute eam debiliorem altera declarant. Sese opponit huic iudicio Cl. SOLIVA, demonstratum cupiens vtrique eandem efficaciam competere, quin effecit sua commendatione in Hispania, vt ibidem vberius Italica coleretur. Sufficere hanc ipsam, altera etsi nonnihil debiliorem, ita vt dosi quarta parte maiori opus sit, vlterius nupera experimenta numerosa cll. COSTE et WILLEMET (*Essais sur quelques Plantes indigenes medicinales, à Nancy p. 25. sq.*) edocuerunt, quin praestare, quod torminum longe minus excitet. Vncia vna huius gummosarum partium drachmas tres praebet, resinosarum vltra scrupulos duos. Infusum eius aquosum nauseosi pariter odoris est; nec desunt vestigia olei istius paullo post de altera Senna describendi. Infantibus hydropicis huius drachmae duae ad vnciam vel sesquiunciam in infuso datae. Nec nocuit puerperis partu difficili debilitatis (*l. c.*).

Subinde Sennae, praecipue Italicae, foliis furrogantur folia *Coluteae arboreſcentis*; arboreae, foliis obcordatis LINN. *Spec. pl. p. 1045.* (Germanis Deutſche Senne), quod, quatenus fraus eſt, reprehenſione omnino dignum eſt. Attamen nec haec contra quorundam opinionem (e. c. LÖSECKII *Mat. med. p. 126. Ed. 4.*) purgandi poteſtate deſtituuntur; inuento tanto maioris faciendo, quum in auſtralibus Europae creſcens, hiemes noſtras in hortis facile ferat. Subſtitui verae Sennae poſſe, experientia ſua iam cognouit TH. BARTHOLINVS (*Med. Dan. domeſt. p. 229.*). Nimia foliorum in aqua ebullitione purgandi perditur vis, vnde infuſum praeſtat, ſed non nimis forti expreſſione ſubiuncta, ne rudiores et reſinoſae partes transeuntes tormina moleſta creent (COSTE et WILLEMET *l. c. p. 27. ſqq.*). Fumus foliorum inſtar Tabaci hauſtus pituitam oris et narium prolicit. Speciali caſu ſuperſtitem, poſt apoplexiam pituitoſam, grauitatem capitis cum mentis debilitate ſufflaminauit (*l. c. p. 29.*).

Sed transgrediar ad *Sennam Alexandrinam.*

FOLLICVLI eius ſiue legumina compreſſa ſeminibus oblongis hodie fere omnino ex penu medica exulant. Ab Arabibus autem, SERAPIONE et MESVE, item ab ACTVARIO, qui Graecorum primus Sennam memorat, foliis ſilentio preſſis, fructus vnice mentio fit, tanquam purgantis eximii. Ad virtutes

MA-

MVHAMMEDIS pertinet, quod omnium primus Sennam produxerit et Tithymalo pro aluo eluenda substituerit (REISKE *Misc. obs. ex Arabum monumentis, Leid. 1746.*) Galli inter nuperiores in vsum iterum folliculos reuocarunt. Hique et a foliorum odore saporeque ingrato immunes sunt, et minus quam illa torminibus subsequuturis molesti (SPIELM. *M. m. p. 647.*). Paullo vero debilius quam folia purgant (LIEVTAVD *Precis de la Matiere medicale p. 293.*).

In Aegypto Sennae mercatura nonnisi vni ex primatibus, cui ex pacto locata fuit, conceditur. Hic a rusticis collecta folia recipit, deinque partitione in tres portiones facta, per Massiliam, Liburnum, Venetias, Europaeis vendit (HASSELQVIST's *Reise p. 535.*).

Sapor FOLIORVM nauseosus, amaricans, subuiscidus, odor pariter ingratus, praecipue si infusum olfacias. Infusum aquosum coloris profunde lutei est. Nempe aquae facile vires suas impertiunt, idque definita proportione tantum, ita vt non augeatur efficacia, etiamsi maiori quantitate addantur. Drachmae eorum duae sufficere pro aquae vnciis quatuor existimantur (GREW *Experiments* in *Anatomy of plants*). Plus gummosarum partium illis inhaeret, quam resinosarum, vt adeo NEVMANNVS (*Chemie B. 2. Th. 4. p. 220.*) ex vncia vna foliorum extracti gummosi vnciam dimidiam cum granis decem, et ex residuo ex-

tracti ſpirituoſi gr. viginti octo elicuerit; CARTHEVSERVS (*M. m. T. 1. p. 583.*) autem illius circiter $\frac{1}{4}$, huius $\frac{1}{8}$. Ratio et habenda eſt olei vnguinoſo aetherei, cuius grana circiter ſeptem ex vncia vna foliorum deſtillatione eruta, ſpecifico nauſeoſo odore et ſapore ſennae imbuta, a quo et praecipua virtus purgans deriuata (CARTHEVS. *l. c. p. 584.*). Experimenta plura chemica legi poterunt in SENNERI *Diſſ. de Senna, Altdorf. 1733. p. 12. ſqq.*

Ad efficaciora, etſi paullo lentiora purgantia pertinent, crebroque etiamnum, praeprimis ab Anglis et Suecis, praeſcribuntur, parcius a Germanis aliisque gentibus. Quamuis multi in acutis febribus imo *inflammatoriis concedant, nolim in hiſce folia* adhiberi, quoniam me etiam iudice humorum circuitum accelerant et aeſtum augent. Non ſuperfluam igitur habeo admonitionem a cl. GEOFFROY (*M. m. Traité T. 3. p. 19. ſq.*) adiectam de omittenda Sennae in hiſce febribus, item haemorrhagiis et morbis pectoris adminiſtratione. Hinc et cl. HILLARY (*Diſ. of Barbados p. 217.*) nullo dyſenteriae ſtadio, qualiscunque ſit forma, eam probat, quum inflammationem augeat.

Flatus torminaque ciëre, communis fere omnium querela eſt, quae ipſa a tenerioribus hominibus ſub initium vel ſub vigorem effectus ſentiuntur. Vulgo STIPITES foliorum culpae rei exiſtimantur: ſed liberant eos ab hac experimenta crebro a cl. BERGIO (*M.*

(*M. m. p. 339.*) cum ſtipitibus ſolis aqua infuſis repetita, ſecundum quae aeque efficaces nec magis in torminibus excitandis infeſti, quam folia, agnoſcendi ſunt. Hinc et *Pharmacopoea pauperum Stockholmienſis* (*a. 1776. p. 14.*) praeciſe foliorum cum ſtipitibus copulam requirit. Praeuertitur vero hiſce incommodis vel ſufficienter Sennam diluendo vel addito aromate, vel ſi in decocto cum aliis deſideratur, addendo tantum Sennam ſub finem coctionis. Quod Braſilienſes Yquitayam ſ. Scrophulariam aquaticam L. eodem ſcopo adiicere ferantur, ſupra ſub *n. 269.* iam indicaui.

In puluere rariſſime exhibetur. Sunt tamen, qui a ſcrupulo ad drachmam vnam (GEOFFROY) imo duas (ALSTON) concedunt. Infuſum bulliente aqua factum optimam formam conſtituit. Pro colatura aquae vnciarum octo Sennae drachmam vnam ſufficere (ALSTON *M. m. T. 2. p. 228.*), haud exiſtimauerim. Praeſtat vnciam dimidiam vel drachmas ſex Sennae pro colatura vnciarum ſex liquidi vti, ſub acidi Tamarindorum vel cremoris tartari vel Citri, Mannae, aromatis et ſyrupi cuiusdam grati connubio, et huius partitas doſes, donec effectus deſideratus contingat, capere. Ita quum gratiae conſulitur tum virtuti, praeeuntibus variis pharmacopoliorum Anglicorum formulis. Domeſticum eſt non ingratum, folia Sennae in iuſculo prunorum addito tantillo Cinamomi macerare. Coctione diuturniori de-

crescit vis purgans. Nam extractum aquosum inspissatum vix tanta efficacia operatur, ac quarta pars infusi vel decocti, vnde paratum fuerit, vel aequale pondus foliorum in puluere (LEWIS *M. m. p. 539.*). Quibusdam et menstruum spirituosum placuit, quod ipsum iis opportunum, qui spirituosis adsueuerunt.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

EXTRACTVM FOLIORVM SENNAE *Ph. W. p. 92.* Rari vsus, cuius pretium iam determinaui. Nunquam solum, sed mixtum cum aliis datur.

DECOCTVM TAMARINDORVM C. SENNA *Ph. Ed. p. 56.* Ex Tamarindis et crystallis tartari, coctis, additis dein foliis Sennae, aqua Cinamomi, syrupo Violarum.

INFVSA varia cum aqua: INFVSVM SENNAE *Ph. Ed. pag. 57.* ex Sennae foliis et Zingibere; INFVSVM SENNAE COMMVNE *Ph. Lond. p. 62* ex Senna, crystallis tartari, seminibus Cardamomi; INFVSVM SENNAE LIMONIATVM *Ph. Lond. p. 63.* ex Senna, flauedine corticum Limoniorum rec. succo eorundem Londinensibus Medicis in haud exiguo pretio est.

TINCTVRA SENNAE *Ph. Lond. p. 72.* ex Vuis passis, Senna, seminibus aromaticis et spiritu vini tenuiori; TINCTVRA SENNAE COMPOSITA

SITA, vulgo ELIXIR SALVTIS *Ph. Ed. p. 47.* Mutata formula redit in *Ph. Ed. nouiſſ. p. 85.*

ELECTVARIVM LENITIVVM *Ph. Lond. p. 97.* Nonnihil diuerſum illud *Ph. Lond. p. 77.* Nimia farragine diſplicet illud FLORENZOLAE *Ph. W. p. 47.* Singula, inter varia alia blandiora purgantia, dulcia cum aromate et Sennam comprehendunt. Edinburgenſe praecipue eximium et grate purgans eſt, ſi repetitione opus, ad cochlearia duo pro Thea iteratis vicibus; vel ad vnciam vnam, ſi vnum praebium placet.

315.

Pharm. CASSIAE vulgo ſ. CASSIAE FISTVLARIS Angl. *Pulpa.*

Caſſia Fiſtula; foliis quinqueiugis ouatis acuminatis glabris, petiolis eglandulatis LINN. *Spec. pl. p. 540.* Caſſia Fiſtula alexandrina C. B. COMMEL. *Hort. Amſtel. T. 1. p. 215. Tab. 110.* vbi ramus foliiferus modo depingitur. Caſſia Fiſtula RVMPH. *Herb. Amb. T. 2. p. 83. Tab. 21.* elegantiſſima. Caſſia fiſtula Chaiarxambar vocata ALPIN. *de plant. Aegypti p. 3.* cum *ic. p. 7.* vbi totius arboris effigies. Conna *Hort. malab. T. 1. p. 37. Tab. 21.* Arbor procera creſcens in India vtraque et Aegypto.

Celebris ob LEGVMEN, quod pulpam Caſſiae pharmacopolis erogat. Eſt hoc teres ad pedem vnum imo

imo ſubinde duos longum et pollicem latum, interne ſeptis diſtinctum. Initio ex arbore pendens viride et molle, dein fuſcum euadit et nigrum lignoſumque. Inter ſepta includitur pulpa nigra dulcis, cuius vnice cauſa fructus ſeruatur, et ſemen durum in quolibet loculo, ſubrotundum compreſſum nitens ferrugineum. Indiae orientalis legumina fiſtulas exiliores, tenuiores, glabriores conſtituunt. Quae vero hodie in Europam mittuntur, ex America calidiori proueniunt. Proſtat inſignis arborum copia in inſulis St. Dominici et Ioannis de Portu, vnde in Hiſpaniam transferuntur, et harum nulla in re cenſentur orientalibus fructibus virtute inferiores (MONARDES *de ſimpl. med. p. 370. Ed.* CLVS. RVMPH. *l. c. p. 84.*). Quin breuitas viae praerogatiuam illis prae hiſce afferre videtur, quippe quum iſtae tanto recentiores haberi queant. Caſſia inſuper ab aliquot retro annis Maſſiliam translata ex Martinica vnice proueniſſe fertur (SPIELM. *M. m. p. 621.*). Interim ſunt, qui pulpam Caſſiae Indiae orientalis dulciorem minusque acrem exiſtimant (LEWIS *M. m. p. 193.*). In Aegypto legumina ante maturitatem decerpta in aedes arctiſſime clauſas transferuntur, et per ſtrata pedis dimidii altitudine interpoſitis foliis palmae diſtribuuntur. Ianua optime clauſa die poſtero et ſequenti aceruus aqua conſpergitur, et ſic per quadraginta dies ad nigredinem vsque relinquitur. Damnandus autem aliorum modus legumina

in

in terram intra foueas deferendi. Cauſa cur domum tam arcte claudant ea eſt, ne aëris contactu fructus corrumpantur, id quod facile contingit (ALPINVS *l. c. p. 5.*). Reiiciendi vetuſtate vitiati, quorum pulpa acidi vel alius peregrini ſaporis eſt, qui ſuperficiem valde rugoſam habent et pondere leues nimium ſunt. Ad paucos modo Europaeorum ſpectat, virides et molles aqua parum coctos et ſaccharo conditos transmiſſosque (ALPIN. *l. c. p. 4.*) pro alui ſolutione in vſum trahere. Conſuetiſſima autem eſt ipſorum leguminum ſiccorum deſcriptorum transmiſſio. Pulpa ſi exſiccatur, ſtrepitum agitata edunt.

Ex hiſce contuſis coctione cum aqua calida eruitur PVLPA, *quae ipſa cribro ſetaceo traiecta ſpiſſatur*, addito ſaccharo, in iuſtam craſſitiem. Aliqua eius pars vlteriori ſolutioni reſiſtit et in cribro remanet. Dulcis pulpa Caſſiae per ſe eſt, quidam ſubacrem deſcribunt. Facile aceſcit, vnde non magna ſimul quantitate parari debet, certe arctis vaſis ſeruari. Spiritus vini lentius et difficilius eam ſoluit. Aſt Caſſiae cathartica vis etiam in pulverem lignoſae fructus partis cadit, quod in ſimiis caſu obſeruatum, dein ſtudio in hominibus exploratum, vt adeo efficacior haec fuerit reperta (FALLOP. *de purg. c. 35. p. 112.*). Dum igitur pulpa extrahitur, coquendo quicquid efficaciae tegmini ineſt ſimul eliciatur, neceſſe eſt.

An

An sit Siliqua aegyptiaca THEOPHRASTI (*C. B. Pin. p. 403.*) dici praecise nequit. Alii inuentum Arabum agnoscunt, quorum SERAPION nomine Eiarxamber, AVICENNA voce Chaiarlander, Cassiam hanc nominat. Recentioribus Graecis et ACTVARIO Κασσια μελαινα venit (Conf. IO. BAVH. *T. I. p. 416.*).

Blande pulpa aluum laxat et sine torminibus vel exaestuatione. Vnde et infantibus et grauidis et senibus in omnibus acutis morbis ipsisque adeo inflammatoriis impune et maximo commodo exhibetur. In febribus insuper acore suo temperat, sitim refraenat, bilem vitiatam corrigit. Nec opus est, quorundam exemplo reformidare illam in calculo, malo hysterico, melancholia rel. *Quod lotium sub eius vsu colore viridi*, et maiori copia si sumatur, colore profundo bruno vel nigro tingatur, numerosi quidem auctores narrant (V. e. c. LÖSECKE, LEWIS). Mane ieiuno ventriculo si sumatur, lotium reddi nigrum BOERHAAVE (*Hist. plant. hort. L. B. P. 2. p. 490.*) tradit. Alibi (*Prael. acad. T. 6. p. 319.*) nigredinem et foetorem lotii miscelae ex Cassia et Rheo adscribit. Saltim perpetua haec decoloratio lotii ex Cassia dici nequit. Defuit, ea ad vnciam supraque in connubio Rhei data, teste GMELINO (*Diss. de Rhab. p. 30.*). Nec iuuenis quidam, qui auctore cel. BERGIO (*M. m. p. 340.*) vnciam eius quotidie per tres dies continuos cepit, illam conspiciendam dedit.

Raro

Raro pulpa Caſſiae ſola praeſcribitur, largaque eius doſis ad aluum ſoluendam requiritur, pro adulto ſcilicet vncia vna, ſeſquialtera, vel duae, nauſeamque et flatus ex tanta copia plures queruntur et ideo dilui eandem ſufficiente aqua iubent. Cremor tartari vel ſal medium quoddam plerumque additur. In horum connubio et pulpa, prout in officinis ſeruatur, ſoluitur aqua ebulliente. Tartarum emeticum Caſſia admixta debilitari obſeruatum, adeo, vt illius grana quatuor et dimidium vna doſi ferri poſſint. (MALOVIN *Chimie Ed. 1755. T. 1. p. 481.*).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

PVLPA CASSIAE *Ph. W. p. 142.* CASSIA EXTRACTA *Ph. Dan. p. 137.* Supra ſatis deſcripta. Saccharum additur in conſeruationem. Hinc ſubſtituunt Sueci (*Ph. Suec. p. 147.*) mel.

ELECTVARIVM E CASIA *Ph. Lond. p. 96.* DIACASSIA *Ph. Ed. p. 76.* Recipit Mannam, pulpam Tamarindorum, Caſſiam, ſyrupum Roſarum ſolutiuum.

ELECTVARIVM LENITIVVM. V. ſupra *p. 395.*

GVI-

GVILANDINA.

LINN. *Syst. veg. p. 329. Gen. pl. p. 207.*

316.

Pharm. NEPHRITICVM *Lignum.* BEEN *Nux.*

Guilandina Moringa; inermis foliis subbipinnatis, foliolis inferioribus ternatis. LINN. *Spec. pl. p. 546. Mant. 1. p. 379.* Lignum peregrinum aquam coeruleam reddens C. B. Moringa zeylanica foliorum pinnis pinnatis flore maiori, fructu anguloso BVRM. *Thes. zeyl. p. 162. Tab. 75.* An huc Balanus myrepsica, siliqua triangulari, semine minori alato BREYN. *Prodr. 2. p. 47?* Muringu *Hort. malab. P. 6. p. 19. Tab. 11.* Morunga: Kellor: RVMPH. *Herb. amb. Tom. 1. p. 184. Tab. 74. 75.* Arbor crescens in Malabaria, Zeylona, Aegypto.

Prout et in huius speciei flore quaedam adhuc obscura sunt (*Mant. cit.*): ita nondum constat, an lignum dictum ab eadem arbore petatur, ac nux. Quin nux a quibusdam ex planta, a praefixa diuersa desumitur, quae an congener, adhuc dubium (LINN. *Mat. med. p. vlt.*), HERMANNVS (*Hort. L. B. p. 692.*) hanc significauit. Sequar in coniunctione vtriusque partis sub eadem et hac praecise stirpe ill. LINNEVM (*Mat.*

(*Mat. med.*), quem tot alii ante me hac in re sequuti sunt.

Dubium iam mouet *Horti malabarici* auctorum et RVMPHII, qui Asiaticam arborem describunt, silentium de ligno nephritico obseruatum. Praeterea hoc ad nos transfertur ex noua Hispania, nec Oriente. Stirps apud HERNANDEZ (*Mexic. p. 119.*) Coatlis dicitur. LIGNVM eius in officinis constat ex frustis transuersim sectis, compactis, quorum extima pars pallide flaua, altera interior fusco-bruna, inodoris, nisi limentur, sub quo opere aromatici aliquid spirant, saporis amaricantis, subacris. Concisum et aqua maceratum per horam dimidiam vel integram istam colore coeruleo dilutiori inficit, ita tamen vt aureus appareat, vitro lumini obuerso, coeruleus autem oculo inter lumen et vitrum collocato. Ita quidem plerique. HERNANDEZ et MONARDES (in coll. CLVS. *de medic. exot. p. 362.*) autem vnice coeruleum colorem memorant, vt distinguatur ab alio simili ligno, quod croceum colorem modo erogat. Plus de ligno nephr. extrahit spiritus, quam aqua, quae tum colorem saturate brunum ascisit et manifeste amara euadit, inspissatum vero inde extractum magis adhuc amarum sentitur et leniter adstringens. Narrant cell. viri nuperrime dicti effectus salutares infusi huius in renum vitiis et vrinae difficultatibus, item lecoris et lienis obstructionibus, in Hispania noua

exploratos. Sed reticentur ab Europaeis medicis, vnde obliuioni hoc lignum traditum.

NVX BEEN, Graecis βαλανος μυρεψικη et βαλανος αιγυπτια, Latinis Glans vnguentaria. Praemissa vox, vel Ben, Behen, originis Arabicae est. Iuuenis adhuc arboris flore destitutae effigiem et descriptionem praestitit ALDINVS (*Hort. Farnes. p. 72. sqq.*). Latent in legumine triualui, carne alba farcto, semina multa triquetra, putamine albido duro instructa, intra quod nucleus oleosus, amarus. Stirps eorum in insula Zeylon, Arabia, Aethiopia, Aegypto, crescit. Duplex varietas seminis occurrit, altera *maior*, altera *minor*, pisum maius aequans, quae ipsa a MESVE iam notata a cl. BRÜCKMANNO (in *Diss. de nuce Been, praes.* HEISTERO *Helmst. 1750. p. 11.*) confirmatur. Maior vnice venalis prostat, minor, in musaeis modo seruata, creditur altera longe acrior esse.

Nuclei integri in Europa non in vsum trahuntur, nec recentes haberi possunt. Antiqui autem inde subuerti ventriculum aluumque largiter subduci memorant (GALENVS *simpl. L. 6.* AVICENNA *Lib. 2. Tract. 2. cap. 82.*), putaminibus adscribunt amaritiem et adstringendi vim, item in vitia quaedam cutis abstergenda et viscera obstructa reseranda idonea iudicant. Taceo alia non satis dilucide dicta vel imitatione indigna. Acrimoniam nucibus inesse, quae primas

mas vias vellicat, docet et exemplum pueri, qui iis loco nucum auellanarum comeſtis cum vitae ſummo periculo aluum deiecit (AMAT. LVSIT. *Curat. med. 63. Cent. 6.*).

Maxime autem celebrantur nuclei ob *Oleum*, balaninum vel Ol. Been dictum, quod expreſſione ex nucibus maturis deciduis excorticatis ab incolis montis Sinai nec non Aegyptiis elicitur, et ſenſim in Italiam transfertur. Ex libris octo cum drachmis quinque nucleorum vnciae triginta et dimidia olei luteſcentis limpidi fere inodori et inſipidi (GEOFFROY *M. m. Traité T. 3. pag. 254.*) obtinentur. Quoniam ipſum odore deſtituitur et diu absque rancore ſeruari poteſt: Itali flores ſuaueolentes, vt illos laſmini, Aurantiorum, Violarum, Dianthi rel. eodem perfundunt, et ea quidem ratione vt, in vaſe ſupra latiori infra anguſtiori, craticulis ex ſetis equinis interpoſitis per ſtrata goſſypium hocce oleo humectatum et flores ſelecti collocentur (Conf. ALDIN. *Hort. Farneſ. p. 79.* vbi et *figura* vaſis et craticulae), tum oleum, poſtquam odoras partes probe imbiberit, ex Goſſypio exprimatur. Additur et oleum ab Italis variis linimentis, vnguentis, ceratis, pomatis, balſamis odoratis. Vnguentariis cera alba et oleum balaninum baſis eſt omnium balſamorum fragrantium, cui olea deſtillata pro arbitrio inſtillantur.

Rariſſime hoc oleum interne adhibetur, idque fieri poteſt in alui obſtructione pertinaci. Externe autem cutem emollit, nitorem et laeuitatem illi conciliat, ſopit pruritum ingratum, praecipue ſenilem. Cicatrices ex variolis inſuper delet illitum, cuius rei memorabilia exempla narrantur. (BRÜCKMANNI *Diſſ. cit. pag. 27. ſq.*).

MIMOSA.

LINN. *Syſt. veg. p. 767. Gen. pl. p. 548.*

317.

Pharm. GVMMI ARABICVM.
ACACIAE VERAE *Succus.*

Mimoſa nilotica; ſpinis ſtipularibus patentibus, foliis bipinnatis partialibus extimis glandula interſtinctis, ſpicis globoſis pedunculatis LINN. *Spec. pl. p. 1506.* Acacia vera I. B. *Hiſt. pl. T. 1. p. 429.* An VESLING. *pl. aegypt. cap. 4. Tab. 50.* in *Ed. L. B. 1735?* Acacia aegyptiaca HERNAND. *mex. p. 866. c. fig.* Conf. Mimoſa nilotica in HASSELQV. *Reſa p. 475.* et Gommier rouge, Nebneb Senegalenſibus, ADANSON in *Mem. de l'Ac. d. ſc. de Paris 1773. p. 4. ſqq.* Arbor ſabuloſo ſolo creſcens in Arabia petraea et Aegypto tam ſuperiori, quam inferiori, vbi vero non videtur eſſe ſpontanea. Creſcit et abun-

de

de in regno Senegalenſi, praecipue in inſula Sor et vicina inſula St. Ludouici prope oſtium fluuii Niger. Quantum conſtat, Ακακια DIOSCORIDIS (*L. 1. cap. 133.*) eſt, qui et Gummi, κομμι, et ſuccum ex fructu memorat.

Arabes ex regione Tôr et monte Sinai vti et Habbeſch GVMMI dictum Kahiram transferunt. Vendunt illud intra pelles conſutas, quae non aperiuntur, niſi mercede iam ſoluta, et lucri cauſa ſaepe ſilicibus, arena vel ligno addito pondus augent. Quotannis etiam copia in Africa collecta illud transfertur. Sed in Aegypto inferiori arbor ob debiliorem ſolis vim, gummi non fundit. Dein plurima pars Maſſiliam et Liburnum vlterius *transmittitur* (NIEBVHR *Reiſebeſchr. n. Arab. 1. B. p. 143.*). *Gummi Thuris* (a portu in ſinu boreali maris rubri prope montem Sinai) vocant, quod ex montis Sinai confiniis affertur, eſtque hoc magis pellucidum albidum vel coloris omnis expers; *Arabicum* autem, quod per Suez (alterum portum maris rubri prope Kahiram) aduenit, minus pellucens et coloris ferruginei vel griſeo flaueſcentis (HASSELQV. *l. c. p. 477.*). Copia huius Gummi etiam transuehitur in Europam a Gallis ex ditione, quam poſſident prope fluuium Senegal, vnde valor Gummi ex Arabia translati multum cecidit. Cl. ADANSON (*Memoires de l'Ac. d. ſc. de Paris cit. Comment. 1.*) diſtinguit Gummi, quod Mimoſae genus ſuppeditat, in ru-

bicundum et album. Rubicundum non vni modo arbori tribuit, sed pluribus, et quidem, praeterquam M. niloticae, binis aliis Mimosis, quas primus describit nomine *Gonakè* (*p. 14.*) et *Siung* (*p. 16.*). Gummi ex *M.* nilotica ob amaritiem a Nigritis Senegalensibus parcius vsurpari refert, quam album, sed adstringentem eius vim magni fieri; Gummi Mimosae Gonakè esse magis rubrum magisque amarum; Gummi vero Mim. Siung esse albicans, et parcius exundare idque exiguis lacrymis.

In officinis *Gummi arabici* nomine seruantur frusta subrotunda vel oblonga variae magnitudinis, subinde istius luglandis, perlucida, subrugosa, pallide flaua; *rufescentia, fragilia, fracturae* splendescentis, insipida, inodora. Sponte liquida forma promanat ex cortice trunci ramorumque arboris, aëris autem contactu solidescit, Gummi Ceraforum instar, in Senegallia exacto tempore pluuioso et versus florendi tempus (ADANSON *Mem. cit. p. 8.*). Cessat vero pluuia m. Decembri, quo prima collectio fit; altera fit m. Martio, quo ipso ob caloris exsiccantem vim ad eruendum Gummi incisionibus opus est (DEMANET *nouvelle Histoire de l'Afrique Françoise T. 1. p. 56. sq.*). Figura varia dependet a loci, quo prorumpit, accidentali diuersitate, vt et *vermiculari* quandoque forma prodeat.

Verum

Verum gummi *eſt*, nam ſoluitur aqua perfecte et ſolutio limpidiſſima exiſtit; ſpirituoſa autem vel olea illud non *ſubi*gunt, nec ardet flammae admotum, ſed *intumeſcens* in carbonem vertitur. Dupla quantitas aquae in fluiditatem mucilaginis ſiue ſyrupi craſſioris illud redigit (FRENCH in *Med. Obſerv. and Inqu. Vol. 1. p. 41.* DÜTTEL *Diſſ. de corpore gummioſo p. 21.*). Si quid indiſſolubile remanet, id partibus aduentitiis tribuas, nam ſolutum iuſta portione aquae et colatum, ſi iterum calore indureſcit, puriſſimum Gummi eſt (DÜTTEL *p. 22.*). Deſtillatum per ſe ex vaſe retorto, vt alia gummata, primum aquam limpidam erogat, dein acidam *oleo tinctam*, demum *oleum ſpiſſum empyreumaticum* cum tantillo liquoris alcalini; ex carbone ſalis alcalini parum cum nonnullis particulis ferreis eruitur: vt igitur aqua, oleum, acidum atque terra partes iſtae ſint, quas in gummi quaeras (*l. c. p. 20.*). Vlterius conſtitit, acida, e. c. ſpiritum vitrioli, *deſtruere mixtionem eius* (quod quibusdam tamen aliter euenit), ſibi vnire partes oleoſas, alcali autem additum nouo motu excitato deiicere terram ab oleo liberatam (ID. *p. 22. ſqq.*); quae ipſa in praeſcriptionibus medicos ad additamentum attentos reddant.

In ſoluendis et aqua miſcendis variis corporibus, connubium cum aqua alias reſpuentibus, efficaciſſimum miniſterium praebet; quorſum olea expreſſa

et essentialia, balsama, resinae, gummi-resinae, tincturae resinosae, pinguedines animales, pertinent. Duplici vel triplici arte hoc succedit. Vna haec est, quod mucilago ex vna parte Gummi huius et dupla aquae paretur, et haec noua aquae quantitate diluta agitetur in phiala cum corpore soluendo, vnde mixtura emulsionem referens emergit. Sic liquida varia, vt olea expressa siue destillata, balsama, quae inter balsamum Peruuianum, Copaiuae, Guaiaci, subiguntur. Succedit et negotium, si phialae, loco mucilaginis, puluis Gummi huius inditur. Alter modus tritura in mortario continetur, qua et solutio dictorum corporum perfici potest, duriora vero et tenaciora quaedam corpora praecise ea opus habent, tam vt subactio fiat desiderata, quam vt connubium per iustum tempus sine diuortio mixturae continuet. Ea arte indiget balsamum de Mecca, Gummi Guaiaci, Benzoë, balsamum de Tolu, Myrrha, Styrax, qui quoad partem soluitur, Camphora, Cera, Sperma ceti, Moschus, balsamum sulphuris. Si quod horum corporum statione iterum in miscela diuellitur, agitatione phialae miscibile iterum fit. Pro olei cuiusdam expressi drachmis duabus subigendis, drachma vna mucilaginis eius et vncia vna aquae requiritur. Spiritus vini si additur miscelae, vt subinde factum est, hic non impedit connubium. (FRENCH in *med. Obs. et Inqu. Vol. 1. a p. 413-425.*) Par euentus est cum Terebin-

binthina (BARTON, referente cl. FOTHERGILL *l. c. p. 427.*). Tritura cum mucilagine dicta aeque bene succedit in Gummi ammoniaco, Bdellio, Galbano, Myrrha, Opopanace, Sagapeno. (BVCHHOLZ in *nov. Act. Nat. Curios. T. 5. a p. 46-63.*). Nihil vero valet in Lacca in granis (BVCHHOLZ *Exp. 22.*) subigenda. Iam dudum in praxi in quorundam huius naturae solutione Arabici Gummi adiumento vsi sunt medici, quorsum pertinet praecipue Camphora (Vid. e. c. formulae in COLLIN *Observat. circa morb. P. 3. p. 156. sq.*). Quod vero omnium minime exspectaretur, est, quod huius mucilaginis ope ipse mercurius viuus aqua miscibilis euadat. Auctor celebratissimi huius inuenti, cl. PLENCK (*Neue und leichte Art, den mit der Luftseuche angesteckten Kranken das Queckſilber zu geben, Ed. 3. 1773. p. 23. sqq.*), mercurii drachmam vnam cum Gummi Arabici in puluerem redacti drachmis duabus contriuit, addito sensim tantillo aquae, donec mucilago grisea inde euaderet, aqua postea pro luis venereae absque ptyalismo (vt voluit) curatione diluenda; sed de hisce vberius capite de Hydrargyro. Superat longe G. Arabicum, hac vi subigendi difficulter solubilia, alia mucilaginosa, scilicet syrupos viscidos, quorum syrupus Altheae antecellit, et G. Tragacanthae, (V. supra *p. 381.*), vti et mucilaginem seminum Cydoniorum et gluten ex amylo (FRENCH *l. c. p. 423.* Conf. et BVCHHOLZ *l. c.*). — Maximi

momenti res haec mucilaginosa miscela est ob remedia ista administrandi necessitatem. Praestantior est consueto illo, quod vitello ouorum peragitur, connubio, quum fini nunquam aduersetur, nec ventriculum offendat, nec rancorem et vna cum hocce acrimoniam concipiat. Ita et praestat additamento salium alcalinorum volatilium vel spirituum, quod alias saepe vsu venit ad oleosa cum aqua coadunanda, quum istud saepe indicationi sit alienum et nauseosum. Habet quoque id commodi, quod ingratum saporem vel acrimoniam remediorum recondat (Conf. cl. FOTHERGILL in *med. Observ. et Inquir. Vol. 1. p. 426.*). Obtundit adeo acidi vitrioli acrimoniam (FRENCH *l. c. Exper. 37.*).

Nutriendi vim possidet Gi. arabicum insignem, quoniam totum alimentosa materie siue mucilagine conflatur. Nigritis, qui prope fluuium Niger habitant, et Mauris, qui illud Europaeis afferunt, alimento vulgari est, ita vt nullo alio vtantur, quam Gummi ipso, quod in venditionem secum vehunt. Et hoc vel instar sacchari dentibus comminuunt, vel aqua emollitum deglutiunt. Multiplicis generis artificibus quoque ibidem in cibum gratum cedit (DEMANET *n. Hist. de l'Afr. Franc. T. 1. p. 54.*). Solet et Gummi hoc lacte solutum ingeri (LE MAIRE, *Voyages to the Canary Islands, Cape Verde, Senegal and Gambia*, in *Collection of Voyages Vol. 8. p. 605.*). Inci-

cidente calamitate Milii et Oryzae integrae Mauro-rum ciuitates eo veſcuntur (LIND *Diſ. in hot Cli-mates p. 348.*). Per binos menſes hominibus ſupra mille ex Abyſſinia Kahiram peregrinantibus, con-ſumta reliqua penu, hoc gummi vnice vitam in itinere ſuſtentauit (HASSELQV. *Reſa p. 533.*).

Quae de vi Tragacanthae medica dicta ſuperius ſunt, potiori adhuc iure ad Gummi Arabicum refe-ras. Quantum in acribus partibus obtundendis va-leat, crebra in dyſenteria capta experimenta decla-rant, in qua acre ſerum demulcet doloresque et tor-mina et teneſmum mitigat (DEGNER *Hiſt. dyſent. p. 202.* PRINGLE *Diſ. of the army p. 273.* ZIMMER-MANN *v. d. Ruhr p. 499.*). Aptum etiam in diar-rhoea nominatim ſymptomatica (ROSENST. *Barnſ. p. 131.*). Nec in hiſce profluuiis vnice per os forma emulſionis, vel in potu conſueto ſiue decocto hordei, captum prodeſt, ſed teneſmo vrgente etiam maxime leuat in clyſmate ſub apto connubio (Ill. ZIMMER-MANN *von d. Ruhr p. 421.*). Tuſſim lenit eadem vir-tute et phthiſicis eadem forſitan et nutriente facul-tate opitulatur. Raucitatem tollit, ſi a diſpendio na-turalis muci enata fuerit, quod ipſum et ſtranguriae et teneſmi cauſa eſt non rara, vincenda eodem re-medio. Relaxando fibras, et interponendo ſeſe cal-culo et lotii viis, calculoſis lenimen affert. Eroſis mammarum papillis vtiliter inſpergitur, vel mucilago eius illis illinitur.

Raro

Raro pulueris forma a ſcrupulo vno ad drachmam vnam praecipitur, ſed ſolutum aquoſo menſtruo, pro ſcopo diuerſo, vario. Libra eius vna ex Gummi vncia vna valde mucilaginoſa fit. Solui poterit aqua vel hordei decocto vel alio conſueto potulento, vel iuſculo carneo calido. Edinburgenſes emulſionis inſtar praebent. Miſcelam cum ſalibus mediis probe fert.

ACACIAE VERAE *ſuccus*. Ex fructu elicitur, qui ipſe legumen eſt complanatum viridi brunum, quatuor vel quinque pollices longum et octies vel decies anguſtius, compoſitum ex ſex vel decem partibus vel articulis diſcoideis et intra vtramque cuticulam parenchyma gummoſum rubicundum continens. In quouis articulo latet ſemen ellipticum ſulco vtrinque pariter elliptico notatum. Succus exprimitur ex fructu immaturo in mortario contuſo, et calore in ſpiſſitudinem extracti denſatur. Transfertur in veſicis forma rotundae maſſae quatuor vel octo vnciarum coloris nigreſcentis, ſaporis, dum guſtatur, ſtiptici, paullo poſt dulceſcentis. Gummoſae naturae eſt, vt ſordibus exceptis fere totus aqua ſoluatur, quoad partem autem modo ſpiritu vini. Ex foliis ſimul quosdam exprimere ſuccum DIOSCORIDES (*M. m. Lib. 1. c. 133.*) et PLINIVS (*Hiſt. nat. Lib. 24. c. 7. p. IIII. Ed.* DALECH.) notarunt, ex hiſce et floribus vna ALPINVS (*de pl. Aegypt. p. 10.*), qui vero ſuccus

cus altero ex ſolo fructu inferior eſt. Adſtringit hic inſigniter, adeo vt cerdonibus pro coriis denſandis in vſu eſſe poſſit. Adſcribitur hinc illi, vt aliis adſtringentibus remediis, *ſiſtendi* ſanguineos fluxus et aluinos varios efficacia. In Aegypto ſanguinem ſpuentibus ſucci drachma vna ſoluta mane offertur, et nominatim feminas vteri profluuio ſanguineo exhauſtas in vitam reuocaſſe fertur (ALPIN. *l. c. p. 13.*). Prudentis eſt, ad cauſas morborum ſtadiorumque eorundem probe diſpicere, ne id, quod alteri ſalutem affert, alterum in fatum praecipitet. — In officinis ſaepe illi lucri cauſa ſuccus Pruni ſpinoſae L. ſubſtituitur.

Folia, cortex vel legumen a Nigritis Senegalenſibus *inſtar deterſiui et adſtringentis maſticantur* in affectionibus ſcorbuticis, et cortex eius nominatim, prout cortex Mimoſae Gonakè ADANS. ad denſanda coria tenuiora ab iis adhibetur.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

EMVLSIO ARABICA *Ph. Edinb. p. 58.* Emulſionis amygdalinae libris duabus circiter additur mucilago vnciae dimidiae Gummi Arabici. *Pharmacopoea Ed. noviſſ. p. 46.* prodiga magis eſt hoc Gummi, vncias eius duas cum ſemiſſe dictae quantitati aquae tribuendo. Nauſeoſa non poteſt non eſſe tanta Gummi copia.

SPE-

SPECIES DIATRAGACANTHAE FRIGIDAE *Ph. W. p. 180.* PASTA ALTHAEAE *l. c. pag. 135.* PASTA LIQVIRITIAE *l. c. p. 135.* LOCH SANVM ET EXPERTVM *l. c. p. 110.* TROCHISCI DE CARABE *l. c. p. 235.*

318.

Pharm. GVMMI SENEGAL ſ. SENICA ſ. SENEGALENSE Pariſ.

Mimoſa Senegal; ſpinis ternis, intermedia reflexa, foliis bipinnatis, floribus ſpicatis LINN. *Spec. pl. p. 1056.* Arbor foliis pinnatis ſpica pendula ſericea CATESBY *Carol. 2. p. 44. Tab. 44.* Arbor Senegalenſis.

GVMMI hoc transfertur ex Prouincia prope fluuium Senegal Africae ſita. Varie deſcribitur, coloris profundioris, quam Arabicum (LEWIS *Mat. med. p. 303.*), albidioris vero ab aliis (SPIELM. *M. m. p. 458.* BERGII *M. m. p. 831.*); quibus et ego adſtipulor. Dubium omne de hac re vt diſcutiatur a cl. ADANSONII promiſſa (V. *Memoires de l'Acad. d ſc. de Paris 1763. p. 17.*) de arbore Gommier blanc commentatione fas eſt ſperare. Omnes conueniunt, fruſta eius eſſe grandiora. Praerogatiuam tribuit huic prae Arabico LINNEVS (*M. m. p. 221.*), item SPIELMANNVS (*l. c.*). Gummi Senegalenſe autem in vſus mechani-

cos

cos vnice ſeruari notat GEOFFROY (*M. m. Traité T. 4. p. 116.*). Virium conuenientia cum Arabico facile agnoſcitur. — In vniuerſum, qualecunque nomen detur, *fruſta* tanto meliora, quo magis pellucent et candidiora ſunt.

319.

Pharm. TERRA (potius Extractum) CATECHV ſ. IAPONICA.

Mimoſa Cate; ſpinis duabus ſtipularibus, foliis bipinnatis 15-30 iugis, foliolis 40 iugis, ſpicis elongatis axillaribus MIHI. *Differentiam ſpecificam hanc condidi* ex ampla iſta deſcriptione Anglice a cl. Chirurgo KERR in *med. Obſervations and Inquir. Vol. 5. p. 151.* cum icone *Tab. 4.* concinnata. Addas calycem eſſe quinquepartitum, corollam pentapetalam albam, ſtamina numeroſa, legumen lanceolatum glabrum, margine repando, ſeminibus ſex vel octo orbiculatis compreſſis. Coira vel Caira in Prouincia Bahar dicitur (KERR). Huc referenda me iudice eſt Acaciae ſpecies, ex qua Kaath vel Lycium indicum conficiunt, HERBERTI DE IAGER in *Eph. nat. Curioſ. Dec. 2. Ann. 3. pag. 9. Fig. 1.* Arbor creſcens copioſe in montibus Rotas et Pallamoro et aliis locis ſupra Bengaliam ſitis.

Non

Non noſtro tempore amplius quaeſtio, vt olim, agitatur, vtrum Catechu terra ſit, vel compoſitum vitriolicae naturae particeps (V. DALE *Pharmacol. p. 295.*), an potius vegetabilis progeniei; quod ipſum iam dudum abunde demonſtrarunt chemicis experimentis HAGEDORN (*Lib. de Catechu, Ien. 1679.*) et BOVLDVC in *Mem. de l'Ac. d. ſc. de Paris a. 1709. p. 228. ſqq.*) et confirmant, qui in ipſo loco natali praeparationi eius adſtiterunt. Conſtat iam etiam, perperam pro compoſito vegetabili a quibusdam in vniuerſum haberi. Sed quaenam nominatim ſtirps illud eroget, de eo adhuc diſſenſus obtinet.

Plerique fructui Palmae cuiusdam illud tribuunt. *Eſt illa*

Areca Cathecu; frondibus pinnatis foliolis replicatis oppoſitis praemorſis LINN. *Spec. pl. p. 1659. Caunga Hort Malab. T. 1. p. 9. Tab. 5. 6. 7. 8.* Pinanga RVMPH. *Herb. Amb. T. 1. p. 26. Tab. 4.* Arabibus, vt SERAPIONI, AVICENNAE, Faufel, Filfel, Fufel. Indiam orientalem patriam habet.

Fructus huius oualis eſt magnitudinis oui gallinacei, vmbilicatus, extrinſecus obducitur cortice coriaceo, ſub quo membrana filamentoſa. Intus nux latet, cuius ſemen griſeum, durum interne ex rubicundo alboque inſtar nucis myriſticae variegatum; et hoc proprie Areca ſ. Pinanga dicitur. Hoc ipſum tantopere adſtringens eſt, vt ſolum maſticari nequeat, diſcif-

disciſſum autem et cum pauxillo calcis intra folium vnum vel alterum arboris Betel inuolutum amicis mutuo ſeſe conuenientibus apud Indos obſeruantiae cauſa offertur, vnde ſaliua rubedine tincta profluit, gingiuae corroborantur et grato halitu os perfunditur. Calx additur ad moderandam Pinangae auſteritatem ac foliorum Betel acrimoniam (RVMPH.). Subinde inſuper Catechu pro maſticatione adiicitur. (GARCIAS in *Coll.* CLVS. *p.* 42.).

Si igitur plerisque materiae medicae commentatoribus fidendum, Terra Catechu nihil aliud eſſet, quam extractum aquoſum ex ſeminibus fructus huius immaturis. Speciem Catechu exinde parari, quum teſtes autoptae varii idonei id indicent, non ſine temeritatis quadam ſuſpicione negatur. Mirum tamen in *Horto Malabarico* et *Herbario Amboinenſi* nullam huius rei fieri mentionem. Circa montem Gatem, qui totam Malabariam aliasque quasdam affines terras cingit, excoqui ex nuce hac, addito pauxillo calcis, et, quo melior ſuccus inſpiſſandus euadat, ſuperdato pulti foeculentae infuſo corticum Acaciae cuiusdam, Gymnoſophiſta quidam fide dignus certiorem reddidit IAGERVM (*Eph. N. C. loc. cit. p.* 10.). Citat cl. DALEVS (*Pharmacol. p.* 296.) HELBIGIVM, ſimplicium Indiae orientalis, vt vocat, peritiſſimum, ex fructu Arecae educi affirmantem. Conuenit hoc cum narratione Chirurgi ALBERTI, qui diu in Pondichery

vixit, IVSSIEVO facta (*Mem. de l'Ac. des sc. de Paris 1720. p. 342.*); vnde nec ipse hic celeberrimus vir dubitauit Arecam pro vera succi Catechu stirpe agnoscere.

Sed aeque verum est, simile extractum ex aliis quibusdam stirpibus parari. Memorabile CLEYERVM (*Misc. nat. Curios. Dec. 2. Ann. 4. Obs. 3.*) Catechu dicere succum ex variis adstringentibus fructibus expressum; et paullo post basin esse fructum Acaciae orientalis, Tamarindo admodum similis. Propius ad rem venit DE IAGER (*Misc. nat. Curios. l. c. p. 8.*), qui inter Indos diu vitam gerens, Lycium (h. e. Catechu) non vni arbori proprium esse refert, sed fere omnibus Acaciae speciebus, quae cortice adstringente et rubescente praeditae sunt, multasque alias plantas exstare, ex quibus similis succus excoqui possit, qui in vniuersum nomine Khaath designaretur, quanquam bonitate et virtute dispar; praestantissimum vero elici ex Acacia dicta, quae Brachmanum lingua Khadira dicitur, et ex hac vel sola vel aliis admixtis, praecipue autem ex hac Khaath parari et per totam Indiam distrahi. Meminit idem alius arboris spinosae, Acaciae similis, quae succum hunc largiatur, male ab ipso descriptae. LAVR. GARCIN (in SAVARY *Dictionaire de Commerce T. 1. p. 643.*) arborem quidem Cate in prouincia Bahar Mongoliae, vbi crescit, dictam non describit, sed probabile illi est Acaciae speciem esse, et ex hac indicat Catechu crudum, decoctione

ctione et maceratione partium et ſubſequa inſpiſſatione parari, quando autem purius in Indorum vſum deſideretur, aromata admiſceri et rotulas inde formari. Ex cortice eiusdem erui refert cl. SAVARY (*l. c. p. 763.*), an GARCINI auctoritate? Haec extracti Catechu ex Acacia quadam (quo nomine antiquiores botanici Mimoſas eas inſigniuerunt, quarum folia ſeſe contactu non contrahunt) origo apprime conuenit cum hiſtoria nouiſſima et ſine dubio certiſſima et luculentiſſima omnium a cl. KERR ſubminiſtrata. Qualis ſit ſpecies a cl. KERR deſcripta, dixi; ſuccus autem eo teſte ex interna ligni parte, quae colore pallide bruno vel profunde rubro, *imo hinc inde nigro tincta eſt*, (*nam externa pars alba* ſeparatur) in ramenta diſciſſa paratur. Replent his vas terreum anguſti orificii, affuſa ad ſummam vsque partem aqua, qua per coctionem ad dimidium diſſipata, reliquum effundunt in vas terreum planum et, donec tertia pars remaneat, inſpiſſant, *tum frigido loco per diem repoſitum calore* ſolis vlterius denſant, agitando illud aliquoties de die; poſtquam notabilem craſſitiem maſſa nacta fuerit, ſupra ſtoream vel pannum cineribus ſtercoris vaccini conſperſum extendunt, et in fruſta quadrangularia diuidunt, quae perfecte radiis ſolis ſiccata vendunt. Vt extractio tanto facilius ſuccedat, vtuntur furnis ſimplicis ſtructurae, cuius ſumma haec eſt, quod foueae in terra effoſſae, quae ignem recipit, arcus argilla-

ceus ſuperimponatur, foraminibus inſtructus, in quae vaſa pro extractione collocantur. Quo profundioris coloris lignum, eo magis nigrum extractum apparet, et eo vilius; hinc praefertur lignum pallidius brunum, quod erogat ſubtile albidum extractum. Quod hocce extractum terra eſſet, vel admiſti caſu cineres, vel fraude adiecta terra pro pondere augendo, imponere incautis facile potuerunt. In Iaponia non paratur, vnde epitheton vitioſum eſt. Transfertur autem ex Malabaria, Suratta, Pegu aliisque quibusdam Indoſtaniae regionibus. Maximus autem eius prouentus, quantum colligo, ex prouincia Indoſtaniae Bahar eſt (GARCIN apud SAVARY et KERR). Nonnulli malunt ſcribi Kaſchu (Gallis Cachou), quam Catechu, quae proxime dicta vox ex Cate, nomine arboris, et Chu, ſuccus, lingua patria componitur.

In noſtris officinis proſtat maſſis fragilibus ex rubro nigris, quae ſubinde in laminas ſuperficiei aſperae rubicundo-albidae diſcerpi ſeſe patiuntur, fracturis de reliquo ſubſplendentibus. Sapor auſterus, ſubamarus, dein dulceſcens, qui diu linguae inhaeret. Compacta eſſe debet maſſa et deliqueſcere tota ore, raro vero tam pura habetur, vt nihil indiſſolubile remaneret; quod tam ab intermiſſa colatione decocti (KERR) quam aduentitiis ſordibus prouenit. Indiſſolubilis pars $\frac{1}{8}$ ſubinde ponderis totius maſſae conſtituit (LEWIS *M. m. p. 575.*). Soluitur Catechu aqua fe-

fecibus exceptis, ſolutio vero ipſa, poſtquam refrixerit, mucilaginem refert. Quatuor vnciae Catechu extracti boni et ſicci aquoſi dederunt vncias duas et drachmas tres, et praeterea extracti ſpirituoſi drachmas quinque, cuius ſapor auſterior eſt. Soluitur et ſpiritu vini, ſed ſine ſubſequente coagulo mucilaginoſo, nimirum quatuor Catechu vnciae ſpirituoſi extracti vncias duas cum ſex drachmis exhibuerunt, idque auſterioris longe et ingratioris (BOVLDVC in *Mem. de l'Ac. d. ſc. 1709. p. 227. ſqq.*). Plures analyſes aliunde (V. BOVLDVC *l. c.*) petendae. Vitrioli martis ſolutionem nigredine tingit. Colore, conſiſtentia, indiſſolubilium partium proportione, ſapore, virtute demum differre multis modis Catechu officinarum non mirabitur, qui dicta de ſtirpium diuerſitate et de praeparatione ſecum reputet; quae omnia igitur non ſatis vere ex maturitatis fructus Arecae diuerſo gradu praecipue explicari poſſe exiſtimauit cl. IVSSIEV (*loc. cit.*).

Adſtringendi indoles cum aliis quibusdam Mimoſae ſpeciebus huic communis eſt, prout de fructu M. niloticae conſtitit (*ſupra p. 412.*), praeter quem et folia et cortex a nigritis maſticatur in affectionibus ſcorbuticis, et huius ſpeciatim cortex ad coria tenuiora denſanda a nigritis adhibetur (ADANSON *Mem. de l'Acad. d. ſc. 1773. p. 9.*). Vis antiſeptica inſignis pariter ſucco Catechu ineſt. Docent id experimenta

Pringleana (*Dif. of the army, App. Exp. 10.*) cum carne. Docent iſta in morbis, etſi rarius quam par eſt, interne capta, nec ſine aliis admiſtis. HVXHAMVS (*Oper.* REICH. *T. 2. p. 70.*) in ſtatu reſoluto et putrido ſanguinis roborantibus aliis et acido tantillum Catechu admiſcuit. Crebrior eius fit vſus in putredine oris, foetore, dentium vacillatione et denudatione, tum et cruentatione vlceribusque gingiuarum, cognoſcenda. Cui ipſi praeparata quaedam ſubſequentium praecipue opponuntur. — In diarrhoeis dyſenteriis aliisque alui profluuiis, quae non ab acri ſtimulo ſed laxitate vnice inteſtinorum proficiſcuntur, ſuccus Catechu efficaciſſimum et ſimul tutiſſimum remedium eſt. Superat in hiſce coërcendis ipſam Caſcarillam (DEGNER *de dyſent. p. 165. 270.*), et commode aliis, vt Rhabarbaro, addi poteſt.

Multiplex in curatione colicae pictonum eſt indigentia, vt nimirum inuoluatur et demulceatur acre, laxentur fibrae et earundem ſpaſmi reſoluantur, dolor demum ſopiatur. Hiſce vero finibus opportuna licet ſollerter adminiſtrentur, ſaepe malum non cedit, et etiamſi cedat, recrudeſcit, niſi adſtringentia fortiora in ſubſidium ſumantur, quae inter ſuccus Catechu inſignem locum tuetur. Per haec corrigitur muci inteſtinalis vitioſa ſecretio, aquoſa tenuitas et iuſto vberior ſecretio. Verbo tonum inteſtinis reſtituendo vim ſuam praeſtant. Quin hiſce ſolis ſubinde cu-

curatio omnino succeſſit, absque vllo alio praeſidio. Poſſunt per os, ſaltim aliis admixta, vel per clyſma vſurpari (GRASHVIS *de colica pict. p. 47. ſqq.*). — Simili iudicio nititur curatio hominis ſtranguria et ſecretione vberrima muci ex veſica vrinaria detenti, quam ipſam Tinctura ſucci Catechu cum Tinctura corticis Peruuiani vel aliis ſimilis naturae commixta abſoluit (*l. c. p. 73.*). — Par effectus eadem de cauſa eius in relaxatione vuulae applicationis. — Laus in haemorrhagiis ad eas potiſſimum reſtringenda, quae a reſolutione ſanguinis proficiſcuntur.

Optimus modus ſuccum hunc dandi eſt, vel prout affertur aqua ſolutum, vel repetita ſolutione et inſpiſſatione *depuratum*. Periculo caret eundem exhibere ad ſcrupulum vnum, ſeſquialterum, vel maiori quantitate, pro doſi.

An huc referendi Trochiſci vel *Placentae Gitta gambir* vel *Catagamber?* Si deſcriptioni proletariae HERBERTI DE IAGER (ad RVMPH. in VALENTINI *Hiſt. ſtirp. ſimpl. p. 399.*) inſiſtendum, neque ad Arecam, neque ad Mimoſam Caten pertinent. Analogiam tamen inter illas et ſuccum Catechu inuenit DEGNERVS (*l. c. p. 299.*) et cl. BVISSON (apud DEGNER *l. c.*) maximam partem conſtare ex Catechu refert, et SEBA (*Eph. N. Curioſ. Vol. 4. p. 227.*) aſſeuerat confici ex ſubtiliſſima parte ſucci Catechu et argilla quadam, quorum ſcilicet cremor, poſt fer-

mentationem cum aqua praegreſſam in ſuperficiem aſcendens, colligatur et in modulis orbicularibus ſiccetur. Sunt hae placentulae externe ſaturate flauae, cruſta quaſi obductae, intrinſecus pallidiores, ſaporis ſubadſtringentis, aromatici et leuiter amari. Transferuntur ex Iaponia, et profuerunt in angina et aphthis, item in diarrhoeis et dyſenteriis aliisque laxitatibus inteſtinorum, ſolutae in aqua, donec colore Theae Boheae tingeretur. (SEBA, item BVISSON apud DEGN. *loc. cit. pag. 297.*). Differunt ſecundum ſuperiorem deſcriptionem ab hiſce placentulis aliae in India paratae ex Catechu cum aromatibus variis, Cardamomo, ligno Aloës, Moſcho, Ambra aliisque in gratiam ſaporis et oris halitus additis. Hae ipſae figura craſſitie et magnitudine nucis vomicae a Belgis in Europam nomine *Siri Gata Gamber* transferuntur, quas Indi vel ſolas vel in connubio nuclei Arecae fructus maſticant. Sed notiora ſunt noſtra

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

ESSENTIA TERRAE CATECHV *Ph. W. p. 86.* Ex ſucco Catechu in ſpiritu Cydoniorum ſoluto. Guttae triginta ad quinquaginta indicantur.

TINCTVRA IAPONICA *Ph. Lond. pag. 70.* Catechu cum Cinamomo et ſpiritu vini tenuiori digerendo.

TIN-

TINCTVRA GINGIVALIS BALSAMICA *Ph. W. p. 226.* Ex Catechu, Myrrha, et balsamo Peruuiano digestis cum spiritu Cochleariae et vini rectificato. Vere eximia in affectionibus dictis oris, in quibus mixta cum melle Rosarum linteo carpto applicetur.

TROCHISCI CATECHV S. MVSCERDAE *Ph. W. pag. 235.* Ex Catechu, Ambra, Moscho, Saccharo et mucilagine Tragacanthae. Ad foetorem spiritus et vitia oris dicta corrigenda ore tenentur, donec diffluant, tum exspuuntur.

TROCHISCI DE CATECHV AD SPVTVM CRVENTVM *l. c.* Miscela Catechu cum succo Liquiritiae et *speciebus Diatragacanthae.* Inusitati.

CONFECTIO IAPONICA *Ph. Ed. pag. 76.* Opium et recipit. Diascordium refert.

TAMARINDVS.

LINN. *Syst. veg. p. 74. Gen. pl. p. 23.*

320.

Pharm. TAMARINDORVM *Pulpa.*

Tamarindus Indica; LINN. *Spec. pl. p. 48.* IACQV. *Hist. pl. americ. p. 10. Tab. 10. et Tab. 179. fig. 98.* vbi icon fructus. Siliqua arabica quae Tamarin-

dus C. B. Balam Pulli *Hort. Malab. Tom. I. p. 39. Tab. 23.* Tamarindus RVMH. *Herb. Amb. p. 90. Tab. 23.* Arbor crescens in India orientali, Arabia, Aegypto, et America calidiori.

Nobilitat hanc praecipue legumen, quod ipsum compressum est, oblongum et nonnihil incuruum, cellulam vel vnam, duas, tres vel quatuor formans, quarum singula includit semen osseum, angulato subrotundum, plano compressum, nitidum, brunum, circa quod fructus nonnihil contrahitur, vnde inaequalis apparet. Maturum extus cingitur cortice ferrugineo, sub quo pulpa ita condensata, vt spatium inter vtrasque membranas fructus non repleat, sed filis validis ad basin confluentibus in situ retineatur. Pulpae sapor pro varietate arborum mox dulcior, mox acidior, etiamsi vtrumque genus rite maturuerit. Indi aeque ac Americani crudum fructum edunt sine alio incommodo, quam alui laxitate leuiori. Ex immaturis et decorticatis condimenta sapidissima Cubenses parant. Legumina Indiae orientalis longiora sunt, quam Americes, ista etiam pulpam sicciorem et obscuriorem item copiosiorem includunt. Transfertur pulpa vna cum seminibus et filis descriptis, exuta tegmine externo, plerumque contusa. Americana sacchari miscelam prodit. Sapor pulpae grate acidus.

Acor

Acor iſte dependet a ſale eſſentiali fructus. Hoc coctione pulpae cum aqua colatione et euaporatione quoad partem copioſe elicitur forma ſquamarum, initio impurum et ſubbrunum, repetita autem ſolutione et cryſtalliſatione album, ſed ſimul acoris expers (BEAVME' *Pharmacie Ed. 2. T. 1. p. 167.* REZIVS in *K. Vet. Acad. Handl. 1770. p. 209.* item *1776. p. 132.*). Similes cryſtalli ramis arboris interdum adhaereſcere obſeruantur, et conuenire quam maxime cum tartaro (TOVRNEF. in *Mem. de l'Acad. d. ſc. a. 1699. p. 101.*). Sal ex pulpa erutum eiusdem naturae eſſe, nuperrima experimenta confirmant (*Vet. Ac. Handl. 1776. l. c.*); nam acor idem, ſimilis difficultas ſolutionis in aqua, eadem cum reagentibus ratio. Sal hocce non recipere acidum marinum, ſed acido tartari in omnibus ſimile, contra Cl. BEAVME' (*l. c.*), experimenta (*Vet. ac. Handl. l. c.*) ſuadent.

Antequam in vſum medicum pulpa trahatur, a fibris, ſeminibus, membranis purgari debet, quod fit eius in aqua calida ſolutione, colatione et poſt additum ſaccharum inſpiſſatione.

Sic eximie blandeque aluum laxat absque omni exaeſtuatione. In febribus pulpa ob acorem tanto magis conducit, quo nimirum aeſtum febrilem mitigat, ſitim compeſcit, putredinem infringit. Vnde praecipue in putridis bilioſis inſignis commodi eſt. Ab Arabibus prima eius mentio facta, et celebratiſſima pulpa loco

loco natali in iisdem morbis, quibus nos eandem opponimus. Vix vnquam *sola* purgandi scopo praecipitur, quum vnciae binae vel *plus* pro adulto requirantur, *sed* soluitur plerumque aqua *calida* cum aliis, *Manna*, salibus mediis, rel. Eius ope *Serum lactis tamarindinatum* paratur, quod laxat, temperat, resoluit, abstergit, et in morbis biliosis, putridis, vt et phthisi, valde proficuum est.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

PVLPA TAMARINDORVM *Ph. W. p. 142.*

ELECTVARIVM TAMARIND. *l. c. pag. 50.* Iusto *longioris compositionis ex variis* purgantibus et aromaticis. Exoleuit.

ELECTVARIVM CATHOLICVM *l. c. p. 45.* Similis farraginis. Desueuit.

DECOCTVM TAMARIND. C. SENNA *Ph. W. pag. 56.* ELECTVARIVM E CASSIA *Ph. Lond. pag. 96.* ELECT. LENITIVVM *offic.*

HAE-

HAEMATOXYLVM.

LINN. *Syst. veg. p. 331. Gen. pl. p. 102.*

321.

Pharm. CAMPECHENSE s. CAMPESCANVM *Lignum*, item SAPPAN *Lignum* quibusdam.

Haematoxylum campechianum; LINN. *Spec. pl. p. 549.* IACQV. *Obs. bot. P. 1. p. 20.* Haematoxylon spinosum foliolis pinnatis, racemis terminalibus BROWNE'S *nat. Hist. of Iam. p. 221.* Lignum campechianum, *species quaedam Brasil.* SLOANE *nat. Hist. of Iam. T. 2. p. 183. Tab. 231. fig. 1-2.* vbi modo frusta duo ligni depicta comparent. CATESBY *Carol. T. 2. p. 66. Tab. 66.* Arbor in America calidiori, nominatim ad sinum Campeche regni Mexicani, copiose sponte crescit. Nunc vero translatis in insulas Domingo Iamaicam aliasque vicinas seminibus, primum licet languerit, bene iam ibidem viget, quin sponte sese disseminat.

LIGNVM solidae texturae et graue colorem saturate rubrum prae se fert. Caeditur ab Iamaicensibus quotannis in Campeche copiose, et ex Iamaica dein in Angliam transfertur. Tinctoribus ex primariis ob colorem violaceum, quo panni imbuuntur, alio

alio dein colore nominatim nigro tingendi, et vt alii colores puriores et conſtantiores fiant.

Serius autem etiam in medicinam tranſiit. Sapor *eius ſubadſtringens et ſubdulcis eſt*, qui idem etiam in extractis ſiue aqua ſiue ſpiritu vini paratis ſentitur. Vtrique menſtruo rubrum colorem impertit, quod et interdum accidit ex interno vſu in alui fecibus et lotio. Spiritus vini plus ſoluit, quam aqua. Solutione Vitrioli martis infuſum adſciſcit colorem bruno nigrum et nonnihil viridem.

In diarrhoea obſtinata et dyſenteria Anglorum primam laudem obtinuit. Aſt nonniſi ſub finem dyſenteriae conducit, quando debilitas inteſtinorum continuat et reditus mali contingunt. *Decoctum* laudabile in hunc finem eſt (BAKER *Tract. de catarrho et dyſent.* recuſ. *in* SANDIF. *Diſſ. T. 2. p. 379.*). Quin hoc lego a quodam (CLARK'S *Diſ. in hot countries p. 233.*) longe extracto praeferri. Aliis extractum magis placet. Huius drachmas tres in aquae Cinamomi ſpirituoſae vncia ſeſquialtera et aquae fontanae vnciis ſeptem, additis tincturae laponicae drachmis duabus, ſolui curauerat ill. PRINGLE, cuius mixturae omni quarta vel quinta hora duo cochlearia capta, iuncto ſubinde opiato veſpera (*Diſ. of the army p. 281.*). Cl. DVNCAN in protracta dyſenteria ter de die extracti ſcrupulum vnum in potu commodo capi iuſſit, ſubiunctis clyſmatibus anodynis (Ill. ZIMMERMANN

v.

v. d. Ruhr p. 446.). Ne quid vero honoris miſcela cum aliis ligno detrahat, ſcias ſufficere ſolum extractum aqua e. c. Menthae criſpae ſoluere ea proportione, vt *illius* drachma vna huius vnciam vnam intret, et ſolutionis huius cochlearia tria quotidie ingerere (lll. BALDINGER *v. d. Krankh. e. Armee Ed. 2. p. 455.*).

Nec reticendum *Gummi*, quod truncus et rami primarii transmittunt oui gallinacei ſaepe magnitudine. Breui ſolideſcit, et tum tam fragile fit, vt inter digitos ſeſe conteri ſinat, ob ſaturatam rubedinem nigrum apparet, dulcis ſaporis (BROWNE *loc. cit.* IACQVIN *loc. cit.*).

PRAEPARATVM.

EXTRACTVM LIGNI CAMPECHENSIS *Ph. Lond. p. 27.* Fit cum aqua coctio repetita, commiſtis dein decoctis et inſpiſſatis. In *Ph. Edinb. p. 116.* et *noviſſ. p. 94,* ſpiritus vini tenuior adhibetur.

HY-

HYMENAEA.

LINN. *Syst. veg. p. 326. Gen. pl. p. 202.*

322.

Pharm. ANIME *Gummi.*

Hymenaea Courbaril; LINN. *Spec. pl. p. 337.* arbor siliquosa ex qua Gummi Anime C. B. Hymenea foliis geminatis parallelis, paginis inaequalibus, racemis terminatricibus BROWNE'S *nat Hist. of Iam. p. 221.*. Courbaril bifolia fructu pyramidato PLVM. *gen. 49.* Ceratia diphylla anteguana PLVCK. *Almag. 96. Phytogr. Tab. 82. fig. 2.* Itaiba PISO *Ind. nat. p. 122.* Arbor, crescens *in* Hispania noua, item insula Antigoa.

ANIME dicitur resina fructis flauido albis pellucidis variae figurae et magnitudinis (Auellanae nucis plerumque), farina quasi tectis, vbi franguntur splendentibus, friabilibus, ad nos afferri solita. Saepe cum Gummi Copal confunditur, quod inde forsitan prouenit, quod secundum PISONEM nomine Copal ab Indis quaelibet odorifera gummosa vel resinosa veniunt. Copal venale autem compagis *firmioris* est, ex fructis maioribus constat nec superficiei *pulverulentae*. G. Anime odorem resinosum habet, saporem fere nullum, masticando inter dentes mollescit, flam-

mam

mam capit, carbonibus inſperſum ſpargit odorem gratum, et integre fere deflagrat, relictis tantum cineribus paucis albis. Totum ſpiritu vini ſoluitur, qui inde amaricantem et pungentem ſaporem coloremque flauum obtinet. Deſtillatione cum aqua odora pars ſeparatur, ſimulque cum aqua olei eſſentialis tantillum aſcendit. Colligi ex arboribus vulneratis refert quidem MONARDES (in *Collect.* CLVS. *p. 316.*) et incisione corticis erui BANCROFT (*Nat. Hiſt. of Guiana in South-America p. 87.*), defluere ex trunco et ramis AVBLET (*Hiſt. des Plantes de la Guiane Françoiſe T. 1. p. 378.*). Si PISONI vero (*l. c.*) maior fides, per meatus corticis interiores in terram decidit, ex qua ſub arboris trunco et radice occultatum extrahitur. Vernicem maxime eximiam inde parant (BROWNE).

Rariſſime hodie in formulis medicis obtinet. Indi maſticant G. Anime contra colicas et flatus, item eo vtuntur in ſuffitu contra rheumatiſmos (BANCROFT *l. c.*). Contra quod malum vti et in affectionibus catarrhalibus et paralyſi eodem modo conducere memorant plerique ſcriptores materiae medicae. In vſum aſthmaticorum et catarrho ſuffocatiuo correptorum pari ratione adhibitum (BROWNE), quantum intelligo, in patria ſtirpis, vnde et prima efficaciae praeconia videntur profecta.

CERATONIA.

LINN. *Syst. veg. p. 773. Gen. pl. p. 554.*

323.

Pharm. SILIQVA DVLCIS.

Ceratonia Siliqua; LINN. *Spec. pl. p. 1513.* Siliqua edulis C. B. Ceratonia DODON. *pempt. p. 786.* Siliqua DU HAMEL *Traité des Arbres T. 2. p. 262. Tab. 69.* Arbor in Oriente, insulis Archipelagi et australi Europa, nominatim Gallo-prouincia, Hispania, Neapoli, in Sicilia, crescens.

Κερατωνια GALENI et AEGINETAE creditur, ita dicta ob LEGVMEN in cornu *formam quodammodo* flexum. Compressum, inaequale est, palmam circiter longum, pollicem vnum latum, coloris fuscobruni, constans ex pulpa siue carne sicca fusca vel rufa, dulci, et interne cellulas aliquas dissepias formans, in quarum singula semen ouatum, complanatum, rusum, vtrinque obtusum. Caro ista sicca vnice vsurpatur, quae dulcis. Aegyptii ex eadem mellis speciem extrahunt, quo varios fructus condiunt, et quod clysmatibus addunt, item ore sumendum praebent ad aluum subducendam (ALPIN. *de pl. Aegypti p. 8.*). Sicca legumina aluum pariter mouent, instar Cassiae (RAII *Hist. plant. Tom. 2. p. 1708.*). Vbi sponte crescit, impune tamen pecoribus in saginam pro-

proiicitur (DV HAMEL *l. c.*). Parce hodie a medicis adminiſtratur, et vix niſi in affectionibus pectoris, in quibus ſputa reſoluere et ſcreatu eliminare opportunum eſt. Tuſſientibus et aſthmaticis prout mel, ita et decoctum ex leguminibus, Aegyptii in hunc finem probo ſucceſſu exhibent (ALPIN. *l. c.*). In tuſſi adeo conuulſiua cl. IOERDENS (*Comm. Noric. 1733. p. 235.*) comeſtum fructum extollit, vt multos ſanatos pronunciet, quibus reliqua inertia. Vtinam conſpirarent hac in re aliorum pericula. Non neglectis aliis, inſtar paſſularum, demulcendo nonnihil ſtimulos acres et reſoluendo impacta, adiumento eſſe poſſe haud negauerim.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

SPECIES DECOCTI PECTORALIS *Ph. W. p. 185.* Inter varia alia becchica et hoc, de quo dixi, occurrit. Aqua cum iis decocta potatur. Cl^mo IOERDENS (*Comm. Noric. Ann. cit. p. 76.*) et hoc decocto, loco cereuiſiae ab infantibus calide poto, ſubigere tuſſim conuulſiuam ſucceſſit.

SYRVPVS DIACODION *Ph. W. p. 209.* V. ſupra *Pap. ſomnif. p. 289.*

SYRVPVS DIACODIVM CROCATVM *Ph. cit.* V. ſupra *l. c.*).

POLYGALA.

LINN. *Syst. veg. p. 530. Gen. pl. p. 364.*

324.

Pharm. SENEGAE vulgo s. SENEKAE *Edinb.*

Radix.

Polygala Senega; floribus imberbibus spicatis, caule erecto herbaceo simplicissimo, foliis lato-lanceolatis LINN. *Spec. pl. p. 990.* Icon; MILLER's *Gard. Dict.* ad speciem 5. *Comm. Noric. 1741. Tab. 4. fig. 1. 2. 3.* Conf. LINN. *Diss. Radix Senega*, in *Amoen. ac. Tom. 2. p. 124. 126. sq. c. ic.* Pl. perennis, in Virginia, Pensyluania, *Marilandia* crescens.

RADIX lignosa est, ramosa, digiti circiter crassitie, flexuosa, nodosa, intus alba, cortice crasso flauescente et quasi resina saturato et epidermide cinerea vestita. Gustata primo farinaceum saporem, mox subacidum prodit, dein fauces pungit et cum tussicula sensum constrictionis excitat. Inter haec saliua copiose affluit (LINN. *Diss. l. c. p. 129.*). Alibi sapor amaricans, subaromaticus describitur (GEOFFROY *M. m. Traité T. 2. p. 239.*); quin ab alio valde aromaticus (fort aromatique DU HAMEL in *Mem. de l'Acad. d. sc. d. Paris 1739. p. 136.*); dum rursus alii nulla aromatis vestigia perceperunt (TREW *Comm. Nov. a. cit. p. 370. not. d* DETHARDING *Diss. de Seneca*

nega, *resp.* SIEMERLING, *Rostoch.* 1749. item KEILHORN *Diss. de radicibus Senega et Salab Francof. ad Viadr.* 1765. *p.* 9.). Odorem spargit nullum, nisi, dum copia radicum seruetur intra clausum vas, nauseosum. Partes vero sapidae vnice fere cortici radicis inhaerent, qui in maxime crassis radicibus tertiam circiter ponderis partem, in tenellis quintam vel sextam partem, efficit (KEILHORN *l. c.*).

Analysin chemicam studiose cl. KEILHORN et BVRCKHARD (*Diss. de Radice Seneka, Argent.* 1750.) persequuti sunt. Infusum corticis aqua factum primo amaricans, dein acre, quem sensum cum constrictione faucibus praecipue circa vuulam imprimit. Sapor extracti aquosi, quod $\frac{1}{3}$ aequat, idem. Spiritus vini parciorem quantitatem abripit, nempe extractum eodem paratum $\frac{1}{4}$ aequat, quod ipsum Myrrhae instar amarum, sed altero longe mitius, est (KEILHORN *p.* 11. *sqq.*). Verum et lignosa radicis pars extractum tam aquosum quam spirituosum praebet, quorum istud amaricans et acre, hoc vtroque momento debilius est. Experimenta huius generis si integra radice fiunt, rationes nonnihil diuersae notantur (Sic in istis cl. BVRCKARD *p.* 8. 9.).

In paucis officinis radix adhuc venalis exstat, etsi maiori iure, quam tot alia, adesset efficax hocce resoluens et per varias excretorias vias aliena euacuans. Virtutum eius medicarum primam cognitio-

nem dedit medicus Scotus TENNENT, qui, curationum feliciſſimarum a rudibus ſylueſtribus Penſyluanis in morſu venenatiſſimi ſerpentis crotalophori clam perpetratarum diuturnus ſpectator, tandem praemio largo eorum quibusdam ſoluto eo peruenit, vt ſibi praecipuum remedium reuelarent. Conſtitit tum Senegae radicem eſſe (V. EIVS *phyſical diſquiſitions P. 2. Lond. 1735.*). Valuit et malis ex morſu ortis iam inualeſcentibus, ſanguine nimirum per pulmones excuſſo, labiis vulneris liuidis, corpore toto tumefacto. Nec aeſtus Iulii menſis effectum irritum reddidit (GEOFFROY *M. m. Traité T. 2. p. 239.*). Americani contra tantum periculum vel ſuccum maſticatae radicis deglutiunt et maſticatam vulneri imponunt (LINN. *Amoen. 2. p. 133.*), vel lac ea decoctum ter de die ad ſanationem vulneris vsque epotant, iuncto cataplaſmate radicis lacte parato. Tincturae quoque vinoſae ſingulare pretium aſſignatur. Ita ſanguis coagulatus reſolui, tumor diſſipari, venenum expelli, pulſus debilis et languens erigi et accelerari fertur. Fruſtra vero adhiberi medelam vaſe quodam ampliori ſanguifero ſauciato (LINN. *Amoen. T. 6. p. 214.*). Aſt non vnice Crotali virus Senega eneruari, ſed et aliorum ſerpentum, teſtatur exemplum ancillae Suecicae, quae alui deiiciendae cauſa rūri pone fruticem ſecedens a ſerpente quodam (Colubro Bero ſine dubio) et in muliebribus ipſis vulnerabatur ſub grauiſſimorum

ſym-

ſymptomatum ſatellitio, ſed duabus vnice doſibus ab ill. A LINNE' ſubminiſtratis conualuit (*Amoen. acad. Vol. 6. p. 214.*). Nec ſcio, Senegam aliud vllum idque fauſtum experimentum in ſerpentum morſu ſubiiſſe.

Conuenientia ſymptomatum a morſu ſerpentum propullulantium cum iis, quae in inflammatoriis pectoris morbis infeſtant, ad hoſce transferendi vſum Senegae anſam dederunt. Nimirum demorſi a caudiſona dolore acutiſſimo, reſpiratione difficili, tuſſi, haemoptyſi, pulſu duro atque veloci, (verum et nonnunquam debili) corripiuntur. Pleuriticis igitur et peripneumonicis illam propinauit TENNENTIVS (*Eſſays on the Pleuriſy, Philad. 1736.* item *Epiſtle to* RICHARD MEAD, *concerning the efficacy of the Seneca Snakeroot, Edinb. 1742.* Doleo vero mihi non ſuppetere ipſa TENNENTII ſcripta), eo euentu, vt ob ciues multos hoc remedio ſeruatos praemium 75 librarum a magiſtratu ſupremo Philadelphiae obtineret (Ex *Penſylv. Gaz. 1739. n. 555.* LINNNEVS in *Amoen. Vol. 2. p. 130.*). Non neglexit autem in vera pleuritide inflammatoria venaeſectionem ſub initium morbi vel eiusdem progreſſum, etiam repetitam, et infuſum emolliens blande ſoluens pro potu, vna cum ciborum delectu, quem et nos probamus. In ſpuria absque venaeſectione curationem abſoluit radice. Eius iudicio praecipuum virtutis, quod praeſtat in eo

conſiſtit, quod ſerum in concrementa et ſtagnationes pronum, vel quod iam impactum in vaſis haeret, reſoluat. Poſtquam iſte ad academiam ſcientiarum Pariſienſem de ſucceſſu ſuae medelae in pleuritide referret, cll^mis LEMERY, DE IVSSIEV et DU HAMEL, idem tentamen inire placuit, cui et reſpondit aeque felix euentus (*Mem. de l'Acad. de Paris l. c. p. 135. 139.*). Curatius omnibus reliquis et ſcienter vim eius in pectoris inflammationibus expendit cl. BOVVART (*Memoires cit. a. 1744.* inde a *p. 37.*) hiſtoriis aegrorum per momenta ſuppeditatis. Iſte non reſoluendi ſolum eiusdem efficaciae, ſed et euacuandi rationem habet. Euacuatio fit vel vomitu vel alui deiectionibus vel lotii profluuio vberiori vel ptyaliſmi ſpecie. Vomitus parciori doſi vitari poteſt, nec alere illum, ne pulmonibus vis inferatur, conſultum eſt. Reliquae excretiones vicibus venaeſectionis perfungi videntur. Hinc dum parcius a puluere dato contingunt, hic minus idoneus aegris eſt decocto. Patet inde BOVVARTIVM absque venae ſectione radicem malo curando parem exiſtimare (Aegris tamen tribus, de quibus refert, vena ſecta fuit.). Exhibuit illam etiam poſt tertium vel quartum diem, vnde intra binos vel tres dies oppreſſio pectoris cum dolore, difficultas ſpiritus, ſcreatus cruentus, febris rel. ſub expectoratione exoptata ceſſarunt. Tribus pleuriticis grauiter affectis decocto ſanitatem reſtituit cl. DE-

THAR-

THARDING (*Diss. cit.*); sub vsu copia sordium absque torminibus aluo secessit, et lotium copiose manauit. Vt et illustre sanationis exemplum in medium prodeat, magni LINNEI esto, qui a. 1753. ex refrigeratione peripneumonicus, sumta ter de die drachma vna pulueris intra biduum conualuit (*Amoen. ac. T. 4. p. 535.*). De hac radice, nomine Polygalae, etiam loqui arbitror Cl^mum SARCONE, dum decoctum eius tenuius et dein saturatius in febre rheumatica et inflammatione pectoris pro soluenda humorum tenacitate impense depraedicat; nam sanguis postea per venam emissus fluidior, minus lardosus et copiosiori sero mixtus (EIVS *Geschichte d. Krankh. in Neapel T. 1. p. 108. 169. 173. 199.*). Aliter autem se res habuit in aliquot aegris, qui ex inflammatorio morbo suppurationem perpessi, subinde noua inflammationis symptomata experiebantur, nempe, Senega etsi per duos quatuor quinque menses administrata, sanguis tamen per omne tempus tenax et crusta densa tectus permansit (DE HAEN *Rat. med. P. 4. p. 252.*).

Varii et sunt alii morbi, in quibus resoluendo crasin humorum tenacem et euacuando proficit. Efficaciam in hydrope, quam TENNENTIVS subolfecit, in aegris alii confirmarunt. Haud paucis hydrope anasarca cum ascite correptis decoctum Senegae leuamen attulit cura BOVVARTII (*l. c. p. 40.*), et euacuando aquam per aluum et copiosius lotii effluuium,

ſubſidentiam tumidi corporis procurauit. Memorabilis praecipue caſus hominis, quem ſimul hydrops pectoris vna cum febre afflixit, eousque curatus, vt nonniſi durities et intumeſcentia lienis remaneret; ex quinque hydropicis neminem tamen radicibus a malo liberare valuit (*l.c. p. 43.*). Sed dolendum, ſaepe in hydrope tantam labem ſubeſſe viſcerum, vt vel cuilibet alii remedio tenaciter obnitatur. Hydragogam Senegam longa experientia etiam pronunciat cl. MACKENZIE (*med. Obſ. et Inqu. Vol. 2. p. 288.*). Caſum curati hydropis anaſarca cl. DETHARDING (*l. c. p. 25. ſqq.*) ſuppeditat. In hydrope pectoris ideo ſubinde reliquis praeſtitit, quod praeter alias euacuationes et in glandulas bronchiales operetur (PERCIVAL *Eſſays T. 2. p. 178.*). An ideo in maraſmo Virginiae endemio, Europaeis praecipue fatali, auxilium fert, et in incipiente phthiſi, vt expertus eſt TENNENTIVS (LINN. *Amoen. Vol. 2. p. 131.*)?

Mira et praeſtitit in morbo complicato, qui aſcite initium capiens, dein continua febre et loquelae diſpendio auctus fuit. In hoc, fruſtra tot aliis per longam moram tentatis, decoctum Senegae et febrem ſufflaminauit et loquelam reſtituit. Hydrops vero alia deſiderauit, a quo curatus dein alio morbo aeger occubuit (MACKENZIE *l. c. p. 287. ſq.*).

Coniectura iam in rheumatiſmo vſurpare ſuadet, ob affinitatem eius cum inflammatoriis morbis. Fauent

uent huic vero efficaciae experimenta (*Commerc. Noric. a. 1741. p. 362.*). Paucis etiam anthelmintica notatur (*l. c.*).

Quomodo commorsis a serpentibus exhibeatur, iam indicaui. TENNENTIO crebri vsus fuit Tinctura vinosa ex radicis Senegae vnciis quatuor, et vini Canarienſis libra vna, per triduum digestis et colatis, cuius cochlearia tria pro dosi data (LINN. *Amoen. Vol. 2. p. 132.*). Praestitit omnino, ne praeter rem calorem excitaret, puluis, qui ab eo ad grana 35, ab aliis (*Comm. Nor. cit.*) a gr. 20 ad 30 ingestus; et decoctum aqua factum. Saturatius fuit istud TENNENTII (LINN. *l. c.*) ex radicis vnciis tribus in aquae libris duabus ad tertiae partis consumtionem coctis, cuius pariter tria cochlearia obtulit, tertia qualibet hora iteranda, donec symptomata remitterent, et quarta vel sexta hora modo, si conticescere omnino inciperent. Quoniam vero cl. BOVVART (*l. c. p. 53.*) ex tam saturato decocto sensum ardoris in stomacho et intestinis aliaque incommoda persensit, vnciam modo radicis cum dicta aquae quantitate coxit, huiusque decocti cochlearia tria quauis hora sorbillanda iniunxit. Acrimoniae sensus in faucibus, vel ex dilutiori illo decocto perceptus, sponte paullo post disparuit. Tanto citius disparet iste molestus sensus, si hausstus vini Maderaici (quando nihil vetat) superbibitur (LEWIS *M. m. p. 465.*).

PRAE-

PRAEPARATVM.

DECOCTVM SENEKAE *Ph. Ed. noviſſ. p. 64.* Ex radicis vncia vna cum aquae ſeſquilibra ad librae dimidiae iacturam decocta.

325.

Pharm. POLYGALAE VVLGARIS *Herba; Radix.*

Polygala vulgaris; floribus criſtatis racemoſis, caulibus herbaceis, ſimplicibus procumbentibus, foliis lineari-lanceolatis LINN. *Spec. pl. p. 986.* Polygala maior C. B. Icon. *Flor. Dan. Tab. 516.* Pl. perennis, in pratis ſiccis.

Ad hanc reuoco experimenta in Gallia in affectionibus pectoris inflammatoriis cum Polygala indigena facta, quamuis HALLERVS (*Hiſt. ſt. helv. n. 343.*) ad Pol. amaram L. referat. Cl. DU HAMEL, qui primus ad ea acceſſit, ſtirpi a ſe adhibitae ſaporem ſubacrem et vix amaricantem (d'une tres foible amertume) adſcribit, quum alteri mox indicatae amarities inſignis inſideat; nec iſta aluum purgat (DU HAMEL), vt haec. Radicem vero vna cum herba aegris binis, poſt venam aliquoties fruſtra ſectam et alia ſine ſucceſſu adminiſtrata, in ptiſana ex voto praecepit. Sed fateor dubium maxime effectum ſalutarem in hiſce

binis

binis mihi videri, quum radicem Graminis et Liquiritiae et flores Tussilaginis simul intrarent ptisanam praescriptam. Nec de pluribus casibus per partes nobis retulit. Comparatione dein facta intra Senegam et hanc Polygalam, istam efficacius longe sputorum exscreationem promouere quam hanc, non inficiatur (*Mem. de l'Ac. d. sc. de Paris 1739. p. 135. sqq.*). Largior absque dubio huius, si quid efficere debeat, requiritur dosis, quam praecedentis: nec exiguo granorum duodecim ponderi, ad quod illam restringit GEOFFROY (*M.m. Traité T. 2. p. 244.*), subscribere possum.

Infusum herbae loco Theae Chinensis, tam ob gratum saporem, quam salubritatem, commendatur (*Lübeckische Anzeigen 1768. St. 4.*).

326.

Pharm. POLYGALAE AMARAE *Herba; Radix.*

Polygala amara; floribus aristatis racemosis, caulibus erectiusculis, foliis radicalibus obouatis maioribus LINN. *Spec. pl. p. 987.* Polygala foliolis circa radicem rotundioribus, flore coeruleo, sapore admodum amaro. C. B. Iam ante eum a THALIO in *Sylva hercyn. p. 88.* notata. Polygala buxi minoris folio, flore coeruleo (VAILLANT *Botan. Paris. 161. n. 3. Tab. 32. fig. 2.*). Amplior descriptio legitur

gitur in COLLIN. *Obſerv. T. 2. p. 203. ſq.* Planta perennis, in montoſis, e. c. vicino monte Pleſſenſi, creſcens.

Inſigni diuque linguae adhaerente amaritie HERBAE, empirice facile haec ſpecies a vulgari diſtingui poteſt. Hinc et Amarella a C. GESNERO (*Epiſt. Lib. 3. p. 121. a*) dicta. Infuſum vinoſum ex manipulo herbae per noctem vino maceratae aluum purgat absque periculo, vt ipſe iſte celebris Heluetus in ſe expertus eſt. Tinctura ex quatuor vnciis herbae et vini Canarienſis libra vna amariſſima et coloris ſubfuſci (IACQV. *Fl. Vind. p. 262. n. 60.*).

RADIX gracilis, fibroſo ramoſa, lignoſa, extus flauo cinerea, interne albida. *Amaritiem* in hanc cadere negat ill. IACQV. (*l. c.*), alius (COLLIN. *Obſerv. circa morbos P. 2. p. 203.*) balſamicum ſaporem ex amariuſculo ſubdulcem adſcribit. Et haec praeciſe pars eſt, quae Vindobonae quosdam medicos occupatos tenuit in phthiſeos pulmonalis vlceroſae curatione. Cortex radicis virtutis meritum nominatim tulit (COLLIN *l. c. p. 198.* COSTE et WILLEMET *Eſſais ſur quelques plantes indigenes p. 75.*). Auctor ſuaſorque experimentorum in noſocomiis Vindobonenſibus L. B. A SWIETEN fuit. Iam anno 1762. quatuor felicis euentus nobis ſiſtebantur hiſtoriae (CANDON *Diſſ. de Polygala in phthiſi, Viennae*) de hominibus ex inflammatione pectoris vel haemoptoë phthiſicis.

cis. Et decem annos post casus quindecim selecti ex multo pluribus (a cl. COLLIN in *Observ. l. c.*). Apud hosce vel pariter dira inflammatio praecesserat, vel malum lente praeuia tussicula ortum. Quam altas illud in multis radices egisset, et copiosa puris per os reiectio cum tabe, et sudores nocturni vberrimi febrisque praesentia declararunt. Eluctati tamen sunt hi periculum Polygalae praecipue beneficio. Subinde emollientia mucilaginosa, inter quae Radix Salep praerogatiuam habuit, et paregorica praemissa, vel sub ipsa curatione interpolata. Successu sese exserente, lotii profluuium augetur, cum sudorum imminutione, quae ipsa et tum saepe incidit, quando sputorum excretio solito adhuc modo pergit. Ita cl. COLLIN, qui balsamicam, consolidantem, roborantem, demulcentem vim radici assignat, et princeps facile tentatorum contra hanc morbum remediorum habet. Tentarunt quoque radicem ex voto in decem aegris cl. COSTE et WILLEMET (*l. c.*). Etsi in hisce malum nondum ad extremum peruenerat: post praegressam tamen haemoptysin, dolores lateris vel dorsi, tussis, oppressio pectoris, sputa mali moris, febris lente obrepens, macies etc. adfuerunt; in pertinaci et sicca tussi valuit miscela decocti cum lacte. Cl^mi WILHELMI (*Diss. de phthisi, Wirceb. 1777. p. 29. Cas. 2. et 3.*) duo vel tria felicis curationis phthiseos exempla dubito huc adducere, quum lac, Chinchina,

Lichen Islandicus, alia, ſimul in vſum vocata fuerint. Aequitas tamen fateri nos iubet, multis phthiſicis non ſatisfeciſſe. Ipſe COLLINVS hoc ſignificat, cuius inertiae cauſam cadauerum ſectio euicit, vt in quibus indurationes ſcirrhique pulmonum vel eorum conſumtio, item viſcerum abdominis variorum obſtructiones in conſpectum venere. Multis interim, niſi ſanationem, leuamen tamen attulit.

Poſſet quispiam cognatione huius ſtirpis cum Senega ductus hanc eiusdem in pleuritide et hydrope virtutis participem declarare. Sed in iſta auxit ſymptomata, in hoc nihil effecit (COLLIN), licet alii curationem praetendant. (*l. c. p. 199.*).

Exhibendi aegris Polygalam non vnus modus eſt. Confert Polygala in puluere mane et veſperi ad dimidiam drachmam, vel in electuario cum melle, omni quadrihorio ad drachmam vnam ſenſim aſcendendo. Adiunctum fuit infuſum HERBAE melle mitigatum (CANDON *l. c. p. 11.*). Plerisque vero aegris, de quibus conſtat, decoctum radicis ſuppeditatum eſt, ex eiusdem vnciis tribus cum aquae libris tribus ad conſumtionem dimidiae partis decoctis et ſyrupi Hyſſopi et Diacodii ana vncia vna edulcatis (COLLIN *l. c. p. 208.*). Conſumtae ſic per diem radicis vnciae duae, ſubinde minor quantitas (*l. c. p. 198.*). — Cl. SARCONIS praeconia de Polygala ſub Senega recenſui, etſi mallem, eum non idem commiſiſſe vitium, quod

quod tot practici, qui ob *ambiguitatem* vocum, quam neglecta Botanice parit, nec intelligi possunt, nec optimorum forsitan inuentorum aliquod in alios commodum redundare patiuntur.

FVMARIA.

LINN. *Syst. veg. p. 529. Gen. pl. p. 362.*

327.

Pharm. FVMARIAE *Herba.*

Fumaria officinalis; pericarpiis monospermis racemosis, caule *diffuso* LINN. *Spec. pl. p. 984.* Fumaria officinarum et DIOSCORIDIS C. B. Καπνος DIOSC. Καπνιος GALEN. Icon: REGNAVLT *Botan.* la Fumeterre. Pl. annua, in agris hortisque sponte copiosissima.

Stirps inodora, sed tota scatet succo ingrate amaro, salino. Hic si inspissatur in extracti formam, efflorescit sal amarum et leuiter pungens, nitrum referens (BOERH. *Hist. pl. p. 389.*). Idem ex infuso aquoso eruitur et prunis inspersum cum crepitu dissilit, spiritu acido autem permistum leuissimam ebullitionem excitat (CAMERAR. *Diss. de Fumaria, Tub. 1718. p. 12.*). Amaritie potius est extractum spirituosum, quod parcius elicitur, nec eiusmodi crystallos emittit.

HERBA *obſtructiones* et infarctus viſcerum egregie reſerat, veterum aeque ac recentiorum conſenſu (AETIVS *Tetr. 1. Serm. 1. 30.* BOERHAAV *Hiſt. plant. p. 388.* HOFFM. *Diſſ. de praeſt. remed domeſt. §. 24.*); hepatis nominatim (GALENVS, *ſimpl. L 7.*). Icteri cum vomitu ſucco curati hiſtoriam notare operae pretium eſt (RIVERII *Obſervat. Cent. 3. p. 230.*).

Altera haud dubia illi competens efficacia eſt in vitiis variis cutaneis, quibus et corrigendo humores corruptos, tonum reddendo vaſis, quorum debilitati corruptela iſta ſaepe debetur, et euacuando per aluum et lotii vias mederi videtur. In ſcabie praeſtans remedium herba eſt, ſero lactis infuſa vel cocta cum cereuiſia, et amplo SIM. PAVLLI (*Quadrip. p. 71.*) praeconio decoratum. Ab experientiſſimo practico Sueco (Cl. STRANDBERG, *om Fel vid chron. Sjukdomars botande p. 17.*) ſimile tulit in herpete. Sed et exanthema magis adhuc foedum et curatu difficilius, lepra, ſolo Taraxaci et Fumariae ſucco curatum perfecte eſt (LEIDENFROST *Diſſ. de ſuccis herbarum expreſſis, Duisb. 1751. p. 27.*). Vt ne dubium ciëat miſcela, ſcias leproſam affectionem, ſubinde induratione glandularum ſtipatam, ſucco vnice huius herbae bis de die ad tria vel quatuor cochlearia capto, iuncta alternis diebus alui purgatione, diſparuiſſe (THOMSON'S *med. Conſultations p. 161.*). — Stomachica, antiſcorbutica, aliaque paſſim virtus memoratur: ſed ſufficit certiſſimas noſſe. Ma-

Maxime confert, *vti* ſucco ad vncias duas vel tres, vel ſolo vel cum ſero lactis remixto. Non caret tamen ſuo commodo, deficiente herba recente, infuſum vel decoctum vſurpare, quoniam nihil odori ſtirps ſecum vehit.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

AQVA FVMARIAE *Ph. W. p. 6.* Obſoleta, nec iniuſte, vt arbitror, ſudores licet mouere SIMON PAVLLI (*l. c. p. 39.*) aliique indicent.

CONSERVA *l. c. p. 93.* Non reiicienda.

ESSENTIA *l. c. p. 81.* *Non omnem vim plantae continere*, ex ſuperius in comparatione extractorum dictis elucet. Doſis guttarum quinquaginta ad octoginta aſſignatur.

EXTRACTVM *l. c. p. 88.* Non opus eſt vino illud parare, ſufficit aqua. Commodum pilularum vel elixirii forma.

SYRVPVS *l. c. p. 211.* Ex ſucco et ſaccharo.

328.

Pharm. ARISTOLOCHIAE FABACEAE
Radix.

Fumaria bulbosa; caule simplici, bracteis longitudine florum LINN. *Spec. pl. p. 383. α, caua,* Fumaria bulbosa, radice caua, maior C. B. Icon: *Fl. Dan. Tab. 605.* REGNAVLT *Botanique,* la Fumeterre bulbeuse. Pl. perennis primo vere in nemorosis et vmbrosis florens.

Quodnam discrimen intersit inter varietatem bulbo cauo et illam bulbo solido, optime determinauerunt LINNEVS (*Flor. Suec. p. 246.*) et HALLERVS (*Hist. stirp. Helv. n. 348 et 349.*), qui posterior in species diuersas diuellit illas. Non dubito tamen, quin solida radix, quae priori minor, substitui omnino possit cauae.

RADIX vero, a pharmacopolis delecta subglobosa est, Castaneae minoris magnitudinis, interne cauum relinquens quasi exesum, constans ex carne dilute flaua, obducta epidermide fusca. Neglecta hodie omnino, nec male, si superfluis valedicendum. Sed non virtute omni cassam esse, docet amarities cum acrimonia iuncta, quibus momentis ad *Aristolochias* in officinis vsitatas propius, odoris licet expers, accedit. Hinc et, fauente simul forma, subinde in officinis radici Aristolochiae rotundae illam substituunt.

ritu

Spiritu vini macerata extractum intenſe amarum ſimulque notabiliter acre erogat; aquoſum vero extractum, etſi pariter amarum, remiſſius acre eſt, et pondere quoque alteri cedens (CARTHEVS. *M.m. T. 1. p. 516.*). Virium earundem participem eam auctores habuere, ac Ariſtolochias. Ad menſtrua nominatim ſuppreſſa reſeranda multi illam commendarunt, item ad lumbricos necandos. Plerique tamen ſubſiſtunt in eiusdem ad vlcera purganda et cariem oſſium arcendam praeſtantia. Hiſce finibus puluis inſperſus ſuffecit (HELD *Eph. N. C. Cent. 6. Obſ. 86. p. 365.*). Sed itidem a chirurgis hodie deſpicitur.

DESIGNATIO SPECIERVM
IN SECVNDO VOLVMINE CONTENTARVM.

STIRPES.

Nomen pharmaceuticum. *Nomen ſyſtematicum.*

ORDO XV. ROTACEAE.

202.	Anagallis	*Anagallis aruenſis.*	pag. 1
203.	Nummularia	*Lyſimachia Nummularia.*	9
204.	Gentiana rubra	*Gentiana lutea.*	11
205.	Centaurium minus	— — *Centaurium.*	18
206.	Primula veris; Paralyſis	*Primula veris.*	22
207.	Cyclamen	*Cyclamen.*	25
208.	Trifolium fibrinum	*Menyanthes trifoliata.*	27

ORDO XVI. SEPIARIAE.

209.	Iasminum	*Iasminum.*	32
210.	Oliuae	*Olea europaea.*	33

ORDO XVII. BICORNES.

211.	Vua vrſi	*Arbutus Vua vrſi.*	54
212.	Vitis idaea	*Vaccinium Vitis idaea.*	69
213.	Oxycoccos	— — *Oxycoccos.*	72
214.	Myrtillus	— — *Myrtillus.*	73
215.	Roſmarinus ſylueſtris	*Ledum paluſtre.*	75
216.	Pyrola	*Pyrola rotundifolia.*	70
217.	Storax	*Styrax officinale.*	80

No-

Nomen pharmaceuticum.	*Nomen ſyſtematicum.*	
218. Alkanna vera	*Lawſonia inermis.*	85
219. Santalum album, citrinum	*Santalum album.*	87
220. Tamariſcus	*Tamarix gallica.*	90

ORDO XVIII. ASPERIFOLIAE.

221. Conſolida maior	*Symphytum.*	92
222. Borago	*Borago officinalis.*	95
223. Pulmonaria maculata	*Pulmonaria officinalis.*	97
224. Lithoſpermum	*Lithoſpermum officinale.*	98
225. Bugloſſum	*Anchuſa officinalis.*	99
226. Alkanna	—— *tinctoria.*	100
227. Cynogloſſa	*Cynogloſſum officinale.*	102
228. Sebeſten	*Cordia Myxa.*	105

ORDO XIX. VERTICILLATAE.

229. Marum verum	*Teucrium Marum.*	107
230. Polium creticum	— — *creticum.*	112
231. Polium montanum	— — *Polium, montanum, capitatum.*	113
232. Scordium	*Teucrium Scordium.*	114
233. Chamaedrys	— — *Chamaedrys.*	119
234. Chamaepitys	— — *Chamaepitys.*	191
235. Conſolida media	*Aiuga pyramidalis.*	123
236. Thymus	*Thymus vulgaris.*	124
237. Serpyllum	—— *Serpyllum.*	126
238. Meliſſa citrina	*Meliſſa officinalis.*	127

Nomen pharmaceuticum.	*Nomen syſtematicum.*	
239. Calamintha	*Meliſſa Calamintha.*	130
240. Meliſſophyllum	*Melittis Meliſſophyllum.*	131
241. Hyſſopus	*Hyſſopus officinalis.*	133
242. Lauendula	*Lauendula Spica.*	135
243. Stoechas	— — *Stoechas.*	138
244. Dictamnus creticus	*Origanum Dictamnus.*	139
245. Origanum creticum	— — *creticum.*	140
246. — — vulgare	— — *vulgare.*	141
247. Maiorana	— — *Maiorana.*	143
248. Satureia	*Satureia hortenſis.*	145
249. Mentha criſpa	*Mentha criſpa.*	146
250. —— piperita	*Mentha piperita.*	150
251. —— ſylueſtris	—— *ſylueſtris.*	152
252. Pulegium	—— *Pulegium.*	153
253. Baſilicum	*Ocimum Baſilicum.*	155
254. Nepeta	*Nepeta Cataria.*	156
255. Meliſſa Turcica	*Dracocephalum Moldauica.*	157
256. Betonica	*Betonica officinalis.*	158
257. Marrubium	*Marrubium vulgare.*	160
258. Saluia	*Saluia officinalis.*	164
259. Sclarea	—— *Sclarea.*	170
260. Roſmarinus hortenſis	*Roſmarinus officinalis.*	171
261. Hedera terreſtris	*Glecoma hederacea.*	174
262. Lamium album.	*Lamium album.*	178
263. Cardiaca	*Leonurus Cardiaca.*	180

Nomen pharmaceuticum.	*Nomen systematicum.*	
264. Prunella	*Prunella vulgaris.*	181
265. Tertianaria	*Scutellaria galericulata.*	182
ORDO XX. PERSONATAE.		
266. Linaria	*Antirrhinum Linaria.*	183
267. Euphrasia	*Euphrasia officinalis.*	186
268. Scrophularia	*Scrophularia nodosa.*	188
269. — — aquatica	— — *aquatica*	190
270. Anacardium orientale	*Auicennia tomentosa.*	192
271. Agnus castus	*Vitex Agnus castus.*	195
272. Gratiola	*Gratiola officinalis.*	197
273. Branca vrsina	*Acanthus mollis.*	204
274. Veronica	*Veronica officinalis.*	205
275. Beccabunga	— — *Beccabunga*	208
276. Verbena	*Verbena officinalis.*	209
ORDO XXI. RHOEADES.		
277. Rhoeas	*Papauer Rhoeas.*	212
278. Papauer Opium	—— *somniferum.*	215
279. Chelidonium maius	*Chelidonium maius.*	300
ORDO XXII. PVTAMINEAE.		
280. Capparis	*Capparis spinosa.*	305
ORDO XXIII. SILIQVOSAE.		
281. Nasturtium aquaticum	*Sisymbrium Nasturtium*	309
282. Sophia Chirurgorum	— — *Sophia.*	313
283. Erysimum	*Erysimum officinale.*	315

No-

Nomen pharmaceuticum.	*Nomen ſyſtematicum.*	
284. Alliaria	*Eryſimum Alliaria.*	317
285. Barbaraea	— — *Barbaraea.*	318
286. Cardamine	*Cardamine pratenſis.*	319
287. Raphanus	*Raphanus ſatiuus.*	321
288. Sinapi	*Sinapis nigra.*	323
289. Braſſica	*Braſſica oleracea.*	329
290. Rapa	—— *Rapa.*	334
291. Napus	—— *Napus.*	336
292. Eruca	—— *Eruca.*	337
293. Cheiri	*Cheiranthus Cheiri.*	339
294. Cochlearia	*Cochlearia officinalis.*	341
295. Raphanus ruſticanus	— — *Armoracia.*	348
296. Naſturtium hortenſe	*Lepidium ſatiuum.*	354
297. Thlaſpi	*Thlaſpi aruenſe.*	354
298. Burſa paſtoris	—— *Burſa paſtoris.*	355

ORDO XXIV. PAPILIONACEAE.

299. Lupinus	*Lupinus albus.*	356
300. Siliqua hirſuta	*Dolichos pruriens.*	358
301. Geniſta	*Spartium ſcoparium.*	360
302. Rhodium Lignum	*Geniſta canarienſis.*	363
303. Ononis	*Ononis aruenſis.*	365
304. Faba	*Vicia Faba.*	368
305. Lentes	*Eruum Lens.*	369
306. Eruum	—— *Eruilja.*	371

Nomen pharmaceuticum.	*Nomen systematicum.*	
307. Cicer	*Cicer arietinum.*	372
308. Glycyrrhiza	*Glycyrrhiza glabra*	374
309. — —	— — *echinata*	379
310. Tragacantha	*Astragalus Tragacantha.*	380
311. Galega	*Galega officinalis.*	383
312. Melilotus	*Trifolium Melilotus officinalis.*	384
313. Foenugraecum	*Trigonella Foenum graecum.*	386

ORDO XXV. LOMENTACEAE.

314. Senna	*Cassia Senna.*	388
315. Cassia	—— *Fistula.*	395
316. Nephriticum Lignum. Been Nux	*Guilandina Moringa.*	400
317. Gummi arabicum. Succus Acaciae verae	*Mimosa nilotica.*	404
318. Gummi Senegal	—— *Senegal.*	414
319. Terra Catechu	—— *Cate.*	415
320. Tamarindi	*Tamarindus indica.*	425
321. Campechense Lignum	*Haematoxylum campechianum.*	429
322. Gummi Anime	*Hymenaea Courbaril.*	432
223. Siliqua dulcis	*Ceratonia Siliqua.*	434

Nomen pharmaceuticum.	*Nomen ſyſtematicum.*	
324. Senega	*Polygala Senega.*	436
325. Polygala vulgaris	— — *vulgaris.*	444
326. — — amara	— — *amara.*	445
327. Fumaria	*Fumaria officinalis.*	449
328. Ariſtolochia fabacea	— — *bulboſa.*	452

FINIS VOLVMINIS SECVNDI.

MO-

MONITVM.

Quum ad cognoscendas stirpes officinales, vt quaslibet alias, *Iconum* fides et elegantia haud exiguum adiumentum afferat: adiicere heic interest designationem earum, quae absoluto iam primo libri huius volumine in publicam lucem prodiere, vna cum paucis quibusdam, quae et ad praesens volumen pertinent. Ob defectum harum saepe in BLACKWELLIAE opere subsistere antea coactus fui, quae necessitas serius rarior fuit, suppetentibus figuris praestantioribus. IOANNIS MILLERI *Illustrationem Systematis sexualis, Lond. a.* 1777. *Fol. max.* et REGNAVLTI *Botanique mise à la Portée de tout le Monde, à Paris, inde ab a.* 1774. *Fol. max.*, quorum operum pretium icones praecipue constituunt, per numeros significare non vacat, quum vtrumque per fasciculos absque ordine prodierit. Possessores vero horum facillimo negotio Tabulas in ordinem Systematis Linneani redigere poterunt, quod si factum fuerit, quaerentes imaginem significatam non alia norma egebunt.

AD VOL. I.

Pinus ſylueſtris p. 2. IO. MILLERI *Illuſtr. ſyſt. ſexual.*

—— Pinea p. 14. REGNAVLT *Botanique, le Pin.*

—— *Abies* p. 18. REGN. *Bot. le Picea.*

Cupreſſus ſemperuirens p. 32. REGN. *le Cyprés.*

Iuniperus communis p. 34. IO. MILL. *Illuſtr.* REGN. *le Genevrier.*

— — Sabina p. 41. REGN. *Bot. la Sabine.*

Salix alba p. 44. REGN. *le Saule.*

Populus nigra p. 47. IO. MILL. *Illuſtr.* REGN. *le Peuplier noir.*

Fagus Caſtanea p. 52. REGN. *Bot. le Chataignier.*

Iuglans regia p. 57. REGN. *le Noyer.*

Quercus Suber p. 64. REGN. *le Liege.*

Corylus Auellana p. 66. REGN. *le Coudrier ou Noiſetier.*

Betula Alnus p. 72. REGN. *l'Aune.*

Piſtacia vera p. 74. REGN. *le Piſtachier.*

—— Lentiſcus p. 77. REGN. *le Lentiſque.*

Arctium Lappa p. 83. *Fl. Dan. Tab.* 642.

Carduus marianus p. 86. REGN. *Bot. le Chardon Marie.*

Carlina acaulis p. 88. REGN. *la Carline.*

Carthamus tinctorius p. 99. REGN. *la Cartame.*

Centaurea Cyanus p. 93. REGN. *le Bluet.*

— — benedicta p. 96. REGN. *le Chardon benit.*

— — Calcitrapa p. 99. REGN. *le Chardon etoilé.*

Cichorium Endiuia p. 102. REGN. *la Chicorée Endive.*

Leontodon Taraxacum p. 104. IO. MILL. *Illuſtr.* REGN. *Botan. le Piſſenlit.*

Sonchus oleraceus p. 110. REGN. *Bot. le Laitron doux.*

Hieracium Piloſella p. 111. REGN. *la Piloſelle.*

Gnaphalium arenarium p. 112. *Fl. Dan. T.* 641.

Gna-

Gnaphalium dioicum p. 113. REGN. *Bot. le Piechatier.*
Artemisia Absynthium p. 117. REGN. *l'Absinthe.*
— — pontica p. 124. IACQVIN *Fl. austr. Tab. 99.*
— — vulgaris p. 124. REGN. *Bot. l'Armoise.*
Tanacetum vulgare p. 130. REGN. *la Tanaisie.*
— — Balsamita p. 132. REGN. *Le Coq ou la Menthe Coq.*
Eupatorium cannabinum p. 133. *Fl. Dan. T. 745.* REGN. *Botan. l'Eupatoire d'Avicenne.*
Santolina Chamae-Cyparissus. p. 134. REGN. *le petit Cyprés.*
Tussilago Petasites p. 138. REGN. *Bot. le Petasite.*
— — Farfara p. 140. REGN. *le Pas d'Asne.*
Xanthium strumarium p. 141. REGN. *le petit Glouteron.*
Matricaria Parthenium p. 148. *Fl. Dan. T. 674.* REGN. *la Matricaire.*
Anthemis Cotula p. 151. REGN. *la Maroute.*
Bellis perennis p. 153. REGN. *la Paquette.*
Inula Helenium p. 154. *Fl. Dan. T. 728.* REGN. *l'Aunée.*
Doronicum Pardalianches. p. 163. REGN. *le Doronic.*
Achillea Millefolium p. 165. *Fl. Dan. T. 737.* REGN. *Bot. la Millefeuille.*
— — Ptarmica p. 169. *Fl. Dan. T. 643.* REGN. *l'Herbe à eternuer.*
— — Ageratum p. 170. REGN. *l'Eupatoire de Mesué.*
Solidago Virgaurea p. 171. *Fl. Dan. T. 663.* REGN. *la Verge d'or.*
Calendula officinalis p. 174. IO. MILL. *Illustr. syst. sex.* REGN. *Botan. le Souci de Jardin.*
Scabiosa aruensis p. 178. REGN. *la Scabieuse des Prés.*
Valeriana Phu p. 186. REGN. *la grande Valeriane.*
Poterium Sanguisorba p. 188. REGN. *la Pimprenelle.*
Plantago Psyllium p. 193. *Hort. Roman. T. 2. Tab. 10.*

Plantago Cynops p. 193. REGN. *Art. l'Herbe aux Puces.*
Cuscuta europaea p. 194. REGN. *la Cuscute.*
Viscum album p. 199. 10. MILL. *Illustr.* REGN. *le Guy de Chene.*
Eryngium campestre p. 206. IACQV. *Fl. austr. T. 2. Tab. 155.* REGN. *Botan. le Panicout.*
Sanicula europaea p. 207. REGN. *la Sanicle.*
Daucus Carota *a.* p. 209. *Fl. Dan. T. 723.*
Conium maculatum p. 213. IACQV. *Fl. austr. T. 2. Tab. 156.* REGN. *Bot. la grande Cigue.*
Athamanta cretensis p. 235. REGN. *Bot. le Daucus de Candie.*
— — Oreoselinum p. 236. IACQ. *Fl. austr. T. 1. Tab. 68.*
Laserpitium latifolium p. 247. IACQ. *Fl. austr. T. 2. Tab. 146.*
— — Siler p. 248. IACQ. *Fl. austr. T. 2. Tab. 145.*
Angelica Archangelica p. 250. REGN. *Bot. l'Angelique.*
Imperatoria Ostruthium p. 254. REGN. *l'Imperatoire.*
Bubon Galbanum p. 262. IACQ. *Hort. Vind. Cent. 3. Tab. 36.* REGN. *Botan. la Ferule galbanifere.*
Phellandrium aquaticum p. 267. REGN. *la Cigue aquatique.*
Aethusa Meum p. 277, REGN. *le Meum.*
Anethum Foeniculum p. 289. 10. MILL. *Illustr. syst. sex.*
Pimpinella Saxifraga p. 294. *Fl. Dan. Tab. 669.*
Apium graueolens *β* p. 303. REGN. *l'Ache.*
Panax quinquefolium p. 330. REGN. *le Ginsin.*
Ruscus aculeatus p. 341. 10. MILL. *Illustr.*
Aristolochia clematitis p. 356. 10. MILL. *Illustr.*
Asarum europaeum p. 359. REGN. *le Cabaret.*
Asperula odorata p. 374. REGN. *le Muguet des Bois.*
Coffea arabica p. 386. REGN. *le Cafier.*
Cucumis sativus p. 406. REGN. *le Concombre.*
Solanum Dulcamara p. 423. REGN. *la Morelle grimpante.*

So-

Solanum nigrum p. 427. REGN. *la Morelle à fruit noir.*
Atropa Belladonna p. 430. *Fl. Dan. Tab. 758.*
Datura Stramonium p. 456. REGN. *la Pomme epineuſe.*

AD VOL. II.

Vaccinium Myrtillus p. 73. REGNAVLT *Botan. l'Airelle ou Myrtille.*
Scrophularia nodoſa p. 188. REGN. *la grande Scrophulaire.*
Siſymbrium Naſturt. aquat. p. 309. REGN. *Bot. le Creſſon de Fontaine* ſub falſo nomine Siſymbrii ſylueſtris.

SPHALMATA TYPOGRAPHICA EXSTANTIORA


VOLVMINIS PRIMI.

Praefatio: l. 10. post productorum add. vires. p. 7. lin. 10. l. lithanthraci. p. 29. lin. 5. 6. l. conciliant. p. 42. lin. 3. l. GALENI. l. 19. l. expulit. p. 101. lin. 16. l. intermittentes. p. 117. lin. 21. l. odore. p. 122. lin. penult. l. addito. p. 123. lin. antepenult. l. rhenanum. p. 191. lin. 20. l. exspuitionem. p. 196. lin. 8. l. istius. p. 222. lin. 6. l. maximi. p. 280. lin. 16. l. embammatibus. p. 285. lin. antep. l calculosis. p. 299. lin. 14. l. blande. p. 308. lin. 19. l. atrophia. p. 303. lin. 17. post destillatur dele secundum. p. 314. lin. penult. l. ichthyocollam. p. 319. lin. 15. l. eclampsia. p. 326. lin. 20. l. substratos. p. 455. lin. 7. loco Flores l. Folia. p. 457. lin. 19. l. curati. p. 458. lin. pen. l. scelera. p. 468. lin. antep. l. hinc. p. 479. lin. 7. l. tetano. p. 520. lin. 23. l. paratus. p. 553. lin. 16. l. diiudicandam. p. 586. lin. 23. l. petechiis.

VOLVMINIS SECVNDI.

Pag. 12. lin. 12. l. aliquot. p. 24. lin. 5. l. ambitus. p. 37. lin. 2. l. embammati. p. 39. lin. 8. l. Houille. lin. 24. l. olens. p. 60. lin. 21. l. duae. p. 136. lin. vlt. l. aliquot. p. 211. lin. 9. l. ingerendis. p. 215. lin. 6. l. 278. p. 249. lin. 20. l. vsui. p. 300. lin. 10. l. Anglicis. p. 325. lin. 12. l. fixo, qui. p. 332. lin. 21. l. COOK. lin. 22. l. FORSTERIS. lin. 23. pone hebdomadem l. exhibita. p. 344. lin. 7. l. supparem. p. 344. lin. antep. l. condimento. p. 345. lin. 1. l. minoris. lin. 3. l. miscelas. p. 347. lin. 17. l. qui. p. 362. lin. 17. l. continent. p. 377. lin. 4. a fine l. Arabico. p. 393. lin. 19. loco vti l. vsurpare.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-147402-p0480-7
DFG



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

urn:nbn:de:hbz:061:2-147402-p0481-2

DFG